535/366

58pl

524. 22 23431

with
Theologiae Symbolicae
at end of Vol 2

URSIN, Johann Heinrich
52443/A

350 / 25/5/10



Homann fecit

23421

JOH. HENRICI URSINI
ARBORETUM BIBLICUM,

In quo

Arbores & Frutices paſſim in S. Literis occurrentes, ut & Plantæ, Herbæ ac Aromata, Notis Philologicis, Philoſophicis, Theologicis, exponuntur, & illuſtrantur;

Nunc

Præcipuis Emblematibus & Arboribus, ære inciſis, exornatum, à vitiis purgatum,

Atque

Indicibus utiliſſimis, Rerum, Dictorum præcipuorum Biblicorum, Nominumque Ebræorum & Græcorum, in hoc Libro occurrentium adauctum:

Adjunctâ

THEOLOGIÆ SYMBOLICÆ SYLVA.

NORIMBERGÆ,

Apud JOHANNEM DANIELEM TAUBERUM.

Anno 1699.

ex ipſis larga fundatur; cœpi Arbores conſitas contemplari, ac paſſim diſperſas quaſi in quicuncem redigere & diſponere. Audax facinus! ſed trahit ſua quemque cupido; me Amor harum Literarum. Eram & Herbarium & Aromaticum Hortum plantaturus; ſed alia & alia ſemper avocant, Eventus Deo in manu eſt.

Te in hoc Arboretum meum, Vir Clariſſime, invito, non tantùm ſpectatorem futurum, ſed & Arbitrum: nullâ re fretis, niſi amore & benevolentiâ, multis huc usque erga me demonſtratâ argumentis. Si lubenter inſpexeris, quæ errata ſunt correxeris, quæ deſunt ſuppleveris, inſcriptionis hujus putabo me fructum tuliſſe ampliſſimum. Sed & juventus, & quotquot Sacras colunt literas, meſſem indè colligent uberrimam. Bene vale & amantem, ut ſoles, conſtanter redama. Scribebam Ratiſponæ, Idibus Februariis A. O. R. cIↃ IↃc. LXIII.

Excell. T.

Studioſiſſimus

J. H. Ursinus.

Syno-

Synopſis & Capitum argumenta.

Cap. I. *Arborum definitio, & explicatio.* Quis primus plantâſſe arboretum dicatur? n. 1. forma, an anima? n. 2. 3. Materia Lignum: diſtinguitur in viride & aridum 4. cur putria ſplendeant? 5. Loca S. Scrip' explicantur, Gen. 21. 33. Pſal. 148. 9. Eſa' 44. v. 23. & 55. 12. Judic. 9. 8. 2. Paral. 25. 18. Luc. 23. 31. Ezech. 21. v. 3. 7. Job. 41. 18. Emblemata 3.

Cap. II. *Arborum partes & inde Metaphoræ,* 1. *Radix*, n. 1. Sapientiæ, Sirac. 1. 25. immortalitatis, Sap. 15. 3. Johan. 17. 3. malorum, 1. Tim. 6. 10. n. 2. Radix Iſai, Davidis, Eſa. 11. 10. Apoc. 5. 5. &c. n. 3. Radix amaritudinis, Hebr. 12. 15. Deut. 29. 18. Emblemata 2.

2. *Surculus*, 5. Chriſtus Eſai. 11. v. 1. Eccleſia, Eſa. 60. 21. & 61. 3. n. 6. Rex Babylonius ſurculus abominabilis, Eſa. 14. 19. de Sepulturâ Regum, Tyrannorum 7. De Loco, Matth. 15. v. 13. Emblemata 2.

3. *Stipes*, *Caudex*, num. 9. Job. 14. v. 9. Spes arboris Emblema, ib. Dei majeſtas, 10. Homines locuſtæ. Emblema. Cœlum cortina; Tyranni truncus ſucciſus, Emblema. hæc ex Eſa. 40. 22.

4. *Cortex*, num. 11. Joël. 1. 7. Ficus decorticata, 12. Emblemata 3. Famelici an cortices rodant? Job. 30. 4. num. 13.

5. *Rami & Frondes*, 14. Gen. 49. 22. Ben filius, id eſt, Ramus. Embl. Rami nativi & adoptivi, Rom. 11. 24. radix Sancta, n. 15. alii teneri, alii robuſti, 16. Job. 15. 30. & 8. 16. & 18. 13. Hiſtoria de Abimelecho, Judic. 9. 46. n. 17. Rami felicium, 18. ex Oſe. 14. 6. impiorum exciſio, 19. Eſa. 9. 14. & 19. 15. urbis aut gentis vaſtatio. 20. Eſ. 17. 6. Excidium Hieroſolymæ, 21. Eſa. 27. 10. clades Senacheribi, Eſa. 20. 33. Regis Æthiopum Tirhakæ, 22. Eſa. 18. 5. Emblemata ſparſim ſex, & plura.

6. *Frondes*, ſeorſim, 23. pabulum jumentorum, Eſa. 27. 10. Geſtare frondes mos in Scenopegiis, de quo multa, 24. de nomine, autore, materiâ, formâ, fine. Viam frondibus & floribus ſternere 25. Tabernacula ex frondibus, 26. Loca S. Script. Levit. 23. 40. Neh. 8. 14. Joh. 12. 13. Matth. 21. 8. &c. Emblemata 4.

7. *Stolones & Propagines*, n. 27. Pſal. 92. 15. Sirac. 40. 15. Liberi Spurii, 28. Sap. 4. 3. Certamina Sacra. Conjugium & Virginitas. Quid vitulamina? Emblema.

8. *Folia*, 29. Vento rapta, Job. 13. 25. Homo folium volans, Eſa. 64. 6. fusè exponitur.

ponitur. Pannus menſtruatæ. Peccatum Originis. Juſtitia inhærens. Status hominis triplex. Emblema. n.30.31. Ne folium quidem ſupererit, 22. Jerem. 8. 10. Emblemata 3. Terreri ad ſtrepitum folii, 33. Lev.26.36.

Cap. III. *Arborum Biblicarum Nomenclator Hebraicus.*

Cap. IV. *Sylveſtres in genere*, & in ſpecie *Beroſch*, *Thidhar*, *Theaſſur*, &c. Locus Eſa.41. v.18.n.1.6. Eſ. 44. v. 3. n.7. mos nomina incidendi arboribus. Uſus ſylveſtrium lignorum & abuſus, n.8. 9. de Idolis. Locus Eſ.55.13. & 60. 13. n.11. arbores mutant ſpeciem miraculo. Notantur charæ ſigno aliquo. Eccleſiæ inſtauratio per vocationem Gentium. Virgæ Jacobi, Gen. 30. 37. fusè, n. 14. Emblemata 7.

Cap. V. *Beroth*, an *Bruta* arbor dicta? n. 1. an *Sabina*? 2. Locus Cant. 1. 17. de Eccleſia, S. Scripturâ, &c. Emblemata 5.

Cap. VI. *Oren.* utrùm *Urnus*, *Sorbus*, *Fraxinus*, *Carpinus*, *Acer*? Eſa. 45. 14. varia Emblemata, n. 1.7.

Cap. VII. *Thirza*, Eſ.44.14. nomen, *1. Cedri minores*, *2. Pinus*, 3. Emblemata 10. *4. Cupreſſus* eſſe videtur, & probatur, n. 5. ubi & *de Taxo*. Emblemata 12.

Cap. VIII. *Thidhar*, Eſ. 41.19. c.60.13. An ſit

Fagus? n. 1. vel *Eſculus*? n. 2. 3. 4. *Oxya*, Fagi ſpecies, 5. *Ulmus*, 6. An *Populus Tremula* dicta? num. 7. Emblemata ſparſa varia.

Cap. IX. *Thaaſſur*. Eſa. 41. 19. & 60. 13. nomen, 1. arbores aliæ felices, aliæ infelices, n. 2. An ſit *Buxus*? 3. Tibiæ ſacræ, 5. Locus. Eſa. 41. cit. myſticè exponitur. Emblemata 6.

Cap. X. *Libne*, Gen. 30. 37. Oſe. 4. 13. An *Styrax*? num. 2. Emblemata 2. An *Populus*? 4. Emblemata 8. An *Tilia*? 8. Emblemata 4.

Cap. XI. *Armon*, Geneſ. 30. 37. Ezech. 31. 8. eſt *Platanus*, n. 2. Sirac. 24. 19. Emblemata 8. An *Caſtanea*? n. 7. Emblemata 4.

Cap. XII. *Arabim Salices*, Eſa. 44. 4. Imago fidelium, n. 1. 3. Levit. 23. v. 40. Salicis frondes. *Agnus Caſtus*, 4. Pſalm. 137. 2. ad Flumina Babylonis, Eſa. 15. 7. n. 5. Emblemata 7. & plura ſparſim.

Cap. XIII. *Elah*, *Allah*, *Allon*, glandiferæ: nomen, 1. deſcriptio, 2. An *Alnus*, huc ſpectet? 3. Emblemata quædam. An *Terebinthus*? 4. Emblemata de hac. Glandiferarum ſpecies variæ, 6. *Ilex*, *Suber*, *Quercus*, Emblemata 4. &c.

Cap. XIV. *Quercus* ſeorſim. Elon More, n. 1. Mambre, 2. Bachut, Rogel, Thabor, &c. Baſanticæ Quercus, 3. Eſa. 2, 12. Suarii

in

in Judæâ. Quercus Augurum, 4. Eſa. 1. 30. & 6. 13.

Cap. XV. *Quercus Crucis Chriſti*, n. 1. Eſt arbor adſpectu infauſta. Crucis infame ſupplicium. 2. de Hamanis cruce, ibid. Abſalomi ſuſpendio. 3. Eſt arbor fructu multifera; de glandibus, 4. ubi Emblemata 8. & plura. De Cocco, 5. & Gallâ ibid. Emblemata 5. De Pilo, Viſco, 6. 7. nonnulla Emblemata. De Agarico, Melle, Uvâ quercinâ, 8. Emblemata 4.

Cap. XVI. *Quercus materia*, n. 1. Emblemata 8. Uſu ad multa idonea, 2. de Trophæis, 3. Coronæ, 4. Emblemata 15. Quercus religione Sacra, 6. Dodonæa, columbæ in eâ. Sanctivæ Arbores, apud Germanos inprimis, n. 7. Dii horum, ibid. Antipathia, 9. Emblemata ſparſa, 4.

Cap. XVII. *Quercus Regia Danielis*, cap. 4. v. 8. 11. deſcripta fuſiùs. 1. 2. Reges & Regna arboribus proceris comparata, 3. Emb. 10.

Cap. XVIII. *Beroſch*, conifera, 1. Eſa. 37. v. 24. Ezech. 31. 8. cap. 27. 5. Oſe. 14. 9. Pſalm. 104. 17. Herodius avis. *Eſt Abies*, 3. Verſio Lxx. Interpp. *Picea*, 4. Materia abiegna, organa armigata, 5. Emblemata 12. Locus Oſe. 14. v. 9. fusè explicatur. n. 6. & ſeqq. *Juniperus* ibid.

Cap. XIX. *Erez, Cedrus* Ezechielis c. 31. toto.

Species Cedri. Vallis Cedron, 2. arboris deſcriptio, 3. & ſeqq.

Cap. XX. *De Cedro Ænigma*, Ezech. 17. v. 1. usque 12. &c. Aquila, n. 1. Cedrus non regerminat, 1. 2. Hieroglyphicum Chriſti, 3.4.7. Emblemata quædam.

Cap. XXI. *De Cedro Paralipomena:* comparantur pii, Num. 24. 6. Pſ. 92. 13. reſpectu Naturæ, figuræ, culturæ, n. 1. 6. Emblemata 4. Potentes & ſuperbi, 2. Reg. 19.23. Eſ. 37.24. Pſ. 29.5. & 36. Eſ. 2.13. Jer. 22.7. &c. Adagia de Cedro Sacra. N. 24.6. Job. 40. 12. Cant. 5. 15. Sirac. 24. 17. Judic. 9.15. Eſa. 9. 10. Jer. 42. 23. Zachar. 11.2. Emblemata quædam ſparſa.

Cap. XXII. *Lignum Gopher*, Gen. 6. 14. an *Cupresſinum*? num. 1. an *Quadrangulum*? Bochartus & Iſaac Voſſius. An arca ex uno ligni genere? 3. *Ligna Sittim*. 5. Quænam? Quæ *Spina alba*? 6. Non ſunt *Cedrina*, 7. neque, *Larigna*, 8. videri eſſe quâdam ſpecie *Acaciæ*, & proferuntur conjecturæ, à nomine, à deſcriptione, à ſitu, &c. 9. 10.

Cap. XXIII. *Arbores ſpinoſæ*, ut *Atadim*. Gen. 50. 10. 11. Judic. 9. 14. 15. & Pſal. 58. 10. An *Rhamnus*? n. 3. *Cynosbatos*? 4. Emblemata 3. An *Lycium*, ſive *Byxacantha*? 5. Tædæ ex Spinâ albâ, 6. ſpinea corona Chriſti, 7. Emblemata 7.

Cap.

Cap. XXIV. *Barkanim*, Judic. 8. v. 7. 16. triturare hoſtes ſpinis. De *Tribulis*, 3. *Oxyacantha*, 4. Emblemata 3. *Koz Spina*, Gen. 3. 18. Exod. 22. 6. &c. Emblemata 4.

Cap. XXV. *Chedek & Choach*, Proverb. 15. 19. Mich. 7. 4. *Paliurus*, 2. 3. 4. Emblemata 4. Ubi & de *Aquifolio*; & *Zizypho*.

Cap. XXVI. *Naazuz, Sirphad*, Eſa. 7. 19. cap. 55. 13. *Stæbe*, *Conyza*, *Saliunca*, Emblemata 2. *Sillon*, Ezech. 2. 6. c. 28. 24. *Ononis*, *Eryngium*, Emblemata alia duo. *Renèh Rubus*, Exod. 3. in quo Dei Filius apparuit Moſi. 4. Vaccinia, Liguſtrum, Elhenne, Emblemata iterum duo. *Sirim*, *Spinæ*, Eccl. 7. 7. Nah. 1. v. 10. Oſe. 2. 6. Emblemata 4.

Cap. XXVII. *Zealim*, Job. 40. v. 16. *Schamir & Schaith*, Dumi & Vepres, n. 2. 3. *Kothem*, 1. Reg. 19. 5. Job. 30. 4. Pſ. 120. v. 4. An *Alimos*? n. 4. 5. *Glycyrrhiza*. An *Juniperus*? 6. Affirmatur eſſe *Geniſtam*, 7. ſagittæ ignitæ. Emblemata ſparſim 3.

Cap. XXVIII. *De Spinis & ſylveſtribus Paralipomena.* *Abjona*, *an Capparis*? Eccl. 12. 5. n. 1. *Necoth*, Gen. 37. 25. & 43. 11. *an Myxaria*, Pruna Sebeſtena? 2. *Sabek*, Gen. 22. 13. an *Jaſminum*? 3. *Zaphzaph*, Ezech. 17. 5. *an Salix*, *Elæagnus*? 4. *Eſchel an Tamatrix*; ſivè Myrica? 5. Item *Copher*. Cant. 1. 14. & 4. 13. Botrus Copher quid?

an

an *Camphora* ſic dicta? 7. *Cyprus* arbuſcula quæ *Elhanne*, Liguſtrum, 8. Emblemata 4.

Cap. XXIX. *Arbores Mites*; *Aguz*, *Nux*, Cant. 6. 10. ſimilis Nuceto Synagoga, 3. Emblemata 4.

Cap. XXX. *Botnim*, Gen. 43. 10. Nuces Terebinthiæ, *Piſtacia*, *Luzim*, Gen. 30. 37. an *Amygdala*? 5. an *Avellanæ*? Emblemata 5.

Cap. XXXI. *Schekedim*, *Amygdala*, Gen. 43. 10. Aaronis Virga profert. Num. 17. 23. Baculus amygdalinus, Jer. 1. 11. Varia de baculis. Floret Amygdalus ſenibus, Eccl. 12. Emblemata 13.

Cap. XXXII. *Rimmon*, *Malus*, *Punica*, ſæpe legitur. num. 1. Nomen, 2. Imago Eccleſiæ, 3. Lotos aquatica, 7. Emblemata 15.

Cap. XXXIII. *Thapuach*, *Malus*, nomen, 1. Loca S. Scripturæ, Prov. 25. 11. Cant. 2. 3. 5. & 7. 8. & 8. 5. &c. Hieroglyphicum Chriſti, 4. Uncinus pomorum, Amos. 8. 2. 3. Naves poma portantes, Job. 9. 26. Locuſtæ. Ex. 10. 15. Cant. 7. 13. Nova & Vetera. Fructus juſtitiæ, 9. Remedia arborum pomiferarum, 12. Poma caduca mundi bona, Apoc. 18. 14. Mala Citrea, Medica, 14. Aurantia, 15. Cidonia, & alia, 16. Emblemata 24.

Cap.

Cap. XXXIV. *Theena*, *Ficus*. Inter præcipuos Terræ Sanctæ fructus, Num. 13. 24. Deut. 8.8. & vaſtatio gravis pœna, ex diverſis S. Scripturæ locis, n. 1. 2. Partes arboris, 3. Folia, Gen. 3. 7. Caduci fructus, 4. Eſa. 34. 4. Apoc. 6. 13. Nah. 3. 12. Flores quinam? 5. Habac. 3. 17. Ficus triplices, 6. Cant. 2. 13. Nahum. 3. 17. Oſe. 9. 10. Habitare ſub ficu, 8. Proverbia alia, ut prov. 27. 18. Matth. 7. 16. Hiſtoriæ Sacræ, Num. 13. 24. Geneſ. 3. 7. Eſa. 38. 21. Matth. 21. 19. Parabolæ, Jerem. 24. toto, Luc. 13. 6. Similis Ficui Eccleſia, n. 15. 16. Embl 25. & variæ Comparationes.

Cap. XXXV. *Schikmim Sycomori*, Pſal. 78. 37. Amos. 7. 14. Luc. 19. 4. cap. 17. 6. 1. Paralip. 27. 28. Deſcriptio num. 2. Nomen. 3. 4. Allegoriæ & Emblemata 9.

Cap. XXXVI. *Bacha*, Vallis Pſ. 84. 7. An *Morus*? n. 3. an *Pyrus*? 4. Mora Elephantos irritant, 1. Macc. 6. 34. n. 5. Emblemata 13.

Cap. XXXVII. *Hadas*, *Myrtus*, Zach. 1. v. 8. undè nomen? 2. Imago Eccleſiæ & Piorum, 4. Emblemata 4.

Cap. XXXVIII. *Olea*, *Zaith*. Nomen, cauſa efficiens, materia, forma, ſpecies, & partes, finis, utilitas, proprietates, loca S. Scripturæ plurima, & Emblemata 12.

Cap. XXXIX. *Oleæ* plantatio, olivatio, olei expreſ-

expreſſio, aſſervatio. Ubi? Morbi, remedia, Emblemata 3.

Cap. XL. *Similia*; Olea Eccleſiæ, Rom. 11. 16. inſitio, n. 3. Jer. 11. v. 16. Parabola, Judic. 9. 8. Pſ. 128. v. 2. 3. Gen. 8. 11. Emblemata 6.

Cap. XLI. *Thamar*, *Palma*, nomen 1. 2. partes, 3. 4. Species, 5. Sexus, 6. ſitus & uſus, 7. Juſtus palmæ ſimilis, Pſ. 92. Emblem. 20.

Cap. XLII. *Laurus an Ezrach*? Pſalm. 37. 35. Emblemata 14. *Siliquæ*, Luc. 15. 16. Emblemata 2.

Cap. XLIII. *Ahalim*, Num. 24. 6. Ahaloth, Pſ. 45. 9. &c. Inter unguenta Prov. 7. 17. Non eſt *Aloë*, n. 2. nec *Sandalum*, vel *Aſpalathus*, ſed *Agallochum* 3. 4. Emblemata 5. *Almugim*, 1. Reg. 10. 11. &c. Quid non? 6. *An Sandala rubra*? 7. *Ligna Thyma*, Apoc. 18. 12. n. 8. *Hobenim*, *Ebeni ligna*, Ezech. 27. 15. Emblema 1.

Cap. XLIV. *Ez Hadar*, Levit. 23. 40. An *Citrus*? *Ez Schemen*, Idem.

Cap. XLV. *Arbores Paradiſiacæ.*

Cap. XLVI. *Arbores Sodomiticæ.*

Cap. XLVII. *De Lucis & S. Nemoribus.*

Cap. XLVIII. *De Hortis Salomoniis.*

Cap. XLIX. *Multiplex differentia arborum.*

Tantum eſt.

SACRA DENDROLOGIA.

SECTIO I.

DE ARBORIBUS BIBLICIS IN GENERE.

CAPUT I.

Definitio, ejusq́ explicatio.

ARbuſtum, ſive *Arboretum* eſt locus arboribus conſitus.

Eſtque vel *Nativum*, ut ſunt Sylvæ, Saltus, Nemora; vel *Factivum*, ut Luci & Pomaria. *Arborator*, qui loca talia arbuſtat, & curat. Eſt autem *Arbor*, juxta S. Scripturam lignum duro caudice, uno vel multiplici aſſurgens, & in ramos expanſum, vitâ vegetante præditum.

Forma ejus, quâ talis eſt, anima nutritiva eſt. *Generis* loco lignum ponitur. Eſt enim omnis arbor *lignum*; non contrà. Nam aliud *vivum*, aliud *emortuum* & quaſi arboris cadaver, &c. *Propriè lignum* dicitur interior arboris, radicis ſcil. & caudicis, ramorumque, pars, cortice veſtita, fiſſilis & dura, quæ velut caro aut corpus eſt. *Materiam* vocant Latini.

De cæteris cauſis, partibus item, & fine ac uſu, ſatis alio dicetur loco. Addam tamen pluſcula ſuis mox locis.

Obſervationes.

1. Primus Abrahamus legitur *plantaſſe*, אשל δένδρων φυτείαν, ut habet Aquila, *Nemus, in Berſabee, & ibi invocaſſe nomen Dei æterni.* Arboribus denſum fuiſſe, & optimis fructibus, *refert Thargum:* inque eo exceptos peregrinos hoſpites, permiſſosque ut de fructibus ſumerent, quantum vellent: hac tamen mercede, ut Deum Cœli Terræque Creatorem, ac omnium bonorum datorem, colerent & laudarent, Gen. 21. v. 33. Sed *de Lucis, Sylvis, Hortis* ſuo loco.

2. De Plantarum arborumque *forma* diſceptatum olim fuit. *Plato animalia* eſſe cenſebat, quæ tamen ſolam tertiam animæ facultatem haberent, τὸ ἐπιθυμητικόν. *Ariſtoteles negavit*; nam animal ajebat eſſe οὐσίαν ἔμψυχον αἰσθητικὴν, rem animâ præditam ſenſitivâ: plantas tamen φυσικῆς καὶ θρεπτικῆς ψυχῆς eſſe participes. *Stoici* hoc quoque non concedebant: diſputabant enim omnem animam vi ſentiendi præditam eſſe: itaque plantas nec animalia, nec animatum quid dici debere, ut eſt apud *Clement. Alexandr. 8. Stromat.* At *Pythagoræi*, ſecuti, ut videtur, Ægyptios, & Indos, ubi Brachmanum hæc opinio adhuc viget, *omnem animam à corpore ſeparatam rationalem eſſe* credebant, aptamque induere, non humana modò, ſed & brutorum, arborumque & plantarum corpora, *de quo Porphyrius de Abſtinent. ab animal. & in vita Pythagoræ,* (Porphyrius enim priùs *Malchus* dictus fuit, ut teſtatur

tur *Eunapius Sardianus* in vitâ: Sophiſtas deſcribens) & refutavit hanc μετενσωμάτωσιν *Æneas Gazæus Philoſophus Chriſtianus in Theophraſto ſuo.* Hinc Empedocles, Moſen ex parte ſecutus, *plantas* dixit *primo inter animalia loco enatas, antequam Sol circumvolveretur, diemque à nocte diſcerneret*, apud Plutarch. 5. de placit. Philoſoph. Sed de hac formâ alibi ſatis.

3. *Inquis;* ſi arbores animâ rationali carent, quomodo *laudare Deum dicuntur, & manibus plaudere?* Pſ. 148. v. 9. Eſa. 44. v. 23. & 55. v. 12. *Reſp.* per προσωποποιΐαν. Hieronymus ad poſtremum Eſaiæ locum. *Interrogemus eos, qui ſimplicem tantùm hiſtoriam ſequuntur, & elixas carnes ſanguine comedunt, utrum ligna plaudant ramis, & concrepent manu?* Sic arborum *ſermocinationes* legimus Judic. 9. v. 8. 2. Paralip. 25. v. 18. quò pertinet illud Phædri in Prologo lib. 1.

Calumniari ſi quis autem voluerit,
quòd arbores loquantur, non tantùm feræ;
fictis jocari nos meminerit fabulis.

Simili Schemate paſtorali, apud Theocritum paſtor quidam Sponſam complexus, cùm illa arborum ſtrepitus timeret, *de noſtris*, inquit, *inter ſe colloquuntur nuptiis*: Et Longus Sophiſta *Pœmenicorum lib. 3. de Daphni & Chloë*: ὁ μὲν ἐσύριζεν, ὡ μιμώμενος πρὸς τὰς πίτυς· ἡ δὲ ᾖδε ταῖς ἀηδόσιν ἐρίζουσα: &c.

4. *Lignum* diſtinguit S. Scriptura *in viride, & aridum.* Hinc Proverbia; 1. *Si hoc in viride ligno faciunt, quid fiet in arido?* Luc. 23. v. 31. ubi Beda, & ex eo gloſſa: *Viride lignum Chriſtus & Electi: aridum, impii & peccatores.* Et Chriſtus quidem καθ'

 ὑπε-

ὑπεροχὴν *Lignum ferax, ſemper virens, ſemper vitale,* Theophylactus, *propter Deitatem in carne latentem, cujus fructus erant tot miracula, & vivifica doctrina,* Titus Boſtrenſis, vide 1. Petr. 4. v. 12. Jerem. 49. v. 12. Zach. 11. v. 2. *vide Zehneri S. Adagia Cent.* 3. *num* 69. Pertinet huc fabula *de Hero & Canibus:* Nam cum hi viderent, fame & penuriâ compulſum illum, poſt capras & oves, etiam mactare boves aratores; fugâ ſibi ſalutem quæſiverunt: Quid, inquiebant, qui famulis bobus non pepercit, nobisne parſurus ſit? ἐπιμύθιον dabit Apoſtolus Rom. 11. v. 21. Huic 2. affine eſt apud Ezechielem, ubi minatur Deus; *ſe igni combuſturum omne lignum, viride & aridum:* id eſt, ut ipſe interpretatur; publicâ clade *exciſurum juſtos cum impiis,* cap. 21. v. 3. 7. Ita enim fit mirando Dei judicio! uti ſi fulmine conflagret ſilva omnis. Cui *emblemati* lemma adſcribi poteſt ex Proſpero de Providentiâ:

Multa quidem mundo ſemper communia in iſto
Indignos, dignosque manent; *Sol omnibus idem,*
Idem imber: pariter ſubeuntur frigora & æſtus.
Utque indiſcreta eſt cunctis aqua, lumen, & aura;
Sic injuſtorum juſtos mala ferre neceſſe eſt.

Habet divina Sapientia ſuas ſupra nos rationes. Sunt iſta παθήματα, μαθήματα. Nemo coram Deo nnocens eſt, *nemini facit injuriam,* Matth. 20. v. 13. Fit piorum caſtigatio impiis documentum; virtus & patientia, exemplum. Neque illis mali quid accidit, *nec enim mala mors eſt ulla bonis:*
quibus è vario longoque labore.

Qui-

Quilibet in requiem patet exitus: aſpera vitam
Dat via; *nec campo capitur, ſed ſine corona!*

Hæc ille & alia.

5. Cur putrida ligna in tenebris fulgent? Sic enim Plinius: *nocturnorum animalium, velut felium, in tenebris fulgent radiantque oculi, ut contueri non ſit: & capreæ lupique ſplendent, lucemque jaculantur: Vituli marini & hyæne in mille colores tranſeunt ſubinde: Quin & in tenebris multorum piſcium refulgent aridi, ſicut robuſti caudices vetuſtate putres,* l.11. cap. 37. *Res,* inquiunt, *quæ plus participant lucis, facilius cernuntur in tenebris,* Ludov. Vives de Animâ. *Oculos lumen inſitum in tenebris ſpargere* docet Plutarchus l. 5. Sympoſ. Quæſt. 7. Sed in lignis pridem putrefactis, deindè arefactis, *per candoris in aëre reflexionem* hoc fieri monet Scaliger, Exercit. 174. ubi vide, *& apud Bodinum Theat. Nat. l. 4. pag. 452.*

Eò videtur alludi apud Jobum c. 41. v. 18. ubi de Leviathane, immani balænâ, dicitur: *Reputavit ut paleas ferrum,* haſtas & gladios; *& quaſi lignum putridum æs,* thoraces æneos, interprete *Gregorio M.* Tanta, inquit, tergi duritia eſt, ut *nullo* ſit *penetrabile ferro.* Sic *Crocodili contra omnes ictus cute invictâ,* Plinius l. 8. cap. 25. *Diabolus tantâ ſe virtute ſuperbiæ induit, ut omnia arma, adverſum ſe concepta, pro nihilo pendat,* Philippus Presbyter in Job. l. c. Addit, *Diaboli opera palearum acervis eſſe ſimilia & lignis infructuoſis, vetuſtatis carie fatiſcentibus, quæ igne inextinguibili ſunt urenda.* Hæc Saulis armatura eſt, 1. Sam. 17. v. 38. ſplen-

dida, ſed adverſus Diabolum ludicra; ut ſi quis in pugnâ decretoriâ ſubulis præliari velit, aut rudibus batuere. Aliâ nobis πανοπλίᾳ opus eſt, Epheſ. 6. 12. Humana omnia, cùm ád rem ventum eſt, *dant fumum ex fulgore*. Quod adſcribi poſſit eleganti *emblemati*, picto putri tali ligno, noctu reſplendente. Et alterum de Crocodilo aut Balænâ jam dedi.

CAPUT II.

Arborum Partes & indè Metaphoræ.

PRæcipuæ partes, earumque nomina Hebraica legi poſſunt *lib. 1. ſuprà cap. 2.* nunc de ſingulis aliquid quantum videbitur:

Radix eſt Ima pars ſtirpis in terrâ fixa, origo & fundamentum totius, per quam alimentum trahitur & coquitur:

E radice *caudex* prodit, ſive *ſtipes*, alimentum in ramos & frontes deferens. In Herbis *caulis* dicitur.

Caudex finditur & funditur in *ramos*, qui quaſi brachia ſunt, ut *frondes* manus.

His innaſcuntur, *gemmæ, flores, fructus, folia, & ſurculi, novellæ plantæ.*

Cortex ambit foris, & veſtis, à corpore ſeparabilis.

Stolones & propagines, adnaſcuntur, velut ſoboles, inutili fruticatione, niſi quod evulſæ & plantatæ ſubindè adoleſcunt. *De his plura Fuchſius in append.*

append. de Vocum difficil. explicat. & *Dodonæus Pempt.1. lib.1. c.2.* &*c.*

Plurimæ ex his ducũtur *Biblicæ Metaphoræ*, & *Similitudines*, quarum nonnullas inſigniores, ad S. Literarum illûſtrationem, adferre operæ erit pretium.

I. Radix.

1. *Radix exiſtit plantæ principium. In eâ ſanè compendium quaſi corporis totius. Vectigal igitur, vel cortici, vel flori, vel fructui, partim dependit fidelis, partim ſibi retinet ſapiens.* Officium præſtatoris & ventris: *ut accipit alimentum os eſt, ut coquit, venter.* Scaliger Exercit.141. Sect.1. & 3. Quæ diſtinctam radicem non habent à corpore, habent aliquid ἀνάλογον. *Tuber ipſum ſibi radix, ſtipes & frutex eſt.* Idem Exercit.140. *Radix arborem ſuſtentat*, Rom.11. v.18. *creſcit deorſum*, & *fructus fert ſurſum*, 2.Regum 19. v.30. Eſai.37. v.31. *Cùm perit, fructus quoque pereunt, omnisque ſpes meſſis & vindemiæ*, Job.18. v.16. Amos.2.v.9. *ita quæ radice carent, aut nec firmam, nec altam habent: vel creſcere nequeunt, vel durare*, Matth. 3. v. 6. 21. Eſai. 40. verſ. 24. *ut fit, cùm radices vel evelluntur*, Ezech. 17. v. 9. *vel ferro exſcinduntur*, Matth. 3. v.10. *vel igne exuruntur*, Màlach.4.v.1. *vel tabe & putredine conſumuntur*, Eſài. 5. v. 24. *vel æſtu exareſcunt*, Job.8.v.16.18. Eſai.14. v.30. Amos 2. v.9. Marc.4.v.6. Luc.8. v.6.13. adde plantarum peſtes, *Vermes*, Deut.28,39. & *animalia depaſcentia*, Num. 22.v.7. de quibus lib. 1. & *ipſam ſenectutem*, quam

mors comitatur, Job. 14. v. 8. *At quæ radices propagant, altisq; nituntur, firma ſtant, ut ad aquas plantata, multa ſucca abundantia*, Pſalm. 1. verſ. 3. & 80. v. 10, Jerem. 17. v. 8. Job. 29. v. 19. Eſai. 27. v. 8 Jerem. 12. v. 2. Ezech. 17. v. 5. 6. cap. 31. v. 5. 7. vide quoque Prov. 12. v. 3. 12. Sap. 3. v. 15. & 4. v. 3. Sir. 10. v. 18. & 40. v. 15. *Virtutes radicum multæ* Sap. 7. v. 20. *Qualisque radix, talis & pes*, Rom. 11. v. 16.

2. Hinc apparet quomodò *Timor Dei*, id eſt, Pietas, dicatur radix Sapientiæ, cujus κλάδοι ſint μακροημέρευσις, *rami longævitas*, Sir. 1. v. 25. Ita Fides, ſivè *Notitia Dei*, *non nudè ſpeculativa, ſed & practica, quæ cum affectu eſt*, ut rectè Cornelius à Lap. Sap. 15. v. 3. dicitur radix ἀθανασίας, imò *Vita ipſa æterna*, Johan. 17. v. 3. non tantùm inchoativè; ſed quia & principium & compendium Sapientiæ, vitæque æternæ unicum ὄργανον eſt, ſuccum vitalem ducens ex Chriſto, Eſai 53. v. 11. Habac. 2. v. 4. & ut in radice arboris vita atque anima; ſic in fide tota ſalus, per ſpem habetur. Epheſ. 2. v. 8. Rom. 8. v. 24. *Sicut in radice nulla prorſus arboris apparet ſpecies, & tamen quicquid eſt in arbore pulchritudinis totum ex illâ procedit*, Auguſtin. vide Lorinum in Sapient. l. cit. *vide quæ de Offic, Chriſtian. dixi ad locum Johann. 17.* & quomodò Timor Domini principium juxta ac complementum Sapientiæ dicatur, *in Analect. Volum. 2. lib. 6. cap. 2. &c.* Omnis Sapientia hominis in hoc uno eſt, ut Deum cognoſcat & colat, *Lactant. 3. cap. 29.* indè corona & plenitudo Sapientiæ dicitur Sir. 1. v. 22. & finis omnis doctrinæ Eccl. 12. v. 13.

tota

tota Sapientia, Job. 28. v. 28. *ubi R. Moſes Ben Nachman:* Deus indicavit hominibus, ut timerent ipſum, quodque ea omnis ipſorum Sapientia ſit; & recederent à malo, quodque hæc ipſorum Prudentia ſit. Nam hoc eſt univerſum hominum in quo ſalvantur. Quod captum illorum excedit, ne de eo quærant; & quod abſconditum eſt ab ipſis, ne ſcrutentur; neque negotii quicquam ſit iis cum occultis. Ita & Cohélet, *Eccleſiaſtes Salomonis*, finit, *apud Coccejum in Job. p. 387. Plura de his quoque in Paradigmat. S. Concion. attuli Exemplo 47.* Sic contra *Avaritia*, radix omnium malorum, 1. Tim. 6. v. 10. non tantùm principium. *Quid non mortalia pectora cogit?* ſed etiam compendium. Ita dicitur: *Seges ſcelerum, radix & ſola malorum*, à Prudentio in Hamartigen. Nec tantùm, ut à Phocylide- μητὴρ κακότητος ἁπάσης: Verum etiam μητρόπολις ut à Bione, & ἀκρόπολις κακίας, ut à Clemente Alex. in Pædagogo, &c.

3. Radix Iſai, Eſai. 11. v. 10. Rom. 15. v. 12. *Radix Davidis, & genus*, Apocal. 5. v. 5. cap. 22. v. 16. *Radix de Terrâ ſiccitatis, ſiticuloſâ*, & ut Aquila vertit, *inviâ*, Eſai. 53. v. 2. dicitur Chriſtus, quod ſit, ut vulgò interpretantur, germen & ſurculus ex ſtirpe Davidis, toties promiſſus à Prophetis, Davidis filius ſecundum carnem, 2. Sam. 7. v. 12. Pſalm. 89. v. 20. 37. & 132. v. 11. Eſa. 55. v. 3. 4. Jerem 23. v. 5. 7. Ezech. 17. v. 22. 23. Amos. 9. v. 11 &c. Sed placet omnino illud Ruperti Tuitienſis in Apoc. cap. 8. *Magnificentius dictum eſt, ut dici debuit, Radix David: magnificum quippè & mirabile eſt, ejus eſſe radicem, de cujus*

 ſtir-

ſtirpe deſcendit. Plus enim omninò eſt eſſe radicem, quàm ex radice ſobolem. Itaque veteres, ut apud Andream Cæſarienſem, diſtinctè: *Radix eſt Davidis, ut Creatori,* διὰ τὴν θεότητα· *ex radice verò ejus* διὰ τὴν ἀνθρωπότητα: juxta quam eſt ἐκ ῥίζης τοῦ Δαυὶδ βλαστήσας κλάδος, ut idem in cap. 22. Apocal. Sic itaque utramvis θεανθρώπου *naturam* hoc nomen comprehendit. Mihi tamen præter *incarnationem*, maximè reſpectum fuiſſe videtur *ad officium* Domini, quo eſt γενεάρχος novæ Davidicæ proſapiæ, omnium fidelium: principium & caput æternum Regni Davidis in omnia ſecula ſine fine duraturi, quod à Chriſto cœpit, & in eo perennat, *vide quæ de Cedro dicam in Ezech. 17. cap. l. cit. Miraculum eſt*, quod ille qui ſecundum Deitatem eſt radix & creator Davidis, factus eſt ſurculus ex radice Davidis: *Miraculum*, quod enatus eſt ex Virgine quaſi terrâ inviâ, cùm radicitus videretur exciſa arbor Regia Davidis: *Miraculum*, quod radicula illa tàm vilis & deſpecta, quales ſunt, quæ aridis in deſertis ſuccreſcunt, in tantam Arborem creverit, ut orbem terrarum impleverit & obumbraverit, duratura in æternum. Vident humilitatem radicis increduli, & ſcandalum capiunt: Vident majeſtatem arboris fideles, quibus brachium Domini revelatum eſt, & adorant Dei conſilium, Pſalm. 118. v. 22. 23. Eſai. 53. l. cit. Ita D. Glaſſius S. Rhetor. Tr. 1. cap. 8. p. 169. *Chriſtus radix Davidis dicitur, quia eſt verus ille Primogenitus ex familia Davidis ortus*, Pſalm. 89. v. 28. Rom. 8. v. 29. *Radix totius familiæ Dei Spiritualis, cui Eccleſia Nov. Teſtam. inſtar arbo-*


יהוה
Imperium ſine fine dedi.

arboris fructiferæ incumbit, ex eoque ſuccum & vitam trahit. Unde Bernhardus: *non dicit David radix ejus, ſed ipſe radix David: quia portat & non portatur: meritò, David ſanctè filium tuum vocat Dominum tuum; quia non tu radicem portas, ſed radix te*, ſerm. 1. in Paſcha. Confer quæ modò num. 1. attuli de radice. Pinge truncum exciſæ arboris, cujus ſtipes & rami aridi humi jaceant diſperſi, & ex quo regerminet tener ſurculus, quem de Cœlo reſpiciat Deus, ſcripto inter nubes nomine Tetragrammato, adde illud;

Imperium ſine fine dedi! Der kleine Zweig aus dörren Sand/ beherꝛſchen ſoll all Volck und Land! Quod Eſaias cap. 11. v. 10. addit, hanc *Radicem Iſai fore vexillum populorum*, quod ſtans & defixum ſolo omnes Gentes, velut aſylum, quæſituræ, & adoraturæ ſint, expoſui *Volum. 1. Analect. Sacror. cap 55. pag. 80. & ſeqq.* Impleta hæc Prophetia maximè, cum devicto antiquo Dracone Apocal. 12. ſub Conſtantino Magno, Chriſti quaſi ſignum militare tandem quieſceret, ac omnibus gentibus adorandum proponeretur. Itaque tunc quoque, autore Conſtantino Imp. nomen Chriſti, *per Græcam literam χ, decuſſatæ cruci ſimilem, cui Rho litera deſuper inſtaret*, Vexillis ex auro & gemmis acu intexebatur; vel ut habet Prudentius,

Chriſtus purpureum, gemmato textus in auro,
Signabat Labarum, 1. adv. Symmach.

Vid ibid. Iſaac. Grangæum in Notis pag. 123. 124. & quæ olim de h.l. Eſaia dixi in Theolog. Symb. num. 118.

Sed

Sed neque illud perfunctorie conſiderandum eſt; quod *Radicem* hanc *ex terrâ planè ſiticuloſâ* enatam notat Eſaias, cap. 53. Nam cùm Cardanus dixiſſet; *raras naſci plantas inter arenas:* Rectè quidem Scaliger oppoſuit; *etiam ſiccas arenas reperiri tectas fruticibus, in Syriâ & Arabiâ &c. plurimo ſcatere nigro hyoſcyamo. In extremis Medulis, & aditu Cantabriæ litoralis reperiri vineta lætiſſima; quæ interdùm, ipſa ſimul cum vindemia, arenarum aggerationibus, Cauro, aut Aquilone, aut Subſolano actis obruantur,* Exercit. 140. Sed his arenis ſubeſſe ſolum fertile oportet. Nam ex meris arenis, ſiccis omninò & exſuccis, quid naſci poſſit aut vivere? E tali terra tamen prodiiſſe radicem arboris tàm immenſæ ait Propheta: nimirùm, quod ea ſuccum non aliundè emendicare opus haberet, ſed *omni per ſe plenitudine* abundaret, Coloſſ. 2. v. 9. Joh. 1. v. 16.

4. Radix amaritudinis; ῥίζα πικρίας eſt *radix surſum germinans fel & amaritudinem*, id eſt, *Cicutam*, *aut toxicum*, & *abſynthium*, de quibus ſuo loco, Hebr. 12. v. 15. ex Deuteron. 29. v. 18. *Metaphorice*, homo ſcandaloſæ vitæ aut & Doctrinæ, πόρνος ἢ βέβηλος, qui caduca æternis anteponens, ὡς Ἡσαῦ, fit apoſtata, atheus, ſeductor, multos contagio ſuo polluens, ut exponit Apoſtolus. Et de hoc contagio ſeductionis intelligendum eſt, quod habet Moſes: ita tandem evenire, *ut aſſumat ebria ſitientem*, juxta Vulgat. vel ut Pagninus vertit: *ut finiatur ebria cum ſitiente:* daß die Trunckene mit den Durſtigen hinfahren: Saturi cum jejunis, divites cum pauperibus, D. Luthe-

Lutherus. Lxx. vero habent: ἀπολέσῃ ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν ἀναμάρτητον, *perdet peccator innocentem*, nempè μιασμῷ contagio, Hebr. 12. l. c. Probant hunc ſenſum ferè Bonfrerius in Deut. & Delrio in Adag. Lutheri translationem D. Glaſſius in S. Gramm. Tract. 1. can. 2. pag. 6. Mihi Proverbium videtur eſſe de re maximè abſurdâ, & noxiâ: Ut ſi *cœcus ducat videntem.* Solent enim ſobrii aliàs ducere domum ebrios. At ubi graſſatur idololatria, fit ut ebria anima ſecum rapiat in devia & exitium ſitientem, ſobriam; inſana ſanam. Tanta erroris efficacia eſt! Tunc divina ultio & interitus ſequi ſolent, Deut. l. c. v. 20. Quæ cogitatio elegans ſubminiſtrat *emblema*, quo πορνείας, tàm corporalis, quàm ſpiritualis contra Deum, indicetur 1. *forma*; eſt enim ebrietas quædam mentis. 2. *cauſa efficiens*, quæ eſt Diabolus præcentor; *& impulſiva*, cupiditas prava de quâ 1. Joh. 2. v 16. 3. *efficacia*; ut & ſani ac ſobrii rapiantur.

- dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit & porrigine porci,

Juvenalis. Itaque Charondas prudenter *pravæ ſocietatis* Actionem inſtituit, ac legem ſanxit: *Ne quis malorum conſortio uteretur!* apud Diodor. Sicul. Denique 4. *pœna*, exitium: Cyrillus Alex. in c. 1. Oſeæ v. 2. Meretricem vocat πέταυρον τοῦ θανάτου, καὶ θύραν καὶ ὁδὸν εἰς αὐτὸ τοῦ τὸ βαθὺ, καὶ λοῖσθον καταφέρουσαν σκότος, *petaurum mortis*, perticam aucupis, plenam laqueis, *januamque & viam in eaſdem illas profundas & extremas tenebras.* Sic

itur

itur ad orcum! Pinge ebriam mulierem coronatam ſerto florido, quæ ſiniſtrâ poculum teneat, dextrâ pone trahat modeſtam, vultu demiſſo; rapiatque ſaltabunda in profundam voraginem; appone, ſi vis, in tumulo ſtantem parvum Cacodæmonem, qui citharâ ludat. *Ubi Timor Dei hominem non cohibet*, σωφρονίζει ſobrium facit & ſervat *& in officio continet, ibi cum peccato Diabolus tripudiat & choreas ducit*, ait Gregor. Nyſſenus de Reſurrect. Chriſti Orat. 3. Sed de Radice nunc quidem ſatis.

II. Surculus, Nézer.

5. *Stipitis partem eſſe aut rami, & ratio vocis indicat & declarat uſus. Nam vox diminutionem notat à Suro. Surum palum dixére, priſci. Unde & ſura in homine. De uſu vero vocabuli quid? meminiſtin'; cujusdam uxor de arbore cùm ſe ſuſpendiſſet, quæſo, inquit vicinus, cedò ſurculum*, hæc Scaliger Exercit. 140. Jocus ex Cicerone & Quintiliano notus eſt: *amabo te*, inquit, *da mihi ex iſtâ arbore quos feram ſurculos.* Itaque à *ferendo* potiùs dictus videtur, ut *furca & ferculum* à ferendo. Nam Iſidori etymologia inepta: *Surculi* inquit, *à præciſione ſerræ nuncupati*, Origin. l. 17. cap. 6. *Surculus*, ut habet Fuchſius, *eſt quod ex ramis ſimplex ac individuum oritur, eſtque velut germen quoddam ex ipſo trunco vel caudice productum.* Lxx pro *Nezer* ἄνθος poſuêre, ut Vulgatus, modò *flos* modò *germen.* Hebraicum vocabulum ſignificat propriè tenerum virgultum, quod in arbore *ſervatur*, ſuccum-

p. 14



Sic itur ad Orcum.

J. a M. sc.



cumque ex eâ trahens fructificant, ein fruchtbarer Sproſſe/Tragzweig. Inſitus ab alienâ arbore adoptatur. *Omnis ſurculus omni arbori inſeri poteſt, ſi non eſt ei, cui inſeritur, cortice diſſimilis,* Columella l. 5. cap. 10.

6. Hinc *de Chriſto* nobilis Prophetia, Eſa. 11. v. 1. *Et egredietur* חטר *Choter Virga* ein Reiſe/ ῥάβδος, מגזע *Miggeza de ſtipite*, trunco ſucciſo, vom Stammen / *Iſai*, & *Nezer ſurculus de radicibus ejus*. Veteres Virgam à ſurculo, *florem* habent LXX. & Vulg. diſtinxêre: *Radix*, *familia Judæorum*; *Virga*, *Virgo Maria*; *Flos Mariæ*, *Chriſtus*, ait Ambroſius de Bened. Patriarch. cap. 4. Sed puto eſſe Hebræis uſitatam *epexegéſin*, ut poſterius, explicet prius. *Truncus* ad radices usque excíſus *familia Iſai eſt*, & Regia Davidis. Ex eo prodiit *Choter*, id eſt, *Nezer*, *Virga* ſive *ſurculus*. Nam *Choter Virga* etiam βακτηρίαν baculum ſignificat, ab arbore reſectum: *Nezer* autem *ſurculum*, qui non translatus, in arborem ſuccrevit, in locum parentis usque ad radices ſucciſæ. Ad hunc locum reſpexiſſe Matthæum cap. 2. v. 23. putabat Hieronymus, ad Pammach. itaque vertit: *Nazaræus de radice ejus creſcet.* Chaldæus habet: *Et egredietur Rex de filiis Jeſſe*, & *Chriſtus de filiis filiorum ejus ungetur*. Tandem *fit ſurculus arbor!*

Sic *de Eccleſiâ fidelium* Novi Teſtamenti Deus Eſai. 60. v. 2. *Populus tuus omnis juſtus erit, Nezer ſurculus plantationum mearum*, φύτευμα, *opus manuum mearum ad glorificandum me.* Sic Eſai. 61. v. 3. In utroque loco pro plantatione eſt *Mattah*, quo

voca-

vocabulo non actus inſitionis, ſed planta inſita ſignificatur, ein Pflantze. Aliâs *Nata*, quod Græci vertuut νεόφυτον. Elegans Electorum Imago. *Surculus* ſunt ab Adamo defractus, è Paradiſo ejectus, per ſe moriturus, niſi vivæ arbori inſerantur: *Inſitor* Deus, manu gratioſâ: *Arbor Vitæ*, Chriſtus, è quo vitalem trahunt ſuccum. *Rami reſecti*, ut in eorum locum adoptentur, Judæi, reprobi, ut Roman. 11. *Finis, proximus* vita ipſorum; *ultimus* gloria Dei, Philipp. 1. v. 11. *Non nobis, Domine, non nobis*! Pſ. 115. v. 1. *Soli Deo Gloria*! quod lemma huic emblemati addi debet. Nam quod inſerti & inſiti Chriſto vivimus, creſcimus, fructum ferimus, perſeveramus, & cuſtodimur;

Ut flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Quem mulcent auræ, rmat Sol, educat imber;

non ex nobis, Dei donum eſt, Eph. 2. v. 8. Joh. 5. v. 15. 1. Petr. 1. v. 5. &c. Ita facti ſumus *Plantæ, Natæ* Hebraicè,, *deliciarum ejus*, Eſa. 5. v. 7. *planta nominis*, hoc eſt, glorioſa, Exech. 34, 29. φυτὸν εἰρήνης LXX. filii Dei dilecti in dilecto, Eph. 1. 6. φίλτατ' ἔρνη *plantæ chariſſimæ*, ut filias ſuas Oedipus vocavit apud Sophoclem. Sic *plantæ pro liberis*, Pſal. 128. v. 3. & 144. v. 14. *vide Ravanell. in Planta.*

7. Elegans de Belſazaris Babyloniorum Regis cæde, & abjecto cadavere locus eſt Eſai. 14. v. 19. *Projectus es de Sepulchro*, ne regio majorum ſepulchro inferri poſſes, captâ Babylone à Cyro, cum cæteris occiſis in foveam aliquam abjectus es, lapidum ſuperinjecto cumulo, nec ſine execratione, de quâ ſepulturæ ignominiâ dixi V. 2. S. Analect. l. 1. cap.

cap. 26. *quaſi ſurculus abominabilis*, ὡς νεκρὸς, & ut apud Hieronymum eſt, ὡς ἔκτρωμα, ut abortivus partus, abominabilis, in montibus: *& ſicut veſtis occiſorum, qui ferro transacti ſunt*, multo polluta tabo; *qui deſcendunt ad lapides putei*, in foſſam abjiciuntur, ac lapidibus tumulantur: *& ſicut cadaver conculcatum*, putridumque, quod ſi quis attigerit, expiatione opus habebit. Multa hic memorabilia: ut præcipua obiter perluſtrem, locoque inſigni aliquid lucis adſpergam, Quæro: 1. *De quo loquatur Propheta?* De Nebucadnezare putant Hebræi & alii veterum. De eo fabulantur, quod *Evilmerodachus*, *inito conſilio eum captivo Rege Joakimo, patris cadaver, erutum ſepulchro, ne reviviſceret, in fruſta minutatim conciderit trecenta, totidemque avibus, cuique fruſtum, alligârit*, ut Haymo: vel ut alii, *trecentis vulturibus in eſcam objecerit. Crede*, inquit Cornelius à Lap. *trecenta hæc eſſe, non prodigia, ſed mendacia*. Sed de more tamen hoc, cadavera feriſque & avibus exponendi, mox aliquid. De Belſazare agi, occupata Babylone, occiſo, plures conſentiunt, & Prophetiæ circumſtantiæ indicant. 2. *Quid de illo?* non eſſe honeſtandum publico, regioque ſepulturæ genere, nec cadaver ejus illatum iri ſplendido majorum ſepulchro, ita diſertè h. l. v. 20. ne ullum extaret monumentum, ejus, aut *memoria nominis* tàm infamis; cujus causâ Reges & potentes ſumptuoſa ſolebant extruere *Mauſolea*, vide Job. 3. verſ. 14. 15. Eſai. 22. v. 16. 17. in quæ etiam *theſauri* abdebantur, *multaque ſupellex regia*, ut Jobi l. c. innui

B vide-

videtur, *de quo Pineda ibid. & multa Spondan. Cœmeter. Sacr. 102. 167. 239. &c.* 3. *Quid ergò?* An inſepultum projiciendum prædicit Propheta? videtur. Sic enim *ſurculus abominabilis*, evulſus terrâ, abjicitur, ut ſub dio computreſcat: Sic *fœtus abortivi* feris alitibusque exponebantur in montibus, aut locis aliis inacceſſis, ut Græci apud Hieronym. h. l. quin & ipſi infantes, quos tollere parentes & educare gravarentur, de quo crudeli more dixi in S. Analect. Volum. 1. lib. 1. cap. 9. Fuit hæc *Aſinina ſepultura* pœna Tyrannorum & perduellium, *Spondanus pag. 367. 387. & ſeqq.* quam & victorum inſolentia, odiumque vulgi implacabile, in hoſtes non raro exercuit. Hinc Darius exſpiraturus *ſepulturæ veniam orat* apud Juſtin. lib. 11. extremo, & Mezentius ad Æneam:

Unum hoc, per ſi qua eſt victis venia hoſtibus, oro;
Corpus humo patiare tegi! &c. 10. Æneid. v. 904. ubi la Cerda & Spondan. p. 136. 137. Sic Ægyptii in defunctos Reges quæſtione inſtitutâ, ſi malè regnaſſe convicti eſſent, regiâ ſepulturâ indignos judicârunt, cadaveraque contumelioſè tractabant, apud Diodor. Sicul. &c. Potior tamen opinio, cum aliis interfectis Regem Babylonium in foſſam, funere tumultuario, abjectum, & lapidibus tumulatum. Sic enim cæſorum cadavera, cum exuviis perfoſſis & cruentatis humari ſolebant: hæc enim ſpolia cùm *campus*, ut ajunt, *colligeretur*, ut abominabilia, nemo carpere amabat. Ita *tralaticiæ humanitatis fuit,*

fuit, ut ſi quis cadaver inſepultum offenderet, *lapidaret*, aut *ter injecto pulvere*, religioni ſatisfaceret, Petron. in Satyr. ubi *Gonſal. in Comm.* pag. 293. *De funere translaticio* Suetonius & ex eo *Kirchmann.* l. 1. cap 4. Denique & illud ſcitu non indignum, 4. *quâ causâ ita vel abjectus, vel raptim humatus fuerit Rex Babylonius? Barcæi*, Heſperia gens, morbo abſumptos igni comburebant; ſed qui in bello fortiter occubuiſſent, honoris gratiâ, *Vulturibus devorandos objiciebant*, Ælian. hiſt. Anim. l. 10. Sed & aliæ nationes τάφους ἐμψύχους amabant: *Parthi* inprimis, & *Perſæ*, more ex Majorum inſtitutis recepto, non ſolebant oſſa ſuorum humare *priusquàm à feris & avibus eſſent dilaniata: beatos prædicabant, quorum cadavera quam citiſſimè devorata eſſent; ſi qua diu jacerent intacta, eorum animas, quaſi in orci culum præcipitatas, magno luctu deflebant propinqui*, ut apud Agathiam eſt, vide Spondan. p. 370. Verum hæc Magorum ſuperſtitio Cyri ævo nondum orta erat: & apud ſaniores barbaros ac animalibus diſcerpi cadavera, fœdum ſemper ac miſerabile creditum fuit. Hac ignominiâ affectus *Piſtor Regius in Ægypto*, Gen. 40. v. 19. & *Græcorum Duces, qui Cyro juniori militaverant*, Plutarchus in Artaxerxe; & *Beſſus Darii ultimi parricida, cadavere poſt diros cruciatus fruſtillatim conciſo, ac particulis paſſim diſperſis*, Diodor. Sicul. &c. Tale quid Belſazari accidiſſe veriſimile, traheretque hoc pacto fabula illa Hebræorum, de quâ dixi, aliquid ex vero. Et videtur Propheta indicare, non id eveniſſe Cyri

in hoſtem, ſed Babyloniorum in Tyrannum odio; quod luxu & ignaviâ perditus regnum evertiſſet, urbemque ac populum tantæ cladi expoſuiſſet, *vide v. 20.* De *ſurculo abominabili* mox aliquid addam.

8. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur*, Matth. 15. v. 13. *Familiare eſt ſacris literis homines plantis comparare, & eorum in hoc mundo conſtitutionem plantationi, Eſai. 5. v. 2. Jerem. 2. v. 21. cap. 12. v. 2. Amos. 9. v. 15. ita* Franc. Lucas Brugenſ. qui putat *de Phariſæis* ſermonem fieri, *qui, quamvis virentibus fictæ ſanctimoniæ foliis ornati, tamen non ſint plantatio cœleſtis.* Itaque exponunt *Cornel. à Lap. & Maldonatus*, qui in hunc ſenſum allegat *Hieronym. h. l. Proſperum de Vocat. Gent. l. 1. cap. 6. &c.* Sed Hieronymus indicat à Manichæis eſſe, qui *duas Naturas*, duo principia æterna *introducunt*, à quibus alii boni, alii mali ſint homines; hi eradicandi: illi verò non. Ait autem: *iſta plantatio in voluntate proprii arbitrii eſt.* Quia nempè, ut explicat Proſper, *Bona Voluntas ſuperni agricolæ prima plantatio eſt; omnium virtutum germen primum.* Quod contra Pelagianos & Synergiſtas notandum. Non igitur *de Perſonâ* Phariſæorum, ſed *de pravitate* voluntatis & *doctrinæ* loquitur Dominus: de doctrinis hominum & Traditionibus illis, de quibus v. 2. 4. 9. *Nam Pater cœleſtis non plantaverat has doctrinas hominum, de non ſubveniendo parentibus, propter oblationem in Templo faciendam; nec præceperat lotis ſemper manibus edere*, ut rectè Soarez

Epi-

Epiſcop. Connimbric. in Matth. 15. Tract. 1. *Ita plantam multi bonique authores doctrinam interpretantur, ut Theophilus Alex. Epiſt. 1. Paſchali, Hilarius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, ut ait ipſe* Maldonatus. Tales humani cerebri inventiones ex horto Dei concluſo eradicandæ; ſunt *Nezer* נתעב *Nithabb, abominabilis ſurculus,* putris, vermiculoſus, venenoſus, quem ſupernus ille agricola oculis tueri & tollerare nequit. Quantumvis cœcis illis & cœcorum ducibus videantur eſſe *plantatio amœnitatum*, id eſt, *pulchra*, ut Theodotio vertit; *bona*, ut Symmachus; *fidelis*, ut Hieronymus, quem vide *de Judaicâ Doctrinâ* explicantem, Eſa. 17. v. 10. 11. *de quo ſuo loco.*

III. Stipes, Truncus, Caudex,

9. Differre hæc notat Scaliger: *Stipes ubi truncatur, truncus eſt. Veteres lignatores, amputatis ramis. ab ſeſe relictum dicebant truncum,* Exercit. 140. *Truncus caudicis pars inferior eſt, radici vicinior: ſivè quæ truncatis ramis ſupereſt,* Dodonæus, Sed diſcrimen hoc nec Cicero, nec Columella, obſervârunt. Hinc proverbia *in ſtultum; ſtipes, caudex, truncus, aſinus, plumbeus, &c.* Sic quoque Græcis στέλεχος, *κορμὸς τοῦ ξύλου*, apud Heſychium: quamvis prius nomen habeat *ſtipes* παρὰ τὸ στερεὸν poſterius *truncus*, ἀπὸ τοῦ κείρεσθαι. Ita Hebræorum *Geza* alii à truncando vertunt, *truncum*; alii quod *pes* ſit arboris, ut Tremellius Job. 14. v. 9. *ſtipitem.*

Verba Jobi l. cit. ſic ſonant: *Arbori ſpes ſupereſt,*

eſt quamvis reſecetur: adhuc enim innovabitur, repullulabit, *nec deſinet* tener & lactens ſurculus, propago: *Quamvis ſenuerit radix ejus in terrâ, & ſuprà in pulvere* exſucco *moriatur ſtipes ejus; tamen ab odore aquæ regerminabit, ramumque* aut ſegetem frondium *faciet, ſicut novella planta.* Homo cùm obiit, quo abiit; *illuc unde negant redire quenquam. Abiit, reverti debet.* Non negat reſurrectionem, ſed reditum in hanc vitam. Similis eſt Moſchi Poëtæ Græci querimonia, Idyll. 3. verſo obiter:

Eheu, malva quidem ſi fortè exaret in horto,
Aut apium viride, aut criſpantis germen anethi,
Viviſcent tamen, atq; alium naſcentur in annum:
At nos tam magni, tam fortes, tam ſapientes,
Quàm primùm occidimus, ſurdi tellure ſub imâ,
Dormimus longum, ſine fine, in ſecula ſomnum,

Nobis cum ſemel occidit brevis lux, Nox eſt perpetuò una dormienda, *Catull.* Eſt itaq; Arbor quoq; *Bonæ ſpei* hieroglyphicum, quæ vel ſuccisa, *ab odore regerminat undæ.* Pinge arborem impactâ ſecuri jam jam caſuram, cujus radicem è cavo ſaxo exiliens fontis rivulus irriget, & adde lemma ex illo *Accii*, aut quicunque fuit Latinus Apologorum Æſopiorum Scriptor Anonymus:

Speret, qui metuit. *Morituros vivere vidi*
Spe duce; victuros ſpe moriente mori.

vide Pſalm. 1. v. 3. & 92. v. 13. 16. Prov. 24. v. 16. Jerem. 17. v. 7. 8. Joël. 3. v. 18. Apocal. 22. v. 1. 2. *Laurus cum trunco inaruit, reciſa etiam lætiùs fruticat. At fici radices longiſſimæ, & ſenectus ocyſſima*, ut docet

p. 22



Ab odore regerminat undæ.

J. a M. sc.



docet Plinius, l. 16. cap. 31. Sic eſt bonorum gloria, & improborum voluptas. *Proſtratas*, ait Idem ibid. *reſtitui plerumq; vulgare eſt.* Id prodigio eveniſſe, *oſtentumque fuiſſe fauſti ominis*, exemplis demonſtrat cap. 32.

10. Summam Dei majeſtatem, Deaſtrorumque Gentilium extremam vanitatem deſcribens Eſaias cap. 40. inter alia v. 22. & ſeqq. Sic ait: *Ille, qui ſedet ſupra orbem terræ, coram quo omnes ejus habitatores ut locuſtæ: qui extendit cælos velut tenuo conopæum.* Tremell. velut telam tenuiſſimam, *Vatabl.* velut cortinam *Pagnin.* wie ein dünnes Fell / *Luth. &c. & expandit eos quaſi tentorium ad habitandum: Qui redigit in nihilum Dominatores*, Secretorum ſcrutatores, Vulgat. *& Judices terræ ſicut inane facit: ut ſint veluti non plantati, non ſati, quorum truncus non radicatur in terrâ: Itaque dum tantum afflat, exareſcunt, & veluti ſtipula à turbine auferuntur.* Multa hîc notatu digna: 1. Quod omnes orbis incolæ *locuſtis* comparentur. Sic Menippus Lucianicus, *ntcrroganti Amico*, cui narraverat, quomodò ab orbe Lunæ, eò ſubvectus, terram tam puſillam deſpexiſſet; *urbes cùm incolis quantæ ſibi viſæ eſſent? Puto*, inquit, *te formicarum cœtum non rarò ſpectaviſſe obambulantium, exeuntium, redeuntium: quarum aliquæ fimum egerebant fortè: aliæ raptam fabæ tuniculam aut granulum aliquod arroſum & dimidium curſim apportabant. Eſt autem vero conſentaneum, eſſe apud formicas, pro ratione vitæ Reique Publicæ earum, aliquos architectos, & Demagogos, & Magiſtratus, & Muſicos, & Philoſo-*

loſophos. His igitur myrmeciis urbes cum civibus ſuis videbantur mihi maximè aſſimiles, &c. in Icaro Menippo T. 1. pag. 681. Graviter Seneca l. 1. Quæſt. Nat. præfat. *Hoc eſt punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur. O quam ridiculi ſunt mortalium termini! & ſi quis formicis dat intellectum hominis, nonne & illæ unam aream in multas provincias divident? Cùm te in illa verè magna ſuſtuleris, quoties videbis exercitus ſub rectis ire vexillis, & quaſi magnum aliquid agatur, equitem modò ulteriora explorantem, modò à lateribus affuſum, licebit dicere:* It nigrum campis agmen! *Formicarum iſte diſcurſus eſt, in anguſto laborantium. Quid illis & nobis intereſt, niſi exigui menſura corpuſculi? & plura* in hanc rem. Hieronymus: *Si toto orbe conſideramus varias nationes, ab Oceano uſque ad Oceanum, id eſt, ab Indico mari uſque ad Britannicum, & ab Atlantico uſque ad Septentrionis rigorem, in quo congelaſcunt aquæ, & ſuccina pulchra concreſcunt; omne in medio hominum genus quaſi locuſtas habitare cernimus. Quid igitur ſuperbit terra & cinis;* in Eſai. l. cit. Chryſoſtomus: *Adſcendamus in illam cœli altitudinem, ita vigebimus homines nihil differre à formicis: neque ego de pauperibus tantùm dico, aut & de divitibus: Verùm etiamſi dux aliquis ſit exercitus, aut rex, ibi nec regem videbimus, nec privatum: quid aurum, quid argentum, quid veſtis ſerica aut purpurea ſit, neſciemus. Denique in illâ altitudine confidentes, quaſi muſcas videbimus omnia, &c* homil. 16. in cap. 9. ad Hebræos. Elegantis ſymboli materia, ſed ad S. Zoologian pertinent. *Heu quantum eſt in re-*

in rebus inane! Pergamus, 2. Cœlum *cortinæ* aut telæ tenuiſſimæ comparatur. In fonte eſt vocabulum דק *dok*, & ante verſ. 15. *dak*, ubi LXX. *ſalivam* aut *ſputum* interpretati ſunt, ut h. l. *Cameram vel fornicem. Ajunt autem Hebræi, hoc verbo ſignificari tenuiſſimum pulverem, qui vento raptante ſæpè in oculos mittitur, & ſentitur potiùs quam videtur: minutiſſima ergò fruſta pulveris & penè inviſibilia, hoc verbo appellantur: quas forſitan Democritus cum Epicuro ſuo atomos vocat,* Hieronymus h. l. Vulgatus itaque habet: *Extendit nihilum cœlos.* An cœlum ſit tenuiſſimum, liquidæ ſubſtantiæ & penetrabilis? non pertinet ad hunc locum. Tractavit præter alios quæſtionem hanc multis, & in partem affirmativam decidit *Caramuel Lobkowiz, lib. 3. Metaphyſ. Diſſ. 1. de Formis Cœleſtib. p m. 188. & ſeqq.* Mitto alia; venio 3. *ad truncum ſucciſum,* Hieronymus παραφράζει *Principes & Judices terræ nec ſati ſunt, nec plantati, nec firmâ radice ſolidati, & repentè juſſione Dei ita auferuntur & pereunt, quaſi ſtipula â turbine & tempeſtate raptatur.* Sunt igitur ſimiles ingenti magnæ arboris trunco, habentque coram hominibus ſpeciem firmæ ſolidæque poteſtatis & dignitatis: Sed vide vanitatem; ſucciſi ocultâ divinæ ſeveritatis ſecuti, ſtant nullâ nixi radice, ut qui neque ſati neque plantati, caſu aut ſponte ſe evexerint & erexerint in iſtam celſitudinem. Loquitur enim *de Tyrannis*, ut vocabulum *Roznim* vertit Vulgatus Habac. 1. v. 10. quos hic vocat *ſecretorum ſcrutatores*, arcanorum ſtratagematum

politicorum, & *rationis ſtatus*, peritos; quâ ita nituntur & ſtare ſe firmiter confidunt, ut Deo audeant medium oſtendere digitum. - *cœloque minentur*, 2. Maccab. 9. v. 10. Hinc ergò repentinus ſæpè caſus. *Ubi eſt Xerxis ille innumerabilis exercitus? ubi Iſraelitica in eremo multitudo? ubi Regum incredibilis potentia? Quid de veteribus loquor? præſentia exempla nos doceant, eſſe Principes quaſi nihil, & judices terræ quaſi inane reputari*, ait Hieronymus h. l. Confer Dan. 2. verſ. 35. Videant an radicem habeant? & quam firmam? Maxima regna, niſi nixa ſint Deo, uno oris ejus flatu auferuntur, ut vento panicula tectoria: Etiamſi altiſſimas radices egiſſe credantur.

Ut quando exorto ventorum turbine, paſſim
Horriſono impulſu, radicitus eruta terrâ
Multa cadit quercus: latè hinc ſternuntur & illinc
Robora per ſylvas; regio circumfremit omnis,

ut eſt apud Cointum Smyrnæum lib. 11. verſ. 122. *Magna cadunt ſubitò*. Plura ſuo loco *de Cedro & Quercu*.

IV. Cortex.

12. *Cordex* dictus eſt, quod corio lignum tegat. Liber eſt pars corticis interior, dictus à liberato, id eſt, ablato cortice *Iſidorus Etymol.* l. 17. cap. 6. Ita Græcè κέλυφος quaſi κάλυμμα. Item φλοιός, à φλῶ, φλεῖν emittere, abundare &c. Φλοιὸν *corticem diſtrinxit faber materiarius*, Sap. 13. v. 11.

v. 11. Aliis *duplex* eſt, ut Sambuco; aliis *unicus* craſſior, cujus *pars exterior* aſpera, inæqualis, & non rarò rimoſa: *interior* levis & æqualis: quæ tunica à tuendo, & propriè liber dicitur, quibus ſcribimus libris dedit nomen *Dodonæus*. Obducuntur autem trunci, *ut ait Cicero*, libro aut cortice, quo ſint à caloribus & frigoribus tutiores. Hinc deliberati aut decorticati caudices ferè emoriuntur: quod vitæ principia amittant, & tutamentum adverſus externa nocumenta. *Baptiſta Porta Villæ l. 4. cap. 42.* De quo Plinius: *Cortice in orbem detracto necantur, excepto ſubere, quod ſic etiam juvatur. Craſſeſcens enim præſtringit & ſtrangulat*, l. 17. cap. 24. Hinc jurat Achilles per ſceptrum, quod nunquam poſſit regerminare, eò quod ferrum undique circum abſtulerit φύλλα τε καὶ φλοιὸν, Iliad. 1. Hinc lux aliqua ſcripturæ locis nonnullis.

12. *Joel.* c. 1. v. 7. de Locuſtarum exercitu ait: *poſuit ficum meam Likzaphah, in ſpumam*, i.e. ita decorticavit, & ut Propheta ſe ipſum explicat, *nudando denudavit*, ut detracto cortice ebulliat humor radicalis, in ſpumam concreſcens. Chald. *poſuit ficum meam in exhalationem animæ*, vide quæ in h. l. notavi in comment. Anno 1640. *Symbolicè* Gregorius M. 8. Moral. cap. 30. m. *Mens quæ per jactantiam proditur, decorticata ficus rectè vocatur: quia & candida eſt & per hoc quod cernitur, & ſiccitati proxima per hoc quod tegmine corticis nudatur.* Cortex bonæ mentis, quâ virtutes tegit & tuetur, humilitas eſt, celans bona intus abſcondita, & neſciens ſua. Hanc ſi locuſtæ infernales detra-

traxerint, apparet quidem candor ſanctimoniæ, ſed exſudat vitalis humor gratiæ cœleſtis. In quam ſententiam plura *vide ibid.* & citat ex S. Scripturâ Matth. 6. v. 3. 4. 6. & Pſal. 45. v. 14. *Occultanda ſunt ergò, quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere portantes incaute, latrocinantium ſpirituum incurſione perdamus*, ibid. - *nudata peribit.* Confer glorioſum Phariſæum Luc. 18. v. 11. 14. *Honeſtatis fructus melius in conſcientiâ reponitur, quàm in famâ*, ait Macrob. ne nobis accidat, *quod gallinis, quæ mox, ut ova pepererunt, clamore ſuo dominos excitant, qui ova edita illis auferant*, ut habet Auguſtinus, vide in Pſal. 98. & 102. Sic *Teſtudo* ſub tegmine tuta eſt; quaſcunque partes exſerit, & nudat, obnoxias habet, Livius l. 46. *vide acerram meam p. 217. Tecum habita! - ſic tuta latebo. Qui bene latuit, bene vixit. Qui notus nimis omnibus, ignotus moritur ſibi. De Subere.* in Quercu.

13. *Jobus* de famelicis: *carpebant herbam, Maluach* μαλάχην malvam, ſie raufften Neſſeln/ *circa frutices* & virgulta natam, *mandebant arborum cortices*, quod vulgato interpreti puto ut gloſſema inſertum, *& radix Juniperorum*, aliarumque amararum ſtirpium, *erant cibus eorum*, Hebr. *panis*, cap. 30. v. 4. *Interpres voluit ſignificari aliud genus cibi barbarorum & ſylveſtrium hominum, nempè cortices arborum*, ait Pineda: Sed *Plinium lib. 16. cap. 9.* non meminiſſe hujus uſus corticum. Anno 1636. quo tempore horrenda fames Germaniam trans Rhenum premebat, repertum fuit cadaver hominis, ad arborem militum immani ſævitiâ alligati, qui cùm arboris cortices quâ

quâ licuit circumroſiſſet, tantem

Ipſe ſuos artus lacero divellere morſu
Cœpit, & infelix minuendo corpus alebat,

ut apud *Ovidium* Eriſichthon: qui

-famam lapidoſo vidit in agro,
Unguibus, & raris vellentem dentibus herbas.

Sic in exercitu Campyſis *famem ſuſtinebant tenerima frondium, & cacumina arborum,* Seneca l. 3. de Irâ cap. 20. Apud Orientis gentes quasdam *ſub arborum libris & corticibus reperiri farinam, prædicant, quæ præbeat incolis pulmenta cibariaque ſuavia,* Bruyerin. de Re Cibar. l. 2. cap. 4. qui cap. ſeq. docet in Americâ *ex radicibus panes* confectos: quod & alibi, ubi nullæ fruges, non inſolens. *Fennis*, ait Tacitus in German. ad fin. *mira feritas, fœda Paupertas: victui herba, veſtitui pelles, cubile humus.* Sic in Arabiæ deſertis panes fortè conficiebantur, ex radicibus, aut molliori cortice fruticum, toſtis & arefactis. Per hos famelicos Jobi irriſores *ſymbolicè* intelligit Gregorius M. *hæreticos*, qui quaſi ſolos rodunt S. literarum cortices, ad medullam non pertingunt. *Vitrum lambunt*, ut Vulpes Æſopia, *pultem non deguſtant*, vide l. 20. Moral. cap. 11. *De Rizophagis & Hylophagis Æthiopibus* Diod. Sicul. l. 3. *De Virgis Jacobi decorticatis*, Gen. 30. verſ. 37. ſuo loco.

V. Rami, & frondes.

14. Ramus *arboris*, de quo alto dicetur loco, *filius* eſt, Gen. 49. v. 22. neque hoc, quod *Ben* Hebræis

bræis aliquandò ramum ſignificet, *Rabbini Kimchi commentum eſt*, ut in h. l. notat Bonfrerius. Manifeſtè enim comparatur Joſeph à Patre Jacobo cum *ramo bifido*, vide Gen. 48. v. 5.16. *qui ad fontem* divinæ benedictionis *creſcens*, aquasque jugiter è ſummo cœlo, imâque terrâ hauriens Gen. 49. v. 25. *valdè fœcundus* ſit futurus, *ut Banoth filiarum ejus*, frondium puta & teneriorum ramuſculorum, *quæque ſuper murum ſit ſcanſura*. Quò poſteritatis Joſephi, & inprimis Tribus Ephraimiticæ præcellens amplitudo, ac nobilitas pulchrè adumbratur. Sic locum hunc apud ipſummet Bonfrerium interpretatus olim eſt Chaldæus: *Filius, qui benedicetur quaſi vitis, quæ plantata eſt juxta fontem aquarum.* Sic uſus eſt eodem vocabulo, *Ben*, David: *viſita vitem hanc*, וכנה *vecannah & ſurculum*, viviradicem, *vitiarium* diſpoſitum, *quod dextera tua plantavit, & Ben filium*, ramum, palmitem, *quem roborâſti*, Pſalm. 80. v. 16. Pulchrè Beza in Paraphraſi:

O Potens belli Deus,
Nos reverſus reſpice!
Hancq; vitem cœlitùs
Intuêre dirutam.
Pergulam, inquam, reſpice,
Dextra quam ſevit tua,
Viq; adultas hinc tuâ
Solius propagines.

Sed & illud notandum, *Filium* Hebræis frequenti methaphorâ dici, quicquid quocunque modo ex aliquo oritur, &c. ita frumentum vocant *filium*

filium areæ, ſagittam *filium*, *filiamve arcus*, aut *pharetræ*, navem *filiam maris*, pupillam *filiam oculi*, vide *Flacium & Ravanell.* Denique non ſimpliciter Joſephum dicit Jacob, *filium;* ſed cum addito, *Porath*, q. d. *fœcundæ* ſcil. vitis, aut arboris, quæ ad fontem creſcens in murum adſcendat. Hæc *vitis pergulanæ* deſcriptio eſt. Imago elegans Regni, Reive Publicæ, florentium ac optimè conſtitutorum. Adſcribi poteſt: *Pietate & Fortitudine! Fons* omnis benedictionis Dei verbum eſt. *Vitis pergulana* Hierarchiam Eccleſiaſticam; *murus* Politicam, indicant. Sed de his in *Vite.*

15. *Rami* alii ſunt *nativi*, alii *adoptivi* per inſitionem: ubi - *ramum ramus adoptat.* Ita, ut apud Palladium eſt l. 14.

Fœcundat ſterilis pingues oleaſter olivos,
Et quæ non novit, munera ferre docet.

Sic rami κατὰ φύσιν fuerunt Judæi Oleæ, cujus radix erat Chriſtus; at Gentes, ex oleaſtro decerptæ, huic inſititii παρὰ φύσιν, Rom. 11. v. 24. Unde intelligi poteſt illud Apoſtoli: *Si radix ſancta, etiam rami*, ibid. v. 16. *Radix enim Chriſtus eſt*, v. 17. 18. in quo & per quem, quotquot per fidem inſiti, ſancti ſunt ſanctitate internâ, imputativâ & inchoativâ, *ſic D. Weller. in h. l.* validè probat. ſin per radicem SS. Patres, & per ramos eorum poſteros intellexeris; de eccleſiaſticâ ſanctitate ſermo erit, quæ in eo conſiſtit, ut tales poſteri in eccleſiâ nati, privilegium habeant conſequendæ internæ ſanctitatis: jus
in

in rem, non in re: non poſſeſſionem actu, ſed potentiâ acquirendi, &c.

16. *Ramus alius tener* & novellus, alius *robuſtus*, & incurvus eſt, vel *inſtar vectis rectus* & oblongus. De his Jobus ejusque amici; ut cap. 15. v. 30. 32. Eliphaz de impio nunquàm diu aut ſemper felici. *Nam vel non recedet à tenebris unquàm*, ſed in radice quaſi extinctus ſub terra latebit; *vel ſi ſurculum, Jonéketh*, tenerum & lactantem palmitem *emiſerit*, *tamen flamma*, fulguris & fulminis, vel æſtus ſolis ipſius, amburet, & *exſiccabit*, *ac flatus oris ejus*, quod flammæ tribuitur eleganter, ita *abſumet*, ut evaneſcat: *Denique* ante diem, *tempore non ſuo*, *peribit*, *& quamvis ramum habere videatur robuſtum*, *Kippa*, *tamen non virebit*, florebit.

Bildad cap. 8. v. 16. aliam adfert ſimilitudinem, de qua variant Interpretes. Mihi videtur quod Vatablo, & Coccejo, comparationem inſtitui inter ſortem piorum & impiorum; hoc ſenſu: quanquam impii hypocritæ citò & altè *creſant veluti juncus* papyrus *carex*, quæ paluſtres plantæ multo humore luxuriant; tamen, *licet non ſuccidantur*, *dùm in vigore ſuo ſunt*, ut herbæ fœniſecio cæteræ, *ante omnes herbas virides*, *areſcunt ſubitò*, ſiccatis aquis: at pius eſt qualis herba *illa ſuccoſa*, in horto plantata, ubi etiam *in æſtu*, *& conſpectu ſolis* torridi *duret*, *teneroſque emittit ramulos*, ſurculumq; *Jonékes* in horto fert non unum. Quid ita? *Radices ejus inter ſe implicantur ſuper cumulum lapidum*, ſub quo *fons eſt*; *domumq; lapidum adſpiciunt*, id eſt, loco lapi-

doſo

doſo ſtat talis herba, ſub quo humorem latentem ſol non adeò facilè ebibit: *quod ſi* evenerit, ut *quis* transplantaturus, talem *evellat è loco ſuo, ut jam non agnoſcat eam locus, ac quaſi vidiſſe unquam neget; tamen ecce hoc gaudium eſt via ejus*, hoc eſt de quo in ſuâ conditione lætetur, *quod radices ejus de alio pulvere germinabunt*. Ita Deus *neque integrum reprobat*; ſed velut utilem plantam curat & conſervat; *neque improbos juvat*; ſed velut inutiles ulvas & paluſtres herbas deſpicit, ut dum adoleſcunt, areſcant. Puto hanc ſententiam eſſe hujus loci, ut *impii* ſpeciosè tumentes & florentes, pleni faſtus, ex abundantiâ bonorum fugacium, *paluſtribus*; *pii*, quamvis humiles, tamen utiles, *hortenſibus plantis* comparentur. *Diſpar fortuna duorum!* Mali neglecti areſcunt; boni electi creſcunt. So gehts Böſen/ und den Frommen/ jene welcken/ dieſe kommen.

Idem Bildad cap. 18. v. 13. diras omnes in impios hypocritas evomens, ut Jobum excruciet, inter alia ſic ait: *Comedet Baddi ramos oblongos & q. vectes cutis*, corporisque *ejus; comedet* inquam *hos ramos ejus Primogenitus mortis*; non mors ſimpliciter, nec *Angelus mortis*, aut Princeps ejus, ut Chald. & alii; ſed inter filios ejus fratrum præcipuus, vi & ſævitiâ valentior cæteris, &c. R. Abraham Peritſol, *per ramos venas & arterias intellexit*. Der Todt ſoll ihm alle Adern und Nerven freſſen/ ꝛc. Dira imprecatio!

17. Memorabilis *de Ramo hiſtoria* legitur Judic. 9. v. 46. Captam exciſamque rebellem Si-

chemam cum vicini Turris Sichem incolæ acce-
piſſent, loco diffiſi, in Fanam *Baal berith*, naturâ
& arte munitum, ſe receperunt: Spe freti, ſe
DEI ſui numine locique religione tutiores fore.
Abimelechus Tyrannus ubi id comperiſſet, è ve-
ſtigio exercitum omnem ſequi juſſit: ductisque
in proximum montem Salmonem, cui arborum
opacitas, umbræque denſæ nomen fecerant, mi-
litibus edixit; facerent ſinguli illicò, quod ſe fa-
cientem vidiſſent. Tùm arreptis ſecuribus ra-
mum unum & alterum ab arboribus abſcidit,
faſcemque lignorum colligatum impoſuit humero,
rectâque contra Fanum illud tetendit: Du-
cis exemplum ſecuti ſunt milites, ita momento
ingens materia congeſta, ſubjecto igni flagrans,
fumo flammâque obſeſſos extinxit. Tandem
tamen crudelis Imperator fortunam ſuperbiùs
ſollicitans, finem ſceleribus ſuis dignum, inve-
nit. *O turpe fatum! fœmina necis author fertur*,
ut exclamem cum Senecæ Hercule Oetæo.
Multa in brevi narratione quæſitu notatuque
digna: *Geographicum*; ubi *Turris Sichem?* an
in ipſâ urbe, ut mox turris *in Thebets?* an extra
in pago, aut oppido vicino *Mello? Philologi-
cum*; Quis ille *Baal berith*, id eſt, *DEUS fœderis?*
an Jupiter Ὄρκιος; *Politicum*; an Imperatorem
deceat exemplo præire militibus, ut ad ſubeun-
da pericula habeat promtiores? & an laudan-
dus Abimelechus, quòd gregarii militis officia
ac partes ſuſceperit? Sanè infelix temeritatis
eventus, monuit verum eſſe vetus verbum: *in
ſane periculum eſſe faciendum, non in Imperatore:*
u

ut meminit Polybius; ex uno capite ſalus pendet omnium, quod & Davidi dictum, cùm ipſe adverſus rebellem filium ſe periculis objectare cuperet, 2. Sam. 18. verſ. 3. &. 21. v. 17. *In milite unius ſors eſt; in Imperatore univerſorum periculum*, ait Egeſippus. Sic ſaxo quoque capiti impacto periit Argis *Pyrrhus* manu muliebri, & Saxonum Rex *Hermannus* arcem quandam oppugnans ignoto latens habitu, apud Aventin. Itaque *non laudo* Abimelechum, quod in oppugnatione caput offerret diſcrimini; *laudo* tamen quòd ad oppugnandum præiret, exemplumque oſtenderet. Sic illud Claudiani præceptum accipio.

ſolabere partes
Æquali ſudore tuas; ſi collis iniquus,
Primus ini: Sylvam ſi cædere provocat uſus,
Ne pudeat ſumtâ quercum ſtraviſſe bipenni,

In 4. Conſul. Honorii: quod noſter hic executus eſt. Hic *Theologicum emblematicum*; pictâ hac hiſtoriâ, de monte contra Sichemam deſcendentis Regis, impoſito humeris arboris ramo, quem milites ſequantur eodem habitu: - *animat præſentia Regis*: & ut Lucanus de Catone dixit - *monſtrat tolerare labores, non jubet.* Nam ut Latinus Pacatus, *blandius jubetur exemplo.* Sic fecit Archiſtrategus noſter Jeſus. Matt. 16. v. 24. Joh. 13. v. 15. Poſſem plura addere notabilia, ſed ea apud Commentatores h. l. inprimis Gerarium quæri debent. *Grammaticum*, quod

 hujus

hujus loci proprium, non licet omittere: an שוכת עצים *Socath Ezim* ramum arboris ſignificet, an potius faſcem lignorum? credo hoc potius.

18. A ramis varia proverbia ducuntur: 1. *Felices ramos ſuos longè lateque diffundunt*; Oſe. 14. v. 16. *Ero*, inquit Dominus, *Iſraëli veluti ros, florebit ſicut lilium, & ſparget radices ſuas*, ut terram quaſi percutiant hinc indè novis emiſſis propaginibus, ſeine Wurtzeln ſollen ausſchlagen Lutherus, *ſicut Libanus: Ibunt rami ejus*, teneri & novelli, *Jonkot*, creſcent ſeque diffundent; *& erit quaſi olivæ gloria ejus, & odor ejus ut Libani.* De lilio & oliva ſuis locis: *De Libano* quæritur, *quid ſignificet?* Vulgatus Interpres Cant. 4. verſ. 11. pro *thure* accepit: *odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Sic h. l. Chaldæus: *odor ejus ut odor incenſi aromatum.* Sed benè Chriſtophorus à Caſtro: *In Hebræo duo nomina ſunt, quæ licet vulgatus commiſceat; apud alios tamen interpretes diverſa ſignificant.* Nam Lebonah *ſignificat thus, &* Lebanon *montem Libanum, quòd thure copioſus ſit*, Fuit etiam *ſaltus Libani* prope Jeruſalem, ubi Salomon domum magnificam ædificavit, 1. Reg. 7. v. 2. ad quem forte reſpicitur. Ergò per Libanum indicat metonymicè τὸ φυτὸν τοῦ λιβάνου, ut Cyrillus; *arbores Libani, quæ quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radices in ima demergunt, ut nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole conſiſtant*, ut Hieronymus, exponunt. *Libanus montem ſignificat cedris, q. quibusdam ſer-*

tis,

tis, redimitum, Theodoretus h. l. *Percutient radi-ces ſuas huc illuc, longe lateq́ue, ſicut arbores Libani; quæ magnæ ſunt & radicis earum multæ: Sic erunt plantati in terra ſua & dabunt radices validas, ut nequeant avelli à loco ſuo*, ſic R. Kimchi: Loquitur de Eccleſiâ fidelium electorum, Plura de Cedro & Vite. Interim pulchrum *Eccleſiæ emblema* notandum: *Mons* eſt perenni *rore* cœlitus rrigatus *gratiæ DEI*, quam jugem *cœli*, id eſt *Apoſtoli*, Pſalm. 19. v. 1. Eſai. 45. v. 8. depluunt Verbo Evangelico: Hinc tot *floribus* ſemper rernat *virtutum; radices fidei* altas agit, & latè liffundit; ſemper ſtat inconcuſſa, ſeque propagat, & viret ut olea, odoremque per Spiritum ſanctum ſpargit, Cant. 4. verſ. 16. 2. Corinth. . verſ. 15. Philipp. 4. v. 18. &c. - *Cœlo irrorante erennat.*

19. Contrà, 2. impii ita exſcinduntur, *ut tollatur caput & cauda, ramus & juncus, Kippa veagmon: amus incurvans*, fructibus gravis, *& refrenans*, uo ruſtici jumenta frenare ſolent, Vulgatus interpr. Corn. à Lap. Aſt und Stumpff habet D. Luerus: Lxx. ad ſenſum reſpiciunt, & vertunt ἔγαν καὶ μικρόν. *Kippa* ramum curvum ſignifiat, & per Synecdochen partis, totam arborem uctibus onuſtam, cui potentes & primates, ſeectute & dignitate venerabiles comparantur, tim *verſu ſeq. juncus* vel tenues & inanes virilas ſignificat per Catachreſin, vel propriè herm paluſtrem notam, de quâ ſuo loco: & huic niles ſunt Pſeudoprophetæ, vide Eſ. 9. v. 14. 15. . 17 & cap. 19. v. 15.

20. Jam, 2. cùm Reſpublica decrevit, populi multitudine ad paucitatem redactâ, tùm ſimilis eſſe dicitur *agro poſt meſſem, in quo paucæ ad ſpicilegium ſtipulæ: aut oleæ poſt olivationem, in cujus ſummo ramulo, caſu fortè, aliquot olivæ relictæ ſunt*: ſimilis, inquam, *Hachoreſch, vehaamiu, virgulto & ramulo excuſſo, ac derelicto*, in quo fortè nonnihil fructus hæſit, quod verberantium manus effugit, Eſai. 17. verſ. 9. **Wie ein verlaſſener Aſt und Zweig.** Indicat Propheta, eſſe quidem Iſraëlem nunc agro ſimilem, multâ ſtanti ſegete, & oleæ fæcundiſſimæ; ſed hoſtes ita demeſſuros & olivaturos eſſe, ut vix ſuperfuturæ ſint paucæ reliquiæ: ſævitiam quoque hoſtium videtur obiter notare, cùm eos oleas excutientibus & pericis flagellantibus confert: *cùm olivantibus lex antiquiſſima fuerit; oleam ne ſtringito, neve verberato*, Plin. 15. cap. 3. Ea fuit facies Eccleſiæ, de quâ querebatur Michæas cap. 7. verſ. 1. 2. & Pſalm. 12. v. 1. Talem fore ante Domini ultimum adventum prædixit ipſe, Luc. 18. v. 8. Quæ cogitatio pulchro emblemati præbet materiam. *Pauci quippè boni*. Pinge militem oleam verberantem, ut decuſſis cum fructu frondibus, pauculæ in ſummo ramulo aliquo remaneant: vel fœminam quoque in agro demeſſo ſpicilegium facientem. *Seges quàm rara bonorum*.

21. Sic 4. de excidio Hieroſolymæ Eſai. 27. v. 10. *Civitas munita*, deſerta & viduata incolis *eremo ſimilis erit, ubi paſcant & accubent vituli,*

ramos-

p. 38.



ramosque ac frondes prominentes, *Saphoth, decerpant, cumque aruerint reſecti palmites,* Kazir, *confringentur, & à mulieribus colligentur ad ignem.* Sic hanc Prophetiam repetit & illuſtrat Ezechiel cap. 15. toto, de quo in Vite. Mos adhuc durat, ut poſt putationem vinearum, arida ligna, quæ nulli uſui ſunt, colligant mulieres inſtruendo foco. Hinc quoque urbes vaſtatæ arabantur, ac ſale conſerebantur, de quo more dixi in S. Analect. Volum. 1. lib. 2. cap. ult. *In campos ubi Troja fuit!* Idem de clade Sennacheribi Θεηλάτῳ, cùm ad obſidendam urbem ſanctam diras minasque evomens, venerit, ſic loquitur cap. 10. v. 33. *Ecce Dominus ille, Dominus Exercituum* Meſaeph Purah, *cum robore & terrore, & excelſæ ſtaturâ arbores ſuccidentur,* &c. Quid verba illa Hebraica ſignificent, mirè variant Interpp. Hieronymus habet: *Confringet laguunculam*, & de Paſſione Salvatoris noſtri interpretatur, quam Judaicæ gentis ſecuta ſit vaſtitas & deletio. *Verbum Hebraicum* פורה *Purah, quod Aquila κεράμιον interpretatus eſt, Theodotion & Symmachus verterunt ληνὸν id eſt, torcular: Lxx. glorioſos interpretati ſunt*, ita Hieronymus. *Saaph* ſignificat *cullucare*, & ut Pagninus, Arias Montanus, aliique vertunt, amputare, *deramare*, behauen / hoc enim Latini, ut Cato. *collucare* appellant. Hinc *Saphoth* rami exteriores, quibus præciſis arbores aollucantur, ut lucem transmittant. Quare quid פורה *Purah* ſit jam patet ex verbo appoſito,

Comparat Propheta Aſſyrium Tyrannum opacæ arbori, & ſilvæ ramis inter ſe perplexis condenſæ, ut ſtatim, v. 34. quod exercitu ſuo orbi q. umbram & tenebras obduceret : minaturque illi *collucationem*, non exciſionem; quæ manu forti, copiis ejus cœleſti clade imminutis, Eſai. 37. v. 36. peracta, & terræ lux ac quies reddita eſt, ibid. & Nahum. 1. v. 15. - *Sic ſemper lux reddita preſſis!* Quando nempè DEUS, extentâ manu è cœlis, ſecuri ſuâ detruncavit ramos Tyrannorum, eorumque quaſi ſylvam collucavit. Exempla præbet hiſtoria Eccleſiaſtica. *Montes, ſaltus ſylvæ triſtitiam, timores & turbationes ſignificant: maleficis tormenta & plagas; divitibus damna, eò quòd cædi ſoleant, ſemperque aliquid amittant*, ait Artemidorus in Onirocrit. l. 2. cap. 28. *Arbores florentes & fructum ferentes, bonæ ſunt videntibus, arefactæ autem, vel funditùs everſæ, aut fulmine ictæ, aut igni exuſtæ, contrariam ſignificationem habent*, ibid. c. 25. Pertinent huc *ſomnium Aſtyagis*, quo filiæ Mandanæ vidit enaſci ex genitalibus vitem, totam Aſiam occupantem; *& alterum Xerxis*, qui ſibi viſus erat fronde oleaginâ coronatus, quæ terras cùm obumbraſſet, mox evanuerit, apud Herodot. l. 1. & 7. *De viſo Nebucadnezaris* Dan. 4. v. 6. 8. ſuo loco. Inter *prodigia* refertur à Julio Obſequente cap. 128. quod *arbores radicitùs everſæ, Soleſque tres fulſerint, qui in unum tandem circulum redacti fuerint*, Anno Urbis Cond. 710. qui fuit ante Chriſtum 42. proximo anno conſtitutus eſt Romæ *triumviratus* Cæſaris Octavii, Lepidi & An-

Antonii, *fœdaque principum fuit proſcriptio* & quàm multi illuſtres ſtirpitùs exſciſſi. Denique vulgata verſio, etſi à fonte diſcrepet, tamen elegans eſt, nec minus Theodotionis. Quid enim *Tyranni* aliud quàm κεράμειον, *laguncula fictilis*, amplo ventre tumens urceus, foris fortè pictus, intùs inanis? *Natura te ab ipſo primordio mortali conditione fecit: Quid ergò inanis illa gloriola*} *adeo* τὸν πηλικὸν ἀσκὸν *luteum utrem inflavit?* Iſocrates ad Dionyſium Tyrannum Epiſt. ult. Sic rectè *torculari* comparantur, &c.

22. Apud eundem Eſaiam cap. 18. v. 5. 6. locus eſt perdifficilis, ſumptus à re vinitorià, & huc ſpectans. Mirè ſe torquent Interpp. puto tamen proximè verum ſenſum attigiſſe D. Lutherum. Verba ſic habent: *Ante Kazir reſecem*; nam de vite ſermo eſt; itaque de meſſe non putò accipiendum; *quaſi cum ibi germen, Porach*, gemma, *& labruſca matureſcens erit flos; & quis pracidat Hazzalzallim* multo humore quaſi ebrios *malleolos, atque emiſſiones*, propagines, *Netiſchoth*, à diffundendo dictas, *auferat, amputet: ita illi* reſecti & rejecti *relinquentur* avibus & beſtiis, ut ibi æſtiva ſua habeant & hyberna, &c. Senſus eſt; ita eventurum Æthiopibus, eorumque ſuperbo Regi *Tirhaka*, qui bellum indixit Aſſyriis; ut ſi quis in vineâ, quo tempore jam jam gemmæ erumpere, & omphax florem edere debebant, cùm in conſpectu habeat palmitem reſecem amputandum, furoris

præcidat lactentes malleolos, omnesque propagines, ac tanquam inutilia ſarmenta abjiciat, & relinquat, ut aves ibi per æſtatem nidificent, & feræ per hiemem cubent. Magnam in Rege Æthiopum adverſus Sennacheribum ſpem poſuerant Judæi, veluti in vite jam jam fructus ſuos promittente, 2. Regum 19. v. 9. nec fuit ejus potentia tùm temporis contemnenda: nam, ut Africanus docet, præter Æthiopiam, magnam Ægypti partem imperio premebat, ut dixi *in Iſagogâ Hiſtor. de Regib. Ægypti pag. 202.* Sed cùm ſpes florere inciperet, ſubitò concidit. Profligavit enim exercitum ejus Sennacherib, &c. Confer *Agellii* lepidam narrationem *de Thrace, qui nihil admodùm ſuper vite aut arbore colendâ ſciens, malâ mercede doctus audaciam, comas arborum lætiſſimas, uberrimosque vitium palmites decidit*, lib. 19. cap. 12. Sed de hoc loco cogitabunt linguæ Hebraicæ peritiores: mihi, neſcio quomodo, inter tot interpretationes nulla ſatisfacit. Hæc hiſtoriæ convenit: nam cùm Sennacheribus jam ad oppugnandum Hieroſolymam in procinctu eſſet, audito Tirhakæ adventu, repentè dimiſsâ Judeâ, *quaſi reſece*, adortus Æthiopes, *ita vineta illorum q. ſuccidit*, ut ſimul *ſpes* Judæorum omnis *in flore* interierit, cæſaque Æthiopum cadavera avibus ac feris in prædam ceſſerint, Eſai. 37. verſ. 9. Ezech. 29. verſ. 5. Ita ſemper humanis confiſos præſidiis *ſpes ludit hiantes!* contrà

Spes confiſa Deo, nunquam confuſa recedet.

Sed

Sed *de Ramis* ſat multa; quæ ſuperſunt, ſequentur ſuis locis.

VI. Frondes.

23. *Fruns, frundis*, ut veteres ſcribebant, à *ferendo*, nomen habet, ein Tragzweig/ è ramis naſcitur. Hinc Varro apud Nonium: *Cæditur lucus, alta frons decidit Pallados ramis.* Quarundam arborum jumentis pro pabulo eſt, ut ex Eſa. 27. v. 10. modò dixi num. 21. Hinc Catonis præceptum: *circa fundum ulmos & populos ſeri oportere, unde frons ovibus & bubus ſit*, apud Varron. l. 1. de Re Ruſt. cap. 24. Metaphoricè; *Radix, origo, ramus, ſucceſſio*, Eucherius Lugdun. *Frondes*, gloria, decus: ut Eſaiæ l. cit. *Ibi paſcetur vitulus*, id eſt, *veniet Romanus exercitus, de quo & in alio loco ſub nomine apri dictum eſt; vaſtabit eam aper de ſilva, &c. Pſalm. 80. & ibi accubabit & conſumet ſummitates ejus; ut nihil in eâ viride, nihil remaneat flagellorum, ſed omnia conſumat inimicus.* Sic Hieronymus ibid. ſed juxta LXX. *quia Judæi non receperunt Paſtorem bonum, propterea erunt quaſi grex derelictus, & poſt multum tempus non erit in ea omne viride, ſed ſiccitas omnia poſſidebit.* Idem. Ita *Judæi* compararentur *vitulis* ſine paſtore per deſerta errantibus: qui, ut habet Hieronymus, *patent morſibus beſtiarum*, & cùm non inveniant pabulum divini verbi, obvias quasque frondes *ſpuria vitulamina*, ut dicam cum Vulgato, de quo mox, Sap. 4. v. 3. Rabbinorum inſipida commenta, ore famelico carpunt: *populus*, ut

Eſaias

Eſaias ſtatim adjecit, *inſipiens*. Quod & textui non malè quadrat, & cum aliis Prophetiis convenit, Pſalm. 69. v. 23. Amos 8. v. 11. 12. &c. Ita ſit contemtoribus divini verbi! - *Populus ſic paſcitur amens!* Pinge, ſi lubet, vitulum in ſiticuloſis arenis errantem, & veprium frondes depaſcentem, ſub quibus hinc indè dipſades & aſpides ſerpant, & Lupus in inſidiis ore hianti conſpiciatur. Sic Io laſciva in vaccam verſa, Ovid. 1. Metamorph.

Frondibus arboreis & amarâ paſcitur herba
Proque thoro terræ, non ſemper gramen habenti,
Incubat infelix, limoſaque flumina potat.

Sic *vaccæ laſcivienti* comparatur Iſraël, Oſe. 4. v. 16. quem locum explanavi *in Paradigmatib. S. Concion. num. 46.*

24. Mos fuit in Populo Dei, ut in publicis feſtivitatibus & pompis *ramos ac frondes geſtarent in manibus*, viasque ſternerent, & ex iis tabernacula ſtruerent in ſcenopegiis. Levit. 23. verſ. 40. Nehem. 8. v. 14. 16. Johan. 12. v. 13. Matth. 21. v. 8. 1. Maccab. 12. v. 51. 2. Macc. 10. v. 7. Ubi multa obſervatu digna, *de Ramorum geſtatione*, *de Phyllobolià*, *de Tabernaculis*. Dicam de ſingulis nonnihil. De *Ramis* quæritur, 1. *de Nomine*; *Hoſannoth* dictas, quod, dùm geſtarent, *Hoſchiana clamarent*, ut mox docet ex Rabbinis *Angelus Caninius de Locis Hebraic. cap. 4.* Quod communiter approbant, vide in Matth. Franc. Lucam Brugens. & Grotium, &c. Nam à ſolenni



J. à M. ſc.



lenni illâ acclamatione & precatione, tum *rami illi* ſic dicebantur; cum & iſta Judæorum in Scenopegiis *ſolennis precatio*, *Hoſanna Magnum:* de quâ deinde. *Joſephus 3. Antiquit. cap. 10.* Εἰρεσιώνην vocat.. *Heſychius:* Εἰρεσιώνη, κλάδος ἐλαίας, *Plutarchus* in Theſeo ramum oleæ lanâ redimitum, variis fructuum primitiis appenſis, fuiſſe docet, quem ſupplicationis causa geſtarint Athenis, menſe Pyanepſione, grati quod terræ ſterilitas ceſſaſſet, *vide ibidem Xylandrum:* quaſi hoc ſigno teſtarentur, ſe Dei beneficia prædicare, quod *oleum*, *lanam*, & victui neceſſaria *fruges & fructus* præbuerit, ut Oſeæ cap. 2. verſ. 5. 8. Autor 2. Maccab. 10. l. c. θύρσους vocat. Heſychius ait *thyrſum* dici βακτηρίαν βακχικὴν, *baculum Bacchicum*; haſtulam hederâ aut frondibus veſtitam fuiſſe notum eſt. Pergo 2. *de inſtituti autore*, conſtat Deum præcepiſſe in Levit. l. c. Anno M. 2454. paulo poſt exitum ex Ægypto. Inde Gentes, ut alia, acceperunt. *Primus in Græciam* videtur intuliſſe *Bacchus*, Semeles F. poſt annos ferè ducentos, tempore Judicum, & ſervitutis ſub Jabine, Judic. 4. v. 2. Magus ille fuit inſignis,

Multorum mores hominum qui vidit & urbes,

Moſis, ut in S. Analectis Volum. 2. docui, *gloriæ æmulus*, qui *vitiſator*, *viniq; repertor*, & Deus ideo haberi voluit, Hinc *Oſchophoria* inſtituta, & quidem Athenis *à Theſeo* circa Ann. M. 2726. in honorem Bacchi, quo tempore Judex erat Thola, poſt Tyrannum Abimelechum. In iis adoleſcentes muliebriter veſtiti, palmites vitis geſtantes, pleno

plenos maturis uvis, canebant Oſchophorica carmina, ut refert *Proclus in Chreſtomathiâ apud Photium.* Ac ut Judæi in Scenopegiis acclamabant ſuum *Oſanna*, *ſalutem & liberationem precantes à DEO*; ita inter libandum Græci ſuum: *Eleleu*, , *ju*, *ju*! de Plutarchus l. cit. qui *Sympoſiac. l. 4. Quæſt 5.* argutatur, Deum Judæorum fuiſſe Bacchum, vel Adonin, & indè Scenopegia, ut & *Cradephoria*, ac *Thyrſophoria* eorum orta: quæ Sacras Antiquitates non ignoranti, vix puto condonanda. Ita Diabolus ſemper Dei ſimia, & gloriæ ſacrilegus æmulator fuit. Ab Hebræis iſta Græcos accepiſſe, ipſa illa Hebraica inter libandum acclamatio teſtari potuit: ſunt enim merè ſacra Dei noſtri nomina, Baccho per ſacrilegium tributa: *El Eohejao, jao!* ita in oraculo vetuſto apud Macrobium 1. Saturn.

Pluto hiemis, veris naſcentis Jupiter, at Sol
Æſtatis præſes autumni eſt mollis Jão.

hactenus aſſentior *Bocharto. l. 1. Chanaan, cap. 18.* Bacchia myſteria & origo ex Oriente in Græciam translata: ſed à Nimrodo orta, & à Cadmo invecta, non video cur affirmare debuerit? Gentium κακοζηλία, & Diaboli θεομαχία notiſſima eſt. Nec veri videtur ſimile, ſi mos iſte *Oſchophoriorum*, geſtandi ſcilicet in Dei, Creatoris Datoriſque bonorum omnium, honorem, frondes, jam olim à Tyriis aut Aſſyriis receptus fuiſſet, quod eum morem præcepto ſancire Deus voluerit in populo ſuo peculiari; quem à Gentium profanis ritibus quàm longiſſime ſemper voluit ab-

abductum. Denique, ut nullum puto hujus moris, ante legem DEI in Levitico latam, reperiri veſtigium; ita quod authore *Baccho* ad Thebanos, & *Theſeo* ad Athenienſes pervenerit, jam oſtendi. *Adonis* quem Syri & Aſyrii ut alterum Bacchum coluerunt, ſive *Cinyræ* Filius fuit, qui in Cypro Paphum condidit; ſive *Thoantis* ex Myrrhâ filiâ inceſtuosâ; non tantùm Moſe, verum etiam Baccho Thebano videtur aliquot ſeculis recentior, ut *ex Apollodoro* colligere licet, *lib. 3. Biblioth.* Iſiacos in Ægypto, pro divæ fronde, quam in Ægypto vivere poſſe negant, *ramulos abſinthii Seriphii* manu præferre ſolemne habuiſſe, referunt Dioſcorides & Plinius l. 27. cap. 7. *probatiſſimum naſci in Taphoſiri*, cui à ſepulchro Oſiridis nomen, teſtantur. Itaque in ejus honorem amariſſimam herbam geſtaviſſe conjici poteſt. Quare, ut aliis in ceremoniis, ita hic quoque videtur contrarium populo ſuo morem præſcripſiſſe DEUS. Nam ut 3. *ad materiam horum ramorum* veniamus; certum eſt, non promiſcuè quoslibet, ſed eximios electarum arborum fuiſſe, κλάδȣς ὡραίȣς, 2. Maccab. 10. καρπὸν ξύλȣ ἔνδοξον ut Aquila, Symmachus, Theodotion verterunt, Levit. 23. Lex. ita ſonat: *Et capietis fructum 1. arboris* הדר *hadar pulcherrimæ, 2. Cappothramos incurvos, vel Spathas Themarim palmarum*, in quibus fructus latet racemis propendens; ut ait Plinius 16. cap. 26. 3. & *Anaph, ramum frondoſum arboris* עבות *Abboth denſarum frondium*, inter ſe complicatarum: 4. &

Arbe

Arbe ſalices torrentis, lætabimini coram Domino DEO veſtro. Quænam hæ arbores fuerint? variant Interpp. & ſuo loco exponendum eſt. Joſephus l. cit. Ἐιρεσιώνην compoſitam indicat *ex myrti & ſalicis frondibus*, additis *palmæ* ramis & pomis *Perſeæ* arboris. Fructus arboris *Hadar* plerique *mala citria* aurea interpretantur, & *ſalicem* eam, quæ *agnus caſtus*, ſivè *vitex*, dicitur. Apud Nehemiam memorantur, *folia Zajith*, *oleæ*; *& folia arbori Shemen* pinguis, Hartzbäum Zweige; *& folia Hadas myrti*, *& folia themarim palmarum*; *& folia arboris Aboth*, quæ frondes habet complicatas *ad faciendum tabernacula*, Succoth, *ſicut ſcriptum* ſcil. in lege. Ex dictis 4. *de forma* conſtat; nam neque ſimplices unius generis, ſed conjunctos; neque nudos, ſed fructibus quibusdam ornatos fuiſſe ſatis indicatur: qualem *Ireſionen* fuiſſe Græcorum audivimus. *De fine & tempore* loca citata clara ſunt. Primitùs in feſto Tabernaculorum ex lege geſtabantur diebus ſeptem: deindè ritum hunc repurgato templo, proprio impulſu, ratione tamen ex lege ſumptâ, obſervarunt, ut in hiſtoriâ Maccabæorum l. cit. At cùm Dominus ſolemni ingreſſu in urbem Hieroſolymam, aſino vectus ſe Meſſiam, à Prophetis promiſſum oſtenderet, plebs afflatu cœleſti eum cum ramis palmarum excepit, implevitque, quod David prædixerat, Pſalm. 118. v. 24. 26. *Finis ultimus* fuit laus & gloria DEI propter beneficia & olim præſtita, & ſuo tempore præſtanda, per Meſſiæ adventum. Hunc etenim, quod non negant

Judæi, feſta quoque typicè ſpectabant, ut docet quoque in Matth. Grotius : *proximus* ergò fuit finis partim ὑπομνηστικὸς, ut revocarent ſibi Judæi in memoriam; quomodo Majores ipſorum è deſerto, ubi tot annis in ſummâ annonæ penuria, omniumque terræ fructuum inopia, miſeri errâſſent, DEI munere, in fertiliſſimam regionem, melle, lacte, bonisque omnibus affluentem, introducti fuerint; partim προφητικὸς, ut diſcerent à terrenis animum ad cœleſtia Meſſiæ beneficia elevare, ſperarentque ab eo ſe iri introductum in regionem viventium, æternis bonis abundantem, Apocal. 7. v. 9. partim ευχετικὸς, ut admonerentur debitæ gratitudinis, Luc. 1. v. 75. Hinc Patrum allegoriæ, de ramis palmarum, quos præferre manibus, & afferre Domino debeamus, de quibus ſuo loco: *Dixi de hoc ritu ad locum Ezechiel. cap. 8. v. 17. plura S. Analect. Volum. 2. lib. 3. cap 9. & nonnibil in cap. 21. Matth. in Quinquag. Feſtali cap. 2.* ubi & de *Magno Hoſannâ* Judæorum. Adoraturis θαλλὸς in manus datos, qui eos primi alimenti & vitæ fugacis admonerent, tradit *Clemens Alex. 5. Stromat.* Credo potiùs, ut ſcirent, quô animô, quâque cum pietate, DEUM adire deberent, qui peccatores non audit.

- Procul, ò procul eſte profani! contrà
Implent fata, Viri quod voluêre boni.

Qui Domino occurſuri, gratumque *Oſiannà; Domine ſalvum fac!* decantaturi ſunt, geſtent idem εἰρεσιώνην : cogitent quàm ſint ævi brevis, ramus à matre avulſus : cogitent Dei creatoris

D pa-

paternam providentiam, quâ nos tot bonis cumulat: cogitent Meſſiæ *victoriam*, *cujus ſignum palma eſt*, ut habet Athanaſius in Catenâ Lucæ cap. 19. Cogitent, fructus novæ obedientiæ, quos offerre debeant - *Manu non eſt adeundus inani*, Deuteron. 16. verſ. 17. Eſai. 1. v. 15. Joh. 9. v. 31.

25. *Viam frondibus & floribus ſternere*, mos æquè à pluribus gentibus receptus fuit. Φυλλοβολίαν καὶ ἀνθοβολίαν vocânt Græci. Honos iſte habitus *Diis*, eorumque *miniſtris*; tum etiam *Regibus*, *Triumphantibus*, aliisque non ſine votis & fauſtis acclamationibus. Exempla ſubjicio: apud Lucretium *Venerem* in pompâ quaſi antecedit *Flora*, *præſpargens & via cuncta coloribus egregiis & odoribus opplet*. l. 5. Sic quid eundem *Cybele* Mater Deorum excipiebatur:

- cùm primùm magnas invecta per urbes
Munificat tacitâ mortales muta ſalute.
Ære atque argento ſternunt iter omne viarum,
Largificâ ſtipe ditantes: pinguntque roſarum
Floribus, umbrantes Matrem, comitumque catervas.

lib. 2. ibid. legitur

-ſcena croco Cilicum perfuſa recenti,
Araque Panchæos exhalat propter odores,

In Pompâ Iſidis, apud Apulejum *Mulieres candidè ſplendentes amicimine, verno florentes coronamine de gremio, per viam quâ ſacer incedebat comitatus, ſolum ſternebant floſculis: quædam unguentis & gl*

& geniali balſamo guttatim excuſſo, conſpergebant plateas, Lib. XI. *& Pſychen*, quaſi Deam, *per plateas commeantem populi floribus, ſertis & ſolutis, adprecantur*, lib. 4. Sic Iſmenias ſacer Præco exceptus, *apud Euſtathium*, dedi locum in Acerrâ Philolog. lib. 4. cap. 28. Sic & *aræ coronatæ*, ut dixi in Quinquag. Feſtali cap. 28. circa fin.

Sabæo
Thure calent aræ, ſertisque recentibus halant.

In Populo DEI ritum hunc obſervatum docet Pſalm. 118. verſ. 17. *ligate feſtum*, vel quod eodem recidit, ſacrificium feſti, agnum Paſchalem, qui in arâ offerebatur, *Baabbothim denſis frondibus, usque ad cornua altaris.* Poſtea καινοζηλία in Eccleſiam introduxit. Ita feſta *laureatis & lucernatis januis* celebrata, floribusque ſparſa humus, & Martyrum ſepulchra, ut dixi *volum. 1. S. Analect. lib. 5. cap. 43. vide Roſvveid. in Paulini Nolani carm. 18.* Apud Perſas in publicâ lætitiâ, & Regum adventu, viæ floribus & coronis ſternebantur, ut docet *Briſſonius de Regno Perſ. lib. 2. pag. 271.* Romæ triumphantes *florum ſparſione* excepti, Appianus 1. Punic. vid. volum. S. Analect. citat. l. 1. cap. 39. 40. Ovidius de Germanico:

Quaque ibis manibus circumplaudêre tuorum
Undique jactato flore tegente vias.

Cùm Romam ingrederetur *Severus*, urbs tota ἄνθεσί τε καὶ δάφναις ἐστεφάνωτο, *Xiphilinus.* Sic exceptus *Commodus apud Herodian. lib. 1.* & ab-

Alexandrinis *Caracalla:* paſſim per plateas diſpoſita muſica inſtrumenta ſonabant, halabant incenſa aromata, & inter alia θυδεχίαις καὶ ἀνθέων βολαῖς honorabatur, idem lib. 4. *De Juliano* Ammianus Marcellinus lib. 21. *Suburbanis propinquantem, militaris & omnis generis turba cum lumine multo & floribus, votisque fauſtis, Auguſtum appellans & Dominum, duxit in Regiam.* Similia paſſim. Et ut apud Orientis gentes ſolennis acclamatio fuit; *Vivat Rex!* ſic apud Romanos illæ: *DI te ſervent! Dij te nobis dederunt! Dij te conſervent! In te ſalus, in te vita, ut vivere delectet! Dij mala prohibeant! hæc te imperante non timemus: de bis te duce ſecuri ſumus! vincas, valeas, multis annis imperes!*

De noſtris annis tibi Jupiter augeat annos!

Lampridius in Alex. Severo, Tertullian. in Apologet. Pineda in Salomone lib. 2. cap. 6. &c. Denique quod huc pertinet, inter *Athletarum præmia* fuit ἡ φυλλοβολία, Clemens Alex. l. 2. Pædagog: cap. 8. & *Rhetorum fores* poſtesque à clientibus *palmis ac coronis ornabantur*, ut indicat Lucianus in Rhetor. Doctore circa fin. mitto plura. Hæc omnia eò ſpectant, ut intelligamus, cur Dominus noſter, non ſine majore inſtinctu è Cœlis, à populo φυλλοβολίᾳ exceptus ſit? Deus ora lactantium quaſi aperuit, Filioque ſuo hanc gloriam tribui voluit, quod & Deus ipſe, & Dei Miniſter, Præco, ſummus Sacerdos, Rex, Triumphator, Athleta, noſterque Patronus & Advocatus adventaret, Matth. 11. v. 17. ex. Pſ. 8. v. 3. *Ut Regi* per viam.

Arbo-

Arboreasq; ſolo frontes & olentia ſerta,
Sub pedibus ſtravêre, Deum omnes voce
fatentes:

Cum θεοπνεύςῳ acclamatione, votisque fauſtis: ea enim ipſa hæc florum frondiumque ſparſio ſignificabat. Feliciter! feliciter! - *quicquid calcaverit hic, roſa fiat!* Nuſpiam offendat, molliter incedat, ! *Ne teneros lædant ſpina rubusve pedes!* creſcat, floreſcat, perennet! - *fugiant te nubila cœli,*

Adventumq; tuum, ſuaves tibi Dædala tellus
Submittat flores! Lucretius l. 1. princ.

Hinc *Zemah* dicitur Meſſias, *ſub cujus pedibus creſcere omnia & florere debeant*, Zachar. 6. v. 12. Lepidum illud, nec omittere poſſum: *Lampridius* de Heliogabalo, *oppresſit in tricliniis verſatilibus*, de quibus in Theologiâ Symbol. dixi num. 26. 27. vid. Sueton. in Nerone, & Stukium l. 2. Convival. cap. 14. *Paraſitos ſuos violis & floribus, ſic ut animam aliqui afflaverint, quum eripi ad ſummum non poſſent.* Ita flores ſpargit Mundus, quibus ſuos paraſitos ſuffocet. Sic *Cantharidum roſa mors* - vide Camerarii Emblem.

Nocet empta dolore voluptas.
Fortuna nimium quem fovet ſtultum facit.

Vetus verbum eſt, adde & *miſerum*. Amplexu necat, ut Simia catulum. Nimium fovens, fit fovea, Proverb. 1. v. 22.

26. *De Tabernaculis* pauca addam; primi mortalium *de fronde faciebant ſibi tecta*, ut docet Vitruvius, vide Atrium Latin. cap. 48. Sic habitant

etiam nunc barbari *ſine marmorario fabro, & veſtiuntur ſine commercio ſerum: corticibus arborum tegunt corpora, ſub virgeâ crate hiemem tranſeunt ſecuri*, &c. Seneca Epiſt. 90. aut - *opaca præbent antra nativas domos*. Idem in Hippolyto. Ita per 40. annos habitârunt Iſraëlitæ in deſerto, usque dum in Canaanitidem introducti ſedes quietas, in pagis & urbibus munitis, inveniſſent. Ejus rei ne obliviſcerentur poſteri, feſtum Tabernaculorum inſtitutum eſt. Sed & illud umbra fuit futurorum. *Septimo Menſe*, qui ſacer fuit & q. Sabbathum Menſium, anni Judaici vulgaris primus, celebratur, ac *ſignificabat ille totum tempus gratiæ ſub Chriſto. Primum* ejus menſis *Feſtum* fuit *Tubarum*; nam à prædicatione Apoſtolicâ ſalus incipit: *Secundum Expiationis*; quia pœnitentia & reconciliatio cum DEO prædicationis ejus ſcopus eſt. *Sequitur tertium Tabernaculorum*, per ſeptem dies; quo Chriſtiana noſtra converſatio in terris adumbrabatur; *finis* fuit *Feſtum collectæ & cœtus*, quo glorioſa & beata in cœlis congregatio Sanctorum; vide ex Rhadulpho Flaviacenſi & Heſychio Riberam de Templo l. 5. cap. 10. & Cornel. à Lap. in Levit. 23. Hæc *de fine* pro inſtituto ſatis. *De loco* quæritur; ubi iſta Tabernacula frondea erecta? ſed reſponſio habetur Nehem. cap. 8. v. 16. *intra & extra urbem Hieroſolymam, ſub dio*, in plateis, & ſuper plana ædium tecta; ſingula à ſingulis familiis, ſecundùm Tribus Populi inter ſe diſtinctis ordinibus, ad eam formam, quâ in deſerto olim

populi

populi peregrinantis habitacula diſpoſita fuerunt, ut Numer. cap. 2. legere eſt. *De materiâ ex quâ* conſtructa fuerint, difficilior quæſtio eſt. Frondes & ramos fuiſſe conſtat: ſed an ex iis, quæ memorantur Nehemiæ l. cit. de quo ſupra num. 24. Quis credat, tantæ multitudini tot millium ad manum fuiſſe tot olivarum, myrtorum, aliarumque electarum & ſpecioſarum arborum frondes ad ejuſmodi tacernacula? Fuiſſet hæc feſtivitas, publica hortorum nemorumque circa Hieroſolymam calamitas & pernicies. Negat itaque Sanctius ex tàm pulchris frondibus contexta, his & aliis motus. Sed quid textui hiſtoriæ fiet, ubi diſertè jubentur Judæi *egredi in montem & adferre iſtarum arborum frondes, ad faciendum tabernacula, ſicut in lege ſcriptum?* Reſpondeo: finis principalis ponitur, acceſſorius non tollitur, ſed ſupponitur. Nam in lege utrumque ſcriptum eſt, & tabernacula frondea eſſe facienda, & geſtandas in manibus pulchras electarum arborum frondes. Alia itaque genera adhibita ſtructioni; vulgarium arborum, ſalicis & pini, & quæcunque denſis eſſent ramis: Plutarch. Sympoſiac. l. c. *tabernacula è palmitibus & hederis contexta fuiſſe refert*, & credo vidiſſe, ut ipſe indicat: neque aliter fieri potuit, cùm ſpecioſæ arbores tot caſis non eſſent ſuffecturæ. Sed ad geſtamina pauculæ ſingulis virgæ ſufficiebant, & certæ ſpecies erant in lege definitæ: credoque poſt pompam, cùm è manibus deponerentur, in tabernaculorum oſtiis collocatas, ac interim affuſo humore ſuſtentatas

ut per ſeptem dies virides ſervarentur. Sic ad tabernacula hæc quoque pertinebant, non ut partes, ſed ut ornamenta. Sed ad alia pergamus.

VII. Stolones & Propagines.

27. *Stolo*, definitore Plinio, *arborum fruticatio inutilis eſt.* Inde Stolonis agnomen, quod hos è radicibus circum arbores effoderet, ut nullus in ejus fundo reperiri poſſet, apud Varron. Sunt enim *ſtolones arborum pullulationes ab radice. Græci* Μόσχους *vocant, quaſi vitulos plantarum. Viviradix latine dicitur* Μόσχευμα, *hinc ſtolidi ab ætate, & primâ emiſſione, quod ſignificat verbum Græcum,* Scaliger Exerc. 144. ſect. 2. Nempè à στέλλειν derivat, Nec multum abludit Hebraicum *Schathal*, unde *Schetilim*; à plantando: quod tamen Stolonibus non convenit, qui non ſolent plantari, ſed eradicari. Itaque *Dalioth* potius dicentur, quod ſuccum matri ſurripiant & exhauriant, Jerem. 11. v. 16. *Propagines* autem vitium propriè ſunt, in terram depreſſarum, ut ſe propagent. *Ruſtici enim vetulam vitem ſupprimunt, ut ex eâ unâ plures faciant*, ut apud Feſtum eſt. *Modi* propagandi, id eſt, porrò pangendi, varii ſunt; *alius* arborum, *alius* herbarum. Arborum rami, vel in ſcrobem defodiuntur, ut radices agant, ac poſteà amputato flexu transferri poſſint; vel *per vaſa fictilia aut qualos* in ipsâ arbore trajecti, terrâ circumpanguntur, radicesque ita ſollicitantur, docent Cato & Plinius, & ex iisdem *Baptiſta Porta in Villâ lib. 4. cap.*

cap. 6. Arbor, quæ copiâ humoris nativi multas emittit frontes & propagines, quibus ſe diffundit, Hebraico epitheto vocatur רַעֲנָן *Raanan*, friſch und ſafftig ut Pſalm. 37. v. 35. laurus, & Jerem. l. cit. olea. vide Pſalm. 92. v. 15. ubi Pii talibus comparantur, quæ quamvis ſeneſcant, tamen adhuc germinant. At de impiis contrà Siracides cap. 40. v. 15. 16. *Poſteritas impiorum non multiplicabit ramos, & radices immundæ ſuper præcipitem* ἀκρότομον *petram*, ubi ſcilicet, humore cùm careant, facile torrefiant ab æſtu. At abundant tamen ſæpè opibus, inquis, & gloriâ: Reſpondetur: ἄχη, vel ἄχνη, vel χλόη, ita enim variè legitur: *ſuper quamlibet aquam, & oram fluminis ante omne fœnum*, gramen, *evelletur*. Sic D. Luther. ſecutus vulgatum: *viriditas ſuper omnem aquam*; ubi apparet χλόην legiſſe.

28. Huc pertinet de liberis ex illegitimo vel impio thoro natis, locus Sapient. 4. v. 3. 4. Docet Author *meliorem eſſe piorum* ἀτεκνίαν, quam impiorum πολυτεκνίαν. *Pii*, quanquam non propagando genus ſuum per generationem, non gaudeant illâ in poſteris ſucceſſivâ immortalitate; *habent* tamen aliam ἀθανασίαν, *in perpetuâ virtutis ſuæ apud DEUM & homines memoriâ*: Sirac. 30. v. 3. Pſalm. 112. v. 6. &c. *Et homines quidem præſentem virtutem colunt ac imitantur, & poſtquam obiit*, ſublatam ex oculis, *deſiderant*: Itaque quemadmodum Hieronicæ cum pompâ & triumpho deducebantur coronati in patriam, muris etiam de induſtriâ diruptis: ita *Virtus*

abſtractum pro concreto, νικήσασα τὸν τῶν ἀμιάντων ἄθλων ἀγῶνα, *vincens*, ſive quæ vicit agona, *certamen, incontaminatorum præliorum, coronam ferens* πομπεύει *triumphat*, ἐν τῷ αἰῶνι *in hoc ſeculo*. Sic hunc locum puto interpretandum. Neque multò aliter apud Cyprianum, vel quicunque autor eſt, de ſingular. Clericor. vetus verſio. Nam vulgata noſtra diſcrepat. Vocat autor Virtutis ἄθλους ἀμιάντους, ut opponat pollutis certaminibus Græcorum: pari ratione *Philo*, quem docti quidam hujus Sapientiæ autorem eſſe perſuaſum habent, *in lib. de Agricult.* ait, *hæc certamina falsò dici ſacra. in quibus tam atrocia & immania multa fiant; unum eſſe verè Sacrum & Olympicum certamen, Virtutis causâ propoſitum*. Sequitur antitheſis: *At contra multigena impiorum multitudo, nullam adferet utilitatem*, iis puta, qui ea ſuperbiunt, ut Niobe apud Poëtas: *& ex ſpuriis ſtolonibus non dabit radicem in profundum, neque ſtabile firmamentum*, firmam baſin, *collocabit. Etſi enim in ramis ad tempus floruerint*, ſtolones illi adulterini; *tamen cùm infirmiter poſiti*, ſtabili ſolo non proveniant, *facilè à vento commovebuntur, & ventorum violentiâ eradicabuntur: confringentur* κλῶνες *rami imperfecti adhuc, fructusque, ſi quem ediderint, erit inutilis*, acerbus eſu, & *immaturus ad veſcendum, nullique rei idoneus*. Multa hic Pontificii Interpp. de præconiis Virginitatis aut Cælibatus. Sed intempeſtivè: Autor ſolatur pios maximè conjuges, ἀτέκνους. Habebatur etenim ἀτέκνιος olim

olim in Populo DEI μέγιστον ἀτύχημα, *Vid. Volum. 2. S. Anal. l. 4. cap. 12.* Neque qui pro cœlibatu certant, in eo inquinati ſunt, ut fatetur Lorinus h.l. *ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria*, ut ait Auguſtinus, ibid. ubi ἔρωτες δυσέρωτες. ut ait Baſilius in Epiſt. ad Gregor. Naz. ac ſi non corporis, quod rarum eſt, tamen mentis inquinatio non infrequens: ut ferè queri oporteat, cum eodem: *Fœminam neſcio, & tamen Virgo non ſum.* Ad piorum conjugum pro Virtute ſuſceptum certamen verè eſt ἀμίαντον. Hebr. 13. v. 4. Neque in Populo Dei cælibatus vel adeò admirationi fuit, vel in tantâ gloria, ut exemplo eſſet, & plures alii, etiam optimi, cuperent imitari. Denique cælibibus ex propoſito ἀτεκνία non adeò dolet, ut hoc ſolatio egeant; dolet conjugibus, quibus εὐτεκνία in vota, & conjugii finis. Itaque Lyra, Holcot & alii rectè de conjugali caſtitate interpretantur: huic enim Autor & in antecedentibus & in conſequentibus adulterinos congreſſus opponit. Patres ad Virginitatem accommodârunt: nec ea excluditur à generali ſententia, dum ſit cum virtute conjuncta & verè impolluta, qualis fuit in Veteri Teſtam. alia *ex naturali defectu* & impotentiâ; alia *ex vocatione & dono* ſingulari: *ex voto* nulla, nec exemplum ullum. Sed ad id veniamus; quod hujus eſt loci. *Spurii Spadones* Græcè dicuntur νόθα μοσχεύματα. Vulgatus habet; *Spuria vitulamina*; Auguſtinus mavult; *adulterinæ plantationes*, vide eum de Doctr.

Chriſt.

Chriſt. l. 2. c. 12. Multa hic in defenſionem Vulgati Interpretis Lorinus & Cornel. à Lap. Mihi nomen *à vitulando*, laſciviendo, non ineptè finxiſſe videtur, ad imitationem Græci vocabuli. Quæritur autem 1. *Quænam ſint illa Vitulamina* ad literam? *Quænam* μεταφορικῶς *ſenſu ab Autore intento?* Reſp. breviter ad 1. Μόσχοι, ut habet Heſychius, & μοσχεύματα, ſunt νεόφυτα βλαστήματα &c. Μόσχος λύγος eſt ἱμαντῶδες φυτὸν καὶ ἁπαλόν, ait Autor Etymologici: *Metaphoram à teneris bobus ad novella & tenera germina eſſe traductam.* Μοσχεύειν eſt ſurculum ab arbore decerptum in ſolo pangere, ut ibi radices agat, ut fit in taleis olearum, & malleolis vitium reſectis, apud Theophraſtum. Sed Autor noſter ab his diſtinxit, quæ *ſpuria* dixit *vitulamina*, eaque ſic deſcripſit: quod ſint *inutilia germina, non alte, ſed ſummo in ſolo, radicata, ubi facilè à ventis eradicentur, rami confringantur, & vel nullos pariant fructus, vel non edules, acerbos,* ἀώρους, quales in degeneribus arboribus, & ſylveſtribus, naſcuntur. Cornelius à Lap. ea intelligit germina, quæ cum in terra naſci non poſſint, in arboribus naſci ſolent, matre alienâ, quale eſt viſcum - *quod non ſua ſeminat arbos: cujus ea natura eſt, ut non proveniat, niſi in ventre avium maturatum & per alvum redditum*, ex Plinio. Sed deſcriptio noſtra non convenit. Itaque *Stolones* alii rectiùs intelligunt, *denſamque illam è radicibus pullulantem ſobolem, pariente matre, quas enecet*, aut à quibus enecetur, vid. Plin. lib. 17. cap. 10. *Nullis verò*, ait, *tales pulli*

pro-

provenivnt, niſi quarum radices, amore ſolis atque imbris, in ſummâ tellure ſpatiantur. Itaque neque firmam habent baſim, & ſi transplantentur, vix radices agunt, aut à ventis evelluntur, &c. Reſp. ad 2. his ergo ſimiles *adulterini liberi*, & *impiorum omnium*, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Viperina q. progenies; ut pictâ arbore cum tali ſobole & q. pullicie, circa radices densâ, poſſit adſcribi - *matrem perimit ſua proles*: aut viciſſim; *Parit ut pereant*: ſin ventum depingas, ramos cum immaturis fructibus confringentem, adſcribes - *perit impia proles*, aut - *genitrix in ſua damna tulit.* Cur tales DEUS naſci ſinat, & quidem tam multos, eosque toleret? Quærunt h. l. Interpp. Reſp. 1. in Teſtimonium Juſtitiæ ſuæ & gratiæ, dum malos evertit, bonos fovet, & non rarò bonos ex malis efficit: 2. in exercitium piorum: *Abel non eſſet niſi eſſet quoque Cain*, juxta vetus verbum apud Gregor. M. 3. in vitæ temporalis commodum: nam & mali artibus, opificiis, laboribus ſuis, humano generi proſunt, ut Cainitæ Gen. 4. ſed hæc non ſunt hujus campi. Tranſeamus & videamus quoque

VIII. Folio.

29. *Folium à Græco venit, quod illi dicunt* φύλλον: *ſed ideò per unum L; quia antiqui non geminabant conſonantes*, Feſtus. Fortè tamen melius ab Hebræo עלה *ala*, ut pro forti adſpiratione, aut flatu, qui in literâ *Ajin* latet, digamma Æolicum ſit poſitum ſit. Stirpium q. veſtis & ornatus eſt: aliis

aliis perennis, aliis deciduus: Huic ventis agitato homo ſimilis eſt, & ſtipulæ arenti. *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris*, Job. 13. v. 25. verbum ערץ *araz*, ſignificat aliquid agitare violenter, & commoveri formidine: hinc *Ariz* Tyrannus, formidabilis & formidine plenus. Nam timet & timetur. Mene, inquit vir Sanctus, mene, mi Deus, *arbitraris inimicum tuum? annon vides: quo* redactus ſim? *Tunc folium excuſſum*, & vento raptum jam, *ita agitabit violenter*, ut decutias, & quaſi εὐλαβηθῄςῃ, tanquam à me quicquam metuendum habeas, ut Lxx. Nihil eſt, quod ad miſerandum tam facilè flectat Deum, quam demiſſa vilitatis ſuæ agnitio, & ſincera confeſſio. Neque vilius quicquam eſt, quam 1. *folium*, & quidem 2. ab arbore *delapſum*, itaque 3. *Succo vitali privatum*, ac 4. *nunquam rediturum*, eò undè decidit; denique 5. *ventô raptum* agitatumque, *donec* 6. humi inter quisquilias *putreſcat*. Sic homines ſumus! iisdem ferè de cauſis *ſiccis* ſimiles *ſtipulis*: Conjunxit quoque Ovidius:

Tu levior foliis, tunc cùm ſine pondere ſucci
Mobilibus ventis arida facta volant:
Et minus eſt in te, quàm ſummâ pondus ariſtâ,
Quæ levis aſſiduis ſolibus uſta riget.

Homo arbor fuit in conditione, folium à ſemetipſ factus eſt in tentatione; ſed pòſt ſtipula apparuit i dejectione. Quid eſt enim homo niſi folium, q

vide

videlicet in Paradiſo ab arbore cecidit? quid eſt niſi folium, qui tentationis vento rapitur, & deſiderium flatibus levatur? Cur ergò tantâ rectitudine juſtitiæ impetis eum, quem ſic infirmum eſſe in tentatione cognoſcis? ſic Gregor. M. h. l.

30. Similis apud Eſaiam locus eſt: *defluximus quaſi folium univerſi, & peccata noſtra quaſi venti nos auferunt*, cap. 64. v. 6. Eſt in eâ querimoniâ *antitheſis inter* priſtinam *DEI benignitatem*, & præſentem *ſeveritatem*: Olim quanquam ſæpè peccaverimus, tamen ab ira flexus ad miſericordiam, peccantibus indulgens, veniam ſalutemque dediſti: ac tunc, coram ſtrictâ ſeveraque tuâ juſtitia, reputamur *omnes velut immundi; omnesque juſtitiæ noſtræ*, omnia noſtra bona opera, quæ facimus memores mandatorum tuorum, ut v. 5. quæ quondam à te miſericordi patre, κατ' ἐπιείκειαν, pro juſtitiis reputabantur, ut tam clemens & bonus nobis occurreres peccatisque noſtris ignoſceres; ea nunc omnia *ſunt velut pannus menſtruatæ*, adeò abominaris, & deſpuis pro rigore juſtitiæ tuæ: Itaque *decidimus velut folium* ab arbore, *& peccatorum noſtrorum turbine* ac procellâ à facie tuâ abrepti, *auferimur* & projicimur. Aurea verba, omnique auro contrà pretioſa! Pro *panno menſtruatæ* Hebraicè habetur בגר עדים *béged Iddim*, *veſtis Centonum* ein Bettlersmantel. Lxx· ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης, id eſt, *mulieris* ἀποκαθημένης *ſedentis*, quo honeſtè ſignificatur, quæ menſtrua patitur. Symmachus, κυέσων *parientium*: Aquila verò; μαρτυ-

μαρτυρίων teſtimoniorum, quando ſanguis in primo coitu maritali virginis approbatur, *Hieronymus.* Rectè ergo hinc infertur: 1. *Peccatum originale*, ex quo omnia actualia, ſumma eſt hominis immunditia, & quaſi lepra, aut *ſanguis mulieris ſedentis*, vel parientis: hic enim inter immundiſſima habetur in lege Dei; propter hanc ipſam naturæ originalem labem & tabem; quemadmodum *præputium* in viris; ita enim admonere ſuos DEUS voluit, generationem ipſam eſſe pollutam, Pſalm. 51. v. 6. & ſemen è quo concipimur peccatô contaminatum eſt, & maternus ille ſanguis, quo fovemur in conceptu, & alimur in utero. Hinc 2. quamvis *reatus* hujus immunditiei in regeneratione tollitur, & *dominium* frangitur peccati hujus; tum *ne imputetur* ad damnationem; cum *ne regnet* amplius in renatis; tamen ita arctè hæret *macula & proclivitas* ad peccandum, quam renati ſentiunt & deplorant; ut ſi ſtrictâ juſtitiâ Deus nobiſcum agere vellet, ſemper imputare poſſet. Quare 3. *etſi juſtitia noſtra*, quæ à Spiritu renovante eſt! *vera eſt; tamen non omnimodis pura eſt*; quia adhærente hoc peccato contaminatur: Ac 4. meritò omnes, quamlibet Sancti, ſe immundos, pœnisque omnibus obnoxios fatentur, ſi *ſtricto jure* DEUS ſecum ageret. Nam, 5. cùm Deus has juſtitias noſtras acceptas habet, & remuneratur; ita ut quotidianis noſtris culpis det veniam, & in caſtigationibus temporalibus opem adferat ac ſalutem; facit hoc ex merâ gratiâ per

Imel-

ἐπιείκειαν: cum ſecundum rigorem juſtitiæ juſtè poſſet abominari, nec teneatur ex juſtitia ſua reſpicere & acceptare. Unde 6. meritò angoſcunt Sancti, temporales caſtigationes mortemque ipſam, propter peccata, ſibi infligi, quamlibet juſti ſint: *Deumque ita juſtum* fatentur, ut tamen etiam *miſericordem* prædicent, admirabili juſtitiæ & miſericordiæ temperamento. Nam ut nos peccatores *per naturam* & ex nobis; juſti verò ſumus *ex gratiâ*, & non ex nobis: ita Deus puniendo peccatores *juſtus eſt*; pœnas verò juſtorum in caſtigationem vertendo, easque mitigando, & æternas condonando *miſericors*. Hæc omnia ex præmiſſis Prophetæ & firmiter concluduntur. Poſſentque pluribus demonſtrari *ex contextu* hujus Precationis, & *conſenſu* totius S. Scripturæ, veræque & Orthodoxæ Eccleſiæ, quæ contra Pelagianos ita ſemper docuit; ſed hoc nunc non agimus; vid. *D. Gerhardi Confeſſ. Cathol. Special. P.3. de Bonorum operum perfectione, pag. 813. & ſeqq.*

31. De ſimilitudine Folii dixi plura *in. S. Analect. Volum. 1. lib. 5. c. 30.* Aliqua tamen addenda putavi, quæ huc ſpectant. *Homo Folio ſimilis* eſt 1. *in ſtatu integro:* Tunc enim folium fuit ab arbore Vitæ myſticâ, gratia ſcilicet Dei Creatoris; *pendens* ab eâ & in eâ *vivens*, & indè *virens*, ſanctitate, juſtitiâ, incorruptibilitate, decore & gloriâ. Sic Salomon ait, *juſtos germinare velut virens folium*, Proverb. 11. v. 28. Qui in opibus, iisque rebus vanis, & non in Deo fidunt, decidunt ut folia in hieme: *quod iis arborum foliis*

 accidit,

accidit, quæ neque perennem ſuccum à matrice accipiunt, neque adeò lentum & durabilem, ut frigori poſſit obſiſtere. Ita ſunt divitiæ iſtæ, quibus fidunt & innituntur, qui Deum ſpernunt: non præbent perennem & firmum ſuccum, Safft und Krafft; eo itaque orbati, cadunt ſicut folia, ac ſine ſpe defluunt, & areſcunt: at *Juſti contrà ſemper florent ut folium* Cedri, Palmæ, oleæ: nam Deo freti, & ab ejus gratiâ unicè pendentes, cadere non poſſunt. Succus ille Vitalis, quem ex Deo hauriunt, *non poteſt æſtu aut frigore intercipi, ne ad folium iſtud à matrice perenniter transfundatur, tantâque firmitate & conſtantiâ eſt, ut à nulla externa re lædi poſſit aut abſumi,* vid. Scaliger. Exerc. 141. Ita *fit*, ut juſti perpetuò vigeant & vireant, & fructu quoque tandem gaudeant. *Virens quippe folium in arbore fructus, quos nondum oſtendere habet, ſignat affuturos; & juſti quaſi virens folium germinant; quia ſpe ſalvi facti, in fidei ac virtutum gratiâ proficere non ceſſant,* ait Beda in Proverb. l. cit. Ita Juſtum nobis depingunt, David Pſalm. 1. v. 3. & Jeremias cap. 17. v. 7. 8. Tales eramus à DEO creati, in naturæ integritate: talesque iterum evadimus per gratiam, in renovatione Spiritus, de quâ mox. Verùm per Adami lapſum 2. *in ſtatu corrupto*, poſtquam peccatum vitalem nobis gratiæ affluxum intercepit, decidimus ab arbore, viroreque priſtino amiſſo facti ſumus *folium 1. abjectum*, quod arbor ſua quaſi abdicavit & jam non agnoſcit. Abjecit enim nos Deus, licet non ἀποτόμως, ut Diabolum & Angelos ejus: non agnoſcit pro ſuis, Eſai. 59. v. 2. Pſalm. 1. v. 6.

2. Tim.

2. Tim. 2. v. 19. Matth. 7. 23. 2. *aridum & exſuccum*, Epheſ. 4. v. 18. 3. *mortuum*; nam in arbore vivum eramus: nunc vitali ſucco carentes animâ & corpore interiimus, & ad corruptionem tendimus: hinc morbi & mors corporis, ac putrefactio: hinc animæ pronitas ad peccatum & æternum interitum. Hæc mors eſt, quam Deus peccantibus comminatus eſt, Gen. 2. v. 17. itaque & *folium* ſumus 4. *Vanum & volaticum*; undè omni *vento* agitamur iræ divinæ, calamitatum, peccatorumque noſtrorum. *Mens quippè humana quot tentationes patitur, tot quaſi flatibus movetur: nunc ira perturbat; nunc ſuccedit inepta lætitia: aliquando ſuperbia elevat; aliquando timor deprimit*, &c. Gregor. M. in Job. cap. 13. l. cit. hinc vitæ brevitas. *In Troglodyticâ teguntur ædes, herbæ folio, quod centum annis durat in eo opere, ſine vitio*, Scaliger Exercit. 158. Sect. 8. nos folium ſumus ἐφήμερον, herba ſolſtitialis. Hinc viciſſitudo naſcendi & moriendi, Sir. 14. v. 19. ac ut Homerus cecinit:

Οἵηπερ φύλλων γενὲη, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.

Spes tamen ſupereſt renaſcendi, ut fiamus iterum *folium vivum*. 3. *in ſtatu gratiæ reſtituto*. Non quidem noſtris viribus: nulla hic ſupereſt in nobis ἱκανότης, Rom. 3. v. 12. 2. Cor. 3. v. 5. ut neque in folio arido & abjecto, quod citra miraculum nequit reviviſcere, & redirem eo undè recidit. Dei plantantis hoc opus eſt, per verbum gratiæ. *Sic Palmarum folia apud Babylonios ita in arborem proveniunt*, & *opuntia herba*, ignota circa Opuntem Locrorum civitatem non


procul ab Aſopo flumine, *è folio radicem emittit: notaque jam*, & vulgò in hortis conſpicua, *ficus Indica cujus folium, ſi ſolo pangatur, radicatur*, & in arborem creſcit, flores fructusque parit, *de quibus Porta Neapolitan. in Villa ſua lib. 4. cap. 10.* Magna hæc & rara naturæ miracula; ſed majus Dei nos regenerantis, ut Gratiæ per Chriſtum iterum inſerti feliciter floreamus: donec tranſlati in Civitatem cœleſtem, irrigemur *fluvio illo aquæ vivificæ*, τȣ̃ ζωοποιȣ̃ πνεύματος, ut vireamus æternùm, Apocal. 22. verſ. 2. Joël. 3. v. 18. Vin' *emblemata?* Pinge arborem amittentem folia ſua, quæ ventus diripiat, & adde: *- non reditura volant!* Pinge in victili vaſe ficum Indicam, & folium hortulani manu in alio pangi, & adde: *Spes eſt, ubi gratia plantat*, &c.

32. *Ne folium quidem ſupervivit*, Proverbii ſpeciem habet. Apud Jeremiam Deus cùm de avaritiâ immani, Populi ſui in urbe Sanctâ, conqueſtus eſſet, cui *à minimo ad maximum omnes*, infimates & Summates, etiam ipſi Prophetæ & Sacerdotes, ſtuderent; pœnam denuncians; *Colligendo*, inquit, *colligam eos: ita ut nec uva in vite, nec ficus in ficulneâ ſuperſit: quin etiam folia ipſa defluent; adeò, quæ dederam, omnia ab eis tranſibunt*, Jerem. 8. v. 10. 13. Juſtiſſima avarorum vindicta! Nam ut illi per fas & nefas omnia colligunt, usque ad pulviſculum, quod dici ſolet; & ex aliorum calamitatibus meſſem ac vindemiam faciunt; ita Deus par pari ſe relaturum minatur: miſſurum nempè Chaldæos, qui adeò omnia colligant, ut nec uvam nec ficum, imò ne folium

quidem

pag. 68.





quidem relinquant. *Dedi enim*, inquit, *eis*, *quæ præterire cernerent, ut majori dolore amittant, rerum omnium abundantiam, quam eis tangere non licebit.* Hieronymus. Ita malè parta, malè dilabuntur; &

De malê quæſitis non gaudet tertius hæres.

Hinc materia elegantis *emblematis*: Si vineam in colle, & ficum deſuper imminentem ἀκρόκαρπον, pingas, ad quas ſturnatim aves advolent; addito illo Palingenii;

Congregat, & neſcit cui congreget! *utque ſolet Sus*
Non ſibi, ſed multis aliis *ſeſe ipſe ſaginat.*

Quod *alterum emblema* præbet: *Tertium* Lucianus in Antholog. Epigramm. qui avarum api confert, quæ magno cum labore favos ſtruit, & implet - ἑτέρων δρεψομένων τὸ μέλι. *Sic vos non vobis mellificatis apes. Quod non legitimè acquiritur, quaſi ventis quibusdam, ita extraneis diripientibus diſſipatur*, Ambroſius, 3. offic. cap. 6. *Avaritia acquirit & contrahit, quo aliquis melior utatur*, Seneca de Irâ l. 3. cap. 5. Pertinet huc emblema Alciati, 73. cui lemma: *Luxurioſorum opes.* Noſtri dicunt, injuſtas opes duos habere fures: unum qui colligat; alterum qui malè abſumat. Diogenes ejusmodi opes comparavit ficubus, in præruptis locis naſcentibus, quas cùm homines attingere nequeant; corvi & graculi diripiant. Quod non capit Chriſtus, rapit fiſcus. Dabis impio militi, quod dare non vis Chriſti ſacerdoti. Plerunque *quod acquiſivit ava-*

ritiæ parentum, S. Valerianus hom. 20. *perdit cupiditas filiorum*.

33. Addo Proverbium aliud; *terreri ad ſtrepitum folii volantis*, Lev. 26, verſ. 36. De malè conſciis, Proverb. c. 28. v. 1. Job. 15. v. 21.

Nam ſeu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis, ſeu virides rubum
dimovêre lacertæ;
Et corde & genubus tremunt. Horat 1. Od. 23.

Sic in fabula de leporibus & ranis; *ſylva ſonat, fugiunt lepores* - apud Anonymum veterem Poëtam. Poſſis adſcribere illud Papinii - *ô ſemper timidum ſcelus!* Ita Menander fortè apud Stobæum;

Malè conſcium, quamvis ſit audaciſſimus,
Timidiſſimum facit ipſa conſcientia.

Lepores, libidinoſum & immundum animal, de quo Proverbium:

Et Lepus hic aliis exagitatus erit.

Et aliud; *Tute Lepus es, & pulpamentum quæris*; Item *ranæ* in palude ſuâ coaxantes, omnium ferè nequam hominum imago ſunt. Sed de foliis nunc quidem ſatis. De loco Eſai. 1. v. 30. cui ſimilis Eccleſiaſt. Sirac. cap. 6. verſ. 2. 3. ſuo loco. Ut Piorum folia nunquam defluunt, ex ll. cit. Pſalm. 1. v. 3. Jerem. 17. v. 8. Proverb. 11. v. 28. Sic Impiorum ſemper tandem, ſic Eſaias & Siracides.

CAPUT III.

Arborum multiplex differentia, & Nomenclator.

MUltis modis differunt ? in Sacris Literis 1. *ratione Originis*, quædam ſunt *Nativæ*, quæ naturâ & q. ſponte proveniunt; quædam *Sativæ* quæ curâ & culturâ.

2. *Ratione partium*; nam licet omnes in ſuo genere perfectæ ſint ? tamen aliæ omnibus partibus integræ ſunt, aliæ quibusdam carent: ſed & ipſarum partium magna varietas diſcrimen inducit, ut radicibus, ſtipitibus, ramis, floribus, fructibus diſtinguantur, *de quibus Ruellius lib. 1. de Nat. Stirp.* Quæ tamen conſideratio Theologo non valdè neceſſaria videtur.

3. *Ratione Quantitatis*; ſunt enim aliæ *parvæ* & humiles, ut virgulta & frutices; aliæ *magnæ*, proceræ, craſſitudine & altitudine præcellentes.

4. *Ratione Qualitatis*; aliæ *ſpecioſæ*, vivaces, *ſemper virentes*, non putreſcentes: aliæ contrà *viles*, brevis ævi, *perdifoliæ*, ut eleganter vocat Scaliger, &c.

5. *Ratione actionis*; quædam *fructiferæ*, ut ſunt Nuciferæ, pomiferæ, bacciferæ, glandiferæ, cocciferæ, coniferæ, &c. quo pertinent etiam reſiniferæ quæque ſiliquas, veſiculas, & vel in his vel in aliis partibus animalia, & id genus pariunt alia:

quædam *ſteriles*, infelices dictæ: Item bonæ & malæ ex fructibus dignoſcendæ.

6. *Ratione Paſſionis*; ut ſint aridæ, collapſæ, emortuæ, quæ virentibus, ſtantibus, vivis, opponuntur: ut & aliæ ſanæ, vegetæ; aliæ morbidæ & ſeniles, &c.

7. *Ratione ubi*; aliæ hortenſes, campeſtres, paluſtres quæque aquis gaudent, ut & ſylveſtres, montanæ: item ſingulares, Paradiſiacæ, Pentapolitanæ, Sacræ & Sanctivæ in Lucis, & id genus. De ſingulis deinceps, quantum ad S. Literarum explicationem opus eſſe videbitur. Nunc adtexam *Indicem Alphabeticum* præcipuarum arborum Biblicarum, annotatis nonnullis S. Scripturæ locis.

Arborum Biblicarum Nomina.

1. *Aguz* אגוז, ſemel legitur Cant. 6. verſ. 10. *Nux* plurium opinione: dicitur à rad. *Guz*, avellendo. Itaque Avenarius propriè de Avellana accipit: alii tamen myriſticam, alii, inquit, caſtaneam eſſe putant. Nucum proprium eſt, ut à matre vi avellantur, perticis decuſſæ. Arabes quoque *gauz* vocant, pro quo interpretetes habent *geuz*, ut notat Bochartus in Chanaan. p. 52v. 682.

2. *Ahalim* אהלים, bis legitur, Num. 24. verſ. 6. Prov. 7. v. 17. & *Ahaloth* Pſalm. 45. v. 9. Cant. 4. v. 14. ex quibus locis apparet, arboribus

præ-

præſtantiſſimis annumerari, & odore aromatibus: itaque *aloën* interpretantur, vel *Santalum*, vel *Agallochum*. Atqui aloën non eſſe, rectè monuit *Baubinus in Matthiolum l. 1. Dioſcoridis cap. 21.* Videntur, *inquit*; Veterum nonnulli per Aloën Agallochum intellexiſſe. Nam diapaſma, adſpergimentum illud, quo lectulum ſuum odoris gratia conſperſerat muliercula, de quâ apud Salomonem legitur, Myrrham, aloën, & Cynamomum recepit: quo loco minimè ſuccus ille herbæ aloës intelligendus, cum inter odorata non referatur. *Agallochum lignum aloës* vulgo vocant, *Xyloaloën* dixit Aëtius. Quidam *lignum Paradiſi*, de quo ſuo loco: Sed *ahalim* Num. 24. v. 6. recenſentur inter ea ligna, quæ in Syria & Arabiâ fuêre indigena. Agallochum ex Indiâ affertur Orientali, & è Taprobanâ. In Arabiâ naſci negat Serapion ex Abohaniſa Arabe, apud Matthiol. l. c. Quâ de causâ neque *Santalum* eſſe poterit, quod Arabes *Sandal* vocant, & ex India adferri notant, ut Serapion, de Temperam. Simpl. cap. 336. Quare *Aſpalathus* potius videtur, quo pigmentarii ad unguentorum ſpiſſamenta utuntur, naſciturque in Syriâ & Rhodo, Dioſcorid. lib. 1. cap. 19. Agallocho non diſſimilem eſſe ait *Lemnius de Herb. Bibl. cap. 21.* & Ruellius putat eſſe aſpalathum *Rhodium Oleaſtrum*. De his odoratis lignis ſuo loco.

2. *Atad*. אטד Geneſ. 50. v. 10. Judic. 9. v. 14. Pſalm. 58. v. 10. *Rhamnus* eſt. Afris *atadim* in plurali, ut ex Dioſcoride annotat Bochartus in

Canaan l. 2. c. 15. Spinoſus eſt, ſepibus faciendis idoneus, vide Dodonæum, & Bellonii obſervat. lib. 2. cap. 88. Noſter rhamnus Creutzbeer oder Wegdorn dicitur; grana fert infectoria, ex quibus fit color viridis, vulgò Safftgrün dictus: Rauwolff. Lycium, vel Pyxacantha.

4. *Algumim* אלגומים & *Almugim* אלמוגים ex *al* & *mog* compoſito nomine, ligna, quæ non facile computreſcunt ac diſſolvuntur, 1. Regum. 10. verſ. 11. 12. 2. Paralipom. 2. v. 8. & cap. 9. verſ. 10. 11. Græci habent ligna πεύκινα, Vulgatus *Thyina*, quorum inter pretioſas merces mentio fit quoque Apocalyp. 18. verſ. 12. Quidam *corallio* interpretantur, Danæus *Lignum Breſilianum* putat fuiſſe, Phyſ. Chriſt. Tract. 3. cap. 77. D. Lutherus habet: *Ligna ebeni*, Heben Holtz: meminit Joſephus lib. 8. Antiq. cap. 2.

5. *Elah*, אלה & *Allon* אלון cognata ſunt vocabula, res tamen diverſæ. *Elah terebinthus* fere creditur; quanquam alii malint *ulmum* aut *alnum*, in quibus veſtigia nominis Hebræi extant. *Allonim* verò eſſe *quercus*, ilices, robora, plerique conſentiunt. Sæpiſſimè leguntur, & conjunctim quidem Eſai. 6. v. ult. Oſe. 4. v. 12. &c.

6. *Erez* ארז Cedrus eſt, omnium coniferarum nomen commune, ut ait Arias Montan. in Hiſtor. Nat. Thalmudicos in Roſch Haſchana, decem cedrorum genera numerare, ait Buxtorfius. Conſentit Bochartus in Canaan lib. 1. cap.

cap. 35. Proprium tamen κατ' ἐξοχὴν Cedri: Celeberrimæ in S. Literis.

7. *Oren*, ארן, *Ornus*, Eſai. 44. verſ. 14. ſemel legitur. Germ. Ahorn; Vulgatus vertit *Pinum*, alii *Cedrum*.

8. *Botnim* בטנים, ſemel legitur Geneſ. 43. v. 10. ubi mirè variant Interpretes: Vulgatus habet *aliquid terebinthi*: Arias Mont. *avellanas*; Pagninus, *juglandes*: Vatablus, *nuces pineas*: Lutherus Dattlen: *nuces Terebinthinas* Tremellius; nam *Boten* Terebinthum dici Hebræis & Arabibus. Eſt autem ea non *reſinifera* illa, de qua num. 5. modò; verùm illa *nucifera*, iſti non abſimilis, quæ fert *Piſtacia*, ut pluribus probat Bochartus lib. 1. Canaan. cap. 10. audiemus ſuo loco, vide eund. c. 28. l. c.

9. *Bacha* בכא *morus*, 2. Sam. 5. verſ. 23. 24. 1. Paralip. 14. vel. 15. v. 14. 15. Pſalm. 84. v. 7. fortè à ſanguineis lacrymis, quas baccæ ſundunt compreſſæ. Nam cognatum בכה *bachàh*, fletum ſignificat, κλαυθμόν. Undè *Bacchæ* quaſi fletu fœmineo ululantes; quaſi *Mebacchot* deflentes, *in Piel*. Ita Heſychius ait *Bacchum ſignificare Phœnicibus* κλαυθμόν. Eſt & alia ratio mythica, *cur morus Syris à fletu dici potuerit?* propter vulgatam de Pyramo & Thisbe fabulam, quam nemo neſcit ex Ovidii Metamorphoſ. l. 3.

Signa tenet cædis, pullosque & luctibus *aptos*
Semper habet fœtus, *gemini monumenta cruoris*,

10. Bar-

10. *Barkanim*, ברקנים legitur Judicum. 8. v. 7. 16. Spinas aculetas ſignificat. Componitur ex *Baràk*, coruſcavit, ut fulgur & gladius vibratus, & *Kajin*, lancea, aculeus, cuſpis, Avenarius. Buxtorff. *oxyacanthas* interpretatur; vulgatus, *tribulos*.

11. *Beroſch*, ברש, *Abies*, ut Commun. Avenarius tamen, *fraxinus*, habet: ea enim eſt *utilis haſtis*, quæ ex *Beroſchim* factæ, 2. Sam. 6. v. 5. Eſai. 14. v. 9. cap. 37. v. 24. cap 41. v. 19. Nah. 2. v. 4. & 1. Reg. 5. v. 8. cap. 9. v. 11. 2. Paralip. 2. v. 8. Lxx. πεύκην & κυπάρισσον verterunt. Zachar. 11. v. 2. πίτυς dicitur. Sunt cognatæ arbores, & Cedris annumerantur.

12. *Berath.* ברות, ſemel legitur Cantic. 1. v. 17. *Cupreſſum* interpretantur plures; recentiores *Brutam* quæ Cupreſſo ſimilis.

13. *Gephen* גפן *Vitis*, ἄμπελος, ſæpiſſimè.

14. *Gopher*, גופר, ſemel Gen. 6. verſ. 14. Arca Nohæ compacta *ex lignis Gopher* ἐκ ξύλων τετραγώνων Lxx. *de lignis levigatis*, Vulgat. *ex lignis bituminatis*, Hieronym. in Tradit. Hebr. nam *Gopher* bitumen ſignificat; *Cophrith* Sulphur. Chaldæus *Cedrum* ponit: Rabbini unam ex quatuor abietum ſpeciebus, quam Græci vocant κεδρελάτην. Græca Scholia habent ἐκ ξύλων ἀσήπτων, ἢ κεδρίνων. Oleaſter *pinum vel piceam interpretatur*, ut D. Lutherus; von Tännen-Holtz. Fortè Kifern/ quod Hebræo nomini reſpondet. Bochartus

tus tamen cum Fullero *Cupreſſum* ſignificare contendit, Phaleg. l. 1. c. 5.

15. *Hobenim*, הבנים, *Ebeni ligna*, ſemel Ezech. 27. v. 15.

16. *Hadas* הדס, *myrtus*, Eſa. 41. v. 19. cap. 55. v. 13. Zachar. 1. v. 8. 10. Nehem. 8. v. 16. Hinc *Edeſſæ* urbis, & Eſtheræ nomen *Hadaſſa*.

17. *Zaith* זית *Olea*, in Palæſtinâ, copioſa, Deut. 8. v. 8. ſæpiſſime.

18. *Chedek* חדק ſpinæ quædam ſpecies, bis legitur Mich. 7. v. 4. & Prov. 15. v. 19. Avenarius vertit *Paliurum*, ut Vulgat. Vatabl. *carduum* aculeatum.

19. *Choach* חוח, *ſpina*, Job. 31. v. 40. ubi Vulgat. *tribulum* habet, Pagnin. *paliurum*, Lxx. κνίδην *urticam*, dictam à κνίζειν urendo, pruritum ciendo. Lutherus, Diſteln. Ex quo loco etiam id apparet pro tritico, ac in triticeâ ſegete naſci. Sic *Hachoach* Libani 2. Reg. 14. verſ. 9. *Carduus* eſt Vulgato, Pagnino, ut Lxx. ὁ ἄκαν, ἄκανος, *fructus cardui*, & quaſi malum ſpinis rigens, Diſteln-Kopff. Sceptro ſimilis eſt, & flore coronam præfert: undè venuſtè Rex ei comparatur. Sic *Roſa inter ſpinas* Cantic. 2. v. 2. ἐν μέσῳ ἀκανθῶν, puto propriè, *Carduorum*. Sic interpretantur Eſa. 34. v. 13. ubi Vulgatus habet *Paliurum*; parallelum eſt Oſe. 9. v. 6. ubi Vulgat. *Lappa*: & ſpina, *choach*, in manu ebrii, *carduus*, eſſe poteſt. Proverb. 26. v. 9. & ſpineta *Chavachim*, loco deſerta & inaceſſa ſunt, ubi cardui creſcunt 1. Sam. 13. v. 6.

20. *Libni*

20. *Libne*, לבנה *Populus alba*, λέυκη, Gen. 30. v. 37. Oſe. 4. v. 13.

21. *Luzim* לוצים ſemel legitur Geneſ. 30. verſ. 37. Nuciferæ arboris nomen eſt. Et videtur *Nux* à *Luz* dicta, mutato L. in N. ut Lympha, Nympha. *Corylum* & nuces avellanas intelligunt Pagninus, Lutherus, Arias Mont. in Hiſt. Nat. *piſtacia* ſic dici vult. Pro corylo facit nominis originatio; nam *Loz* ſignificat *recedere*, & *deflectere*: ut indicetur lignum, quod facilè decorticetur, aut cujus virgæ ſint flexiles, *vide Bapt. Portæ Villam lib. 5. cap. 35.* Vulgatus tamen Virgas habet *amygdalinas*. Sic *Luz* & *Lauz* Arabibus amygdalus, & ita accipiendum eſſe h. l. pugnat multis argumentis *Bochartus* in *Canaan lib. 1. cap. 35.* Inprimis quod veteres Rabbini & Chaldæus ipſe *Schakedim* exponat *Luzin*; quamvis recentiores *Luzin* diſtinguant, & avellanas eſſe dicant. Cognatarum rerum vocabula ſæpè ab interpretibus permutantur. Sic Græci, ut docet Bochartus ipſe, κάρυα quod nomen generale eſt, nonnunquam amygdalas nuces κατ' ἐξοχὴν vocant. Ita fieri potuit, ut nomen *Luz* & corylum & amygdalum ſignificârit. Quales autem baculi ex *Luzim* facti ſint à Jacobo? ex re ipsâ diſcernendum videtur. Sed de his ſuo loco.

22. *Naazuz*, vepretum, *rebus ſpinoſus*, נעצוץ à *Naaz*, infigendo, bis legitur Eſai. 7. verſ. 19. & 55. v. 13. Vulgatus illic habet, *fruteta*; Vatablus *ſpineta, dumeta*, quibus pagi ſolent cingi: hic verò Vul-

Vulgatus ponit *Saliuncam*; Vatabl. *ſpinam albam* ex R. Kimchi.

23. *Sillon* סלון, *ſpina, aculeus*, Ezech. 2. verſ. 6. & 28. v. 24. ſic dicuntur homines malitioſi, *perverſores*, ut habet Vulgatus, qui ſunt *offendiculum amaritudinis*, & ſpinæ pungentes. Hinc σίλλοι & σιλλαίνειν, Comicorum more convitiis illudere, ut putat Avenarius.

24. *Seneb, rubus*, סנה Exod. 3. v. 2. 3. 4. Deut. 33. v. 16. ἡ βάτος, cujus ſpecies βάτος ἰδαία *rubus Idæus*, Cynosbatus *rubus Caninus*. Inde mons *Sinai*, & populi *Sinæi*, vide *Buxtorff.* & *Bochart. Phaleg. pag. 312.*

25. *Sirim* סירים, *ſpinæ* Eccleſ. 7. v. 7. Eſa. 34. v. 13. Oſe. 2. v. 6. Nahum. 1. v. 10. ita commun. hinc compoſitum.

26. *Sirphad, ſpinetum*, dumetum, ex *Sir* & *raphad* ſternendo: locus dumis ſtratus & conſitus, סרפד, ſemel legitur Eſ. 55. v. 13.

27. *Arabim*, ערבים, *Salices*, virore amœnæ, gratæ capellis, aut quod campeſtribus gaudeant, ab *Arabh*, Levit. 23. v. 40. Eſ. 15. v. 7. *torrens ſalicum*, ubi Pagninus habet, *Arabes ſuper torrentem*: ita & Tremellius. Item Eſa. 44. v. 4. Pſalm. 137. v. 2. Job. 40. v. 17.

28. *Armon*, ערמון, Gen. 30. verſ. 37. Ezech. 31. v. 8. Vulgato *platanus*, Hebræis *Caſtanea*; arbor fortè concinnè diſpoſita, undè ἁρμὸς, ἁρμόζω, ἁρμονία, & Chaldaicum *burman* agger aptè concertatus, *Bochart. p. 604.*

29. *Zea-*

29. *Zealim*, צאלים à *Zalal*, arbuſta umbrifera, Vulgat. *Umbra*, *bis* legitur Job. 40. v. 16. & 17.

30. *Koz*, קוץ *ſpina*, pungens cùm dolore, à quâ cum tædio & faſtidio abhorremus; à rad. *Koz*; deteſtatus ſum, tædio affectus & nauſeâ; undè fortè Germanicum Kotzen: ſæpè legitur, ut Gen. 3. v. 19. Exod. 22. v. 5. 2. Sam. 23. v. 6. &c.

31. *Rimmon*, רמון, *Malus Punica*, Num. 20. v. 5. Deut. 8. v. 8. Joël. 1. v. 12. &c.

32. *Schaith*, שית, & *Schamir* שמיר, *ſentes & vepres* ſignificant apud Eſai. 5. v. 6. cap. 7. verſ. 23. 24. 25. cap. 9. v. 18. cap. 10. v. 17. cap. 27. v. 4. & cap. 32. v. 13. conjunguntur *Koz*, *Schamir*; ſpina, vepris.

33. *Ez Schemen* עץ שמן *lignum pinguedinis*; Neh. 8. v. 15. Eſa. 41. v. 19. lignum *olivæ* habet Vulgatus hîc: ſed in priori manifeſtè ob oleâ diſtinguitur. Ergò ut notat Vatablus alii *pinum*; alii *cedrum*, alii *balſamum lignum* accipiunt. Sed Eſaias quoque à Cedro diſtinxit, neque balſami tanta fuit, ut videtur, copia, ut inter *Hoſannot* in feſto Tabernaculorum vulgò circumgeſtari poſſet & cur pinus hoc nomen quaſi proprium haberet; neſcio quæ fuerit ratio? *Schemen* pinguedinem, oleum, & unguentum notat. Vulgatus in Neh. l. cit. habet pro ligno pinguedinis; *lignum pulcherrimum*, reſpiciens ad legem Levit. 23. v. 40. ubi vocatur *Arbor Hadar*, *honoris & decoris*, quam *Citrum* eſſe putant, de quâ *Bonfrerius in Levit. loc. cit.*

cit. Plinius varias arborum ſpecies recenſet, ad unguenta expetitas, frequentes in Syriâ & vicinis regionibus. Talis eſt *Cyprus Ziziphi foliis, ſemine coriandri, flore candido odorato; Coquitur in oleo, premiturque poſteà, quod Cyprinum vocatur*, lib. 12. c. 24. Talis *Styrax*, ibid. cap. 25. & *Malabathros*, cap. 26. *vide Matthiol. & Bauhin. in 1. Dioſcorid. cap. XI &c.*

34. Admonuit me præcedens arbor *Lauri*, quàm volunt dici *Ezrach* אזרח, Pſ. 37. v. 35. ubi vulgatus habet *Cedrum*. Vocabulum ſignificat *indigenam*, Einheimiſch / & arborem non transplantatam: v. Marinum in Thidhar.

35. *Sitta* שטה, unde *ligna Sittim* toties celebrata, quæ Græcis ἄσηπτα, *ligna Cedrorum lectiſſimarum* Tremell. D. Luthero Förenholtz. Exo. 25. v. 5. 10. 13. & ſæpiſſimè in eo libro poſteà, ut & Eſ. 41. v. 19. Joël. 3. v. 17. &c. *Hebraicum Setta*, ait Hieronymus in Eſa. l. cit. *eſt genus arboris naſcentis in eremo, ſpinæ albæ habens ſimilitudinem: unde omnia ligna arcæ & tabernaculi facta ſunt inſtrumenta, quæ appellantur* Settim: *quod lignum imputribile & leviſſimum, omnium lignorum, tam in fortitudine quàm in nitore ſoliditatem ſuperat & pulchritudinem* Plura ſuo loco.

36. *Schaked*, שקד à *feſtinando* dicta, de quo Bochartus pag. 697. 698 *Amygdalus*, Geneſ. 43. v. 10. Num. 17. v. 23. Eccl. 12. v. 5. Jerem. 1. v. 11. Exod. 25. v. 33.

37. *Schikemim*, שקמים, *Sycomori*, arbor & fructus, συκάμινοι, & συκάμινα 1. Reg. 10. v. 27. 1. Paralip. 27. v. 28. Eſai. 9. v. 10. Amos. 7. v. 14. Pſalm 78. v. 46. Luc. 19. v. 4.

38. *Sorek*, שרק *ſurculus vitis electæ*, Eſai. 5. verſ. 2. Jerem. 2. verſ. 21. *Srekah*, Geneſ. 49. verſ. 11. *Seruk*, Eſ. 16. verſ. 8. hinc *ſpadiceus color* Zachar. 1. v. 8.

39. *Theenah*, תאנה, *Ficus*, Gen 3. v. 8. Deut. 8. v. 8. & alibi ſæpiſſimè.

40. *Thaaſer*, תאשור, *Buxus*, bis, Eſa, 41. v. 19, & 60. v. 13. forte ab *Aſſerà*, quod lucum ſignificat. Iisdem locis legitur quoque.

41. *Thidhar*, תדהר, quod Vulgato modò *ulmum*, modò *pinum* ſignificat. Tremellius vertit *Tædam*; Lutherus, Buchen: Avenarius quoque *ulmum* à foliorum fragore & ſtrepitu, *à Dahar*, *pedibus plauſit*, ut equus:

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula Campum

Serapion *Didar* vocat. Rabbini inter Cedros numerant: Sapinus.

42. *Thamar*, תמר, *Palma*, Pſalm. 92. v. 13. & ſæpè alibi.

43. *Thirzah* תרזה, *Cupreſſus*, Eſa. 44. v. 24. Vulgatus habet *Ilicem*; Græci ἀγριοβάλανον, Lutherus Buchen / à rad. *Razah*, arborem gracilem & macilentam quaſi notat.

44. *Thapuach*, תפוח *Malus*, à *Peach*, reſpiravit, flavit, odore pomi fragrante, Proverb. 25. v. 11.

v. 11. Cant. 2. v. 3. 5. cap. 7. v. 9. cap. 8. v. 5. Joël. 1. v. 12. vid. Bochart. p. 837.

His adde רתם *Rhothem*, quod *Juniperum* exponunt, vel *Geniſtam*, 1. Reg. 19. v. 5. Job. 30. v. 4. Pſalm. 120. v. 4. Item ex Apocryphis & Novo Teſtam. *Lentiscum*, in Fragm. Dan. κεράτια, *Siliquas* Luc. 15. porcorum cibum. *Ribh* Ægyptiace *pyrum* ſignificat, & indè Ægyptum inferiorem, à formâ pyri, Δέλτα Græcè, *Bochartus pag.* 264. *Capparis*, pro cibi appetentiâ eſt apud Vulgat. de quo D. Geyer in Eccleſ. cap. 12. v. 5. *Myxaria* leguntur Geneſ. 43. v. 11. & *lotus* arbor ejusve fructus, apud quosdam; & ſi quæ alia id genus, præterita hic, ſuis fortè locis dicenda. Quo etiam differo fructuum nomina, ut *Ibba*, *Inba*, Dan. 4. v. 9. 11. *Bicurim* Mich. 7. v. 1. *Boſer* Job. 15. v. 33. Jerem. 31. v. 29. *Beuſchim*, Eſai 4. v. 2. *Gargar*, Eſa. 17. v. 6. *Debbaſch*, 2. Paralip. 31. v. 5. *Debela* 1. Sam. 30. v. 12. *Paggim*, Cant 2. v. 13. *Keiz* Eſa. 16. v. 9. Amos. 8. verſ. 1. *Schibalim*, Zachar. 4. v. 12. &c.

Marinus in Arcâ Nohæ, quem ſeriùs accepi, habet quoque: *Eſchel*, Tamaricen, *Copher* Cyperum, *Lot* Caſtaneam, *Zaphzapha* Salicem.

SECTIO II.

CAPUT IV.

De Arboribus quibusdam ſylveſtribus.

1 VUlgata & antiqua *diviſio* eſt arborum *in ſylveſtres & urbanas*. Non à loci, ſed naturæ differentiâ

2. *Sunt enim arborum quædam omninò ſylveſtres, quædam urbanæ; Hæ mites quæ fructu, aut aliquâ dote umbrarumve officio humaniùs juvant; ut non improbè dicantur urbanæ*, Plin. 16. c. 19.

3. Aliter Autor de Plantis, qui Ariſtoteles vulgò habetur, definit ſylveſtres, τὰ φυτὰ ἄγρια, ὅτι οὐκ εἰσὶν ἐξ ἐπιμελείας γεωργικῆς, *quod ſine curâ & culturâ proveniant*, lib 1. cap. 4.

4. Quare addit *hæc* ἄγρια *plures edere fructus quàm* τὰ κηπαῖα, *hortenſes arbores; ſed harum fructus eſſe meliores*: & cap. 7. *Sylveſtres per curam* καὶ ἐπιτέχνησιν *fieri hortenſes*.

5. Unde patet, hac ratione differentiam eſſe non ſubſtantiæ, ſed accidentis. Nos autem ſylveſtres dicimus, quæ nunquam miteſcunt, ſed feram naturam retinent.

6. Hinc Problemata: 1. *An recte diſtinguantur arbores, in urbanas & Sylveſtres?* Negat Scaliger Exercit 140. Nos affirmamus. 2. *An vere dixerit Hippocrates; plantas omnes naturâ ſuâ agreſtes eſſe*, cultu ἐφημερῶσθαι; ut ea cicuratio non ſit formalis differentia? Affirmat Idem, l. cit. Sed Negat Moſes;

ſes : nam à rerum principio Deus & *herbas agri, & olera* produxit : aliasque arbores miti ſuavique fructu, ut in Paradiſo ; alias immiti aut nullo.

Verùm hæc & id genus *ad Botanicen Phyſicam* pertinent, vide eorum aliqua *apud Laurembergium de Horti cult. l. 4. cap. 6.*

Obſervationes.

Cùm ordinem naturalem in hoc opere tenere non liceat, quod explicandis S. literis ſuſcepi, ne vel loca S. Scripturæ divellere, vel eadem ſæpiùs citare & exponere oporteat ; ſequi lubet ordinem facilioris cognitionis & doctrinæ. Itaque tametſi generalia debent præcedere ſpecialibus ; tamen primò *de Speciebus Arborum* ſingulatim, tùm *de generalibus differentiis* dicam. Neque ſingulas velut in Pomario per quincuncem diſponam : ſed ut in Sylvâ, quomodocunque ſe in conſpectum dabunt, contemplabor : inprimis ſylveſtres, quarumque non adeò frequens in S. Literis mentio eſt. Nam quæ crebriùs occurrunt ea ſeorſim ſpectare licebit.

De Sylveſtribus Locus Eſai. 41. v. 18. 19.

1. *Deſertum*, inquit Deus, *vertam in ſtagnum aquarum*, &c. *Dabo in ſolitudine* Erez *Cedrum, &* Sitta *ſpinam albam*, *&* Hadàs *myrtum*, & Ez *Schemen lignum pinguedinis*, vel unguenti: *ponam in deſerto* Beroſch *abietem*, (vel Cupreſſum) *& Thidhar ulmum*, tædam, fagum, *& Theaſſur*, *buxum*, &c. Conſidera mecum 1. Species, 2. Ortum.

3. Myſticam ſignificationem. *Species* ſunt ſeptem: ac de prioribus tribus poſteà ſeorſim dicendum erit: poſteriores quatuor hîc ſpectabimus. Incipiam autem ab eâ, quæ frequentiùs legitur:

1. Beroſch quænam arbor? an Abies, Fraxinus, Cupreſſus?

2. Deſcribunt eam S. Literæ, 1. *à ſitu*, quod inter ſylveſtres naſci ſoleat, in ſolitudine aquosâ, h. l. & in Libano, Eſa. 60. v. 13. unde cum Cedrinis miſit ejus ligna Hiram Salomoni, 1. Reg. 5. v. 8. 9. 10. ubi lætatæ dicuntur de caſu Regis Babylonii cum Cedris, Eſa. 14. v. 8. & contrà ululare jubentur, Zach. 11. v. 2. fuerunt autem ibi electæ, & Cedris æquales, Eſa. 37. v. 14. 2. Reg. 19. v. 23. quibus etiam ferè his locis omnibus junguntur: In Horto Dei Paradiſo præſtantiſſimæ Ezech. 31. v. 8. Deindè 2. *à qualitatibus*, quod ſint frondoſæ, Virentes, Oſ. 14. v. 9. ubi & de fructu additur, de quo poſteà: hinc Ciconiæ in iis nidulantur, Pſal. 104. v. 17. & 3. *ab uſu*; quod utilem materiam præbeant, non modò *ædificiis* elegantioribus, ut & Cedri 1. Reg. 5. l. cit. & cap. 9. v. 11. verùm etiam *navibus*, & inprimis tranſtris, Ezech. 27. v. 5. ubi Lutherus habet. Fladerholtz/ id Saxonici exponunt, das beſte Tannenholtz; tùm etiam *ad haſtilia*, ut colligunt ex Nahum. 2. v. 4. *inſtrumenta Muſica*, 2. Sam. 6. v. 5.

Hæc omnia ſatis abieti convenire, non fraxino, neque æquè omnia Cupreſſo, deſcriptiones ſingularum oſtendent. capp. ſeqq. Nunc in explicatione loci propoſiti pergemus.

2. Thid-

2. Thidhar utrum ulmus, tæda, an fagus?

3. Bis legitur, ut dixi cap. præced. neque ulla additur nota, niſi quod in Libano quoque naſcatur, & annumeretur Cedrorum ſpeciebus. Itaque ex S. Literis difficilis ejus definitio. *Didar* à Serapione ſic deſcribitur: *Arabes eam nominant arborem cimicam. In Perſiâ vocatur luzach; eſtque arbor habens in ramis ſuis Camerulas, folliculos* puta, θυλάκια dixit Galenus, ſimiles ſcroto humano, *in quibus eſt humiditas, quæ ſiccata generat animacula ſimilia cimicibus*: κνίπες voaant & Latinè muliones. Quæ ex Galeno & Dioſcoride addidit, de *ulmo* noſtrate locutum eſſe teſtantur, quæ Græcis πτελέα ſimpliciter dicitur. Nam & *alia* eſt Ὀρειπτελέα dicta Theophraſto, montana: & *tertia* quæ *fungo* non abſimilis, ac *fagus ſepium* dicta eſt, ut notat Bauhinus. Sed neutra neque conifera neque reſinifera eſt, ut inter Cedros referri poſſit. Undè *Tædam vel Pinum* eſſe *Thidhar* quidam malunt. Sed *tæda*, Kühnholtz/ non ſui generis arbor eſt, verùm pinaſtri ſive pinus ſylveſtris morbus: *nam in tædam converti dicitur, cùm non modò cor ejus, ſed & reliqua ſubſtantia in pinguedinem mutatur*, ut notat Dodonæus contra Plinium. *Sapinus* quoque, ut vertit Arias Mont. Eſa. 60. v. 13. non eſt arboris ſpecies, *ſed Abietis pars inferior & enodis*, ut contra Bellonium obſervant Matthiolus & Dodonæus. Mihi proximè rem tetigiſſe videtur Vulgatus, quandò *Pinum* vertit: cujus quoddam genus,

ſunt enim varia cognata inter ſe. & abieti ſimile, & dignitate tam præſtans, ut inter pulcherrimas Libani arbores, *Gloriam Libani* vocavit Propheta, recenſeri mereatur: quæ laus an ulmo conveniat, neſcio. Plura mox.

3. Theaſſur an buxus?

4. Sic putant h. l. Eſai. 41. & c. 60. v. 13. plerique. Nec alibi legitur. LXX. habent λεύκην, & Vatablus cum Pagnino aliquandò *Populum*. Si legas πεύκην *Piceam*, quæ abieti adeo ſimilis eſt, *ut ſæpè ſylvanos homines & lignarios fabros fallat*, ut ait Matthiolus: cauſa erit, cur *Gloria Libani* poſſit appellari: quod buxo minimè competit. Aquila & Symmachus cum πύξον interpretantur, videntur non vulgarem buxum, ſed *Pyxacantham*, ſive arborem ſpinoſam foliis buxo aſſimilem præ oculis habuiſſe, ex quâ fit *Lycium*, dictus ſuccus, Deſcribam poſteà.

4. Ez Schemen Arbor unguenti quænam?

5. De hac ſatis multa cap. præced. & mox plura. Nunc ita puto: *Beroſch Thidhar & Theaſſur* reſiniferas eſſe, Cedrorum generis. Hanc autem appellationem communem eſſe omnibus ex quibus unguenta odorata fiunt. Atque hæc quidem de ſpeciebus arborum Sylveſtrium in loco hoc Eſaiæ. De quibus tamen deinceps certiora fortè.

De ortu

De ortu ſic ait Deus: Ego dabo, Ego ponam; ut Dei beneficium & benedictionem intelligamus. Quonam medio? *Aperiam in ſummis collibus flumina, deſerta vertam in ſtagna aquarum,* Nunc, inquit: ex quo coli terra deſiit, adeò ſicca & exſucca ſolitudo facta eſt, ut ſitientes aquas fruſtrà quærant, linguaque eorum præ ſiti exareat, ac palato hæreat, v. 17. Sed *Ego exaudiam, Ego non deſeram!* Ego, miſſis cultoribus, faciam, ut redeant non fontes tantùm, ſed & flumina. Sic *arida vertetur in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum*, Eſai. 35. verſ. 7. Ita enim fit, ubi terra non colitur, fugiunt quoque aquæ, lacus & rivi non deſiccantur: ſin colatur iterum, redeunt. Ita Theophraſtus refert, *circa Arcadiam, Cretæ urbem, fontes & lacus ſubſtitiſſe; quia coli terra deſierit, dirutâ urbe: poſtea verò quam cultores recepiſſet, aquas quoque recepiſſe. Fuit aliquandò aquarum inops Hæmus; ſed cùm Gallorum gens, à Caſſandro obſeſſa, in illum ſe contuliſſet, & ſylvas cecidiſſet, ingens aquarum copia apparuit: quas videlicet in alimentum ſuum nemora ducebant: quibus exciſis, humor qui deſiit in arbuſta conſumi, ſuperfuſus eſt,* Seneca l. 3. Quæſt. Nat. cap. 11.

6. Parabola hæc continet *Vaticinium de Gentium vocatione* & Eccleſiæ per Evangelium inſtauratione. Indicatur *Eccleſiæ* 1. ante Domini adventum *ſtatus*, cùm ſimilis eſſet ſiticuloſo deſerto, γῇ ἀνύδρῳ, Lxx. Oſe. 2. v. 3. magna piorum raritas, vepres & Spineta dominabantur, Mich. 7. v. 3. nuſquam aquæ & fontes, Verbum DEI ca-

rum, & rarum, 1. Sam. 3. v. 1. Pſalm. 74. verſ. 9. Deindè 2. *Converſionis cauſa & ortus*, à Deo ſolo mediante Verbo & miniſterio colonorum; nam adducto in ſolitudinem *vomere Dominico*, iterùm eruperunt aquæ, Tit. 3. v. 5. 6. *divinaque chariſmata*. Cyrillus Eſai. 35. v. 7. *gratiæ ſpiritualis fontes, quos cervus deſiderat, quosqui biberit, poteſt benedicere Domino*, Pſalm. 42. v. 1. & 68. v. 27. Hieronym. ibid. Hinc 3. *fructus & effectus*: ex deſerto fit Libanus quaſi, mons pulcherrimus, & Paradiſus Domini; creſcunt arbores juſtitiæ, Eſai. 61. v. 3. Pſalm. 92. v. 13. Eſai. 35. v. 1. 2. 3. *Cedri* ſunt, quorum corda, in amore æterno ſolidata, nulla putredo amoris terreni corrumpit: *Spinæ* albæ, qui corda audientium ſalutariter pungunt: *Myrti*, qui proximorum tribulationes per compaſſionem temperant: *olivæ*, miſericordes: *abietes* cœleſtia contemplantes: *ulmi*, vites q. ſuſtinentes, pii ſeculares, qui ſanctos largitate ſuâ ſuſtentant: *buxi*, liberi, qui parentum credulitatem ſequentes fidem perpetuæ viriditatis tenent, ita Gregorius M. hom. 20. in Evang. Itaque Varietas illa arborum ſignificat *diverſitatem gratiæ Spiritualis; ne vel una chorda de Citharâ Domini, aut ulla Virtus gratiarum Eccleſiæ deſit*, Hieronymus h. l. *Septem* ergò iſtæ *arbores*, Septem Sp. Sancti dona indicare videntur, Eſa. 11. v. 1. Apoc. 1. v. 4. Cap. 5. v. 6. Proverb. 9. v. 1. Denique 4. *Finis* eſt Gloria Dei v. 20. h. l. Tantum de loco propoſito Eſaiæ cap. 41. in quo pulchra Eccleſiæ imago. Pinge Montem arboribus denſis opacum, quas inter rivuli manent, & ſubjectam

vallem,



p. 91.



Inculta horret, ſed culta vireſcit.

vallem, collecti in amnem, humectent: in quâ alius ſit, qui fodiat, alius qui plantet, alius qui riget: Sol deſuper foveat & incrementum det, 1. Cor. 3. v. 6. 7. - *Inculta horret, ſed culta vireſcit!* quæ ex loco de Eccleſiâ amplificabis, cujus hîc cauſæ omnes, & veræ notæ indicantur. Addo,

Locum Parallelum, Eſai. 44. v. 3. 4. 5.

7. Conſolatur Deus Eccleſiam ſuam, Iſraëlem electum, quem inter alia *nominum*, ut ait Hieronymus, *privilegia*, vocat ישרון *Ieſchurun*, εὐθύτατον. *Propriè enim juxta Hebræos & literarum fidem, Iſrael, Rectus Dei dicitur. Vir autem videns Deum, non in elementis, ſed in ſono vocis eſt. Unde & Liber Geneſeos appellatur εὐθέων Juſtorum, Abraham, Iſaac & Iſraël*, ita Hieronymus: ubi duo memorabilia, 1. unde Jacobo nomen *Iſraëlis*? 2. Quis ſit *Liber ille Juſtorum*, qui inter deperditos recenſetur? Sed neutrum ad limam vocare vacat. Sic Deut. 33. v. 5. Moſes dicitur fuiſſe Rex *Biſchurun*, unter den Frommen/ Rectorum, vel rectificatorum per Legem Dei. Aliorum interpretationes longè petitæ ſunt, quas collegit h. l. Eſai. 44. Corn. à Lap. Argumentum conſolationis petitur 1. à Sp. Sancti *miſſione*, 2. à conſequenti Eccleſiæ *reſtitutione*. Utrumque beneficium proponitur Parabolicè, per Parabolam & Epiparabolam. In *priore* indicatur 1. *Mittens*, qui eſt Deus, nempè Pater & Filius, creator & auxiliator. 2. *Miſſionis modus*, qui innuitur, per verbum *effundam*, Joël. 2. v. 28,

Zachar.

Zachar. 12. v. 10. Tit. 3. v. 5. intelligitur autem effuſio primò ſingularis, de quâ Actor. 2. cap v. 16. 17. &, Iohann. 7. v. 38. 39. deinde communis, & quotidiana, quæ fit per Verbum & Sacramenta. 3. *Miſſus* Spiritus Sanctus, qui eſt aqua ſaliens in vitam æternam, Johann. 4. v. 14. cujus fluenta ſunt benedictiones ſpirituales, Epheſ. 1. v. 2. 3. Hinc 4. *Finis cui?* Populus Dei, ſemen & ſtirps Jacobi, cujus alii filii ſunt ſecundum carnem, alii ſpiritu, ex promiſſione, Rom. 9. verſ. 6. Tota ſcilicet electorum Eccleſia, ante Dominum manifeſtatum, *arida* quaſi *& Sitiens*; propter defectum Evangelicæ doctrinæ, conſolationis, gratiæ, & indè ſterilitatem bonorum: Undè deſerto comparatur, ut num. præced. *Poſterius beneficium* continet *Finem quare?* & effectum hujus effuſionis, & *germinabunt inter herbam*, vel ut Lxx. *ut herba in medio aquæ:* ut illud בבין *Beben inter*, non ad herbam referatur, ſed adverbii localis ſignificationem habeat, & fluenta reſpiciat gratiarum: Sie werden wachſen / dazwiſchen wie Gras: *& quaſi* ערבים *Arabim Salices juxta rivulos aquarum*. Comparat in baptiſmate renaſcentes herbis virentibus, & ſalici, quæ juxta fluentes aquas oritur: & contra rerum naturam affert fructus, quæ priùs ſterilis erat, vel cujus ſemen in cibo ſumptum ſteriles facit, *ait Hieronymus.* De Salice ſuo loco, vide hic Cornel. à Lap. Indicatur hic Verbi Divini per gratiam Sp. Sancti fœcunditas. Nam neque copioſiùs ulla planta naſcitur quàm herba: neque

que citiùs arbor, quàm Salix ad aquas. Conſequens hujus Eccleſiæ reſtitutionis, & Judæorum ac Gentium converſionis, notaque adeò fidelium renatorum erit Publica fidei *profeſſio*, ac idololatriæ paganicæ *ejuratio*. Ubi obſervatu digna duo: 1. Mos ſingularis, 2. Uſus ſylveſtrium lignorum & abuſus.

8. *Mos* fuit Paſtorum & amantium, ut & Idololatrarum, ſacris arboribus vel Nomina vel ſigna quædam incidere, & inſculpere, Deorum aut hominum, quos colerent aut amarent. Talis inſcriptio eſt apud Theocritum, arboris cujusdam Amori conſecratæ, & ideò inviolabilis - σέβον μ' Ἑλένας φυτὸν εἰμι! *venerare me, Helenæ ſum arbor!* Hoc, Virgilius Eclog. 10. vocat - *teneris incidere Amores Arboribus*, cum voto - *creſcent illæ, creſcetis amores.* Ita ille;

Quando ponebam novellas arbores mali & pyri,
Cortici ſummæ notavi NOMEN ARDORIS mei,

apud Lipſium Elector. lib. 1, cap. 5. Sic in Sacris arboribus votiva dicari & ſuſpendi ſolebant donaria, adſcripto Dei Deæve nomine, ut *in Lucis* dicam ſuo loco. Ad hunc morem alluſum puto hic apud Eſai. & alibi. Fideles incidunt amores ſuos, q. teneris corticibus, ut & creſcant ipſi in amore DEI, & amor in ipſis. Ita h. l. Eſai.

Eſai. 44. v. 5. *Iſte dicet, Domini ego ſum! & ille vocabitur nomine Jacob: & hic ſcribet manu ſuâ, DOMINO! & aſſimilabitur*, ſignabitur, *nomine Iſrael.* Multa hic interpp. de ſenſu parabolico, & proprio. Hieronymus ad morem Tyronum alludi putat, quum militiam ſcripti, *pictis in cute punctis* ſignabantur, Vegetius. De quo more *Volum. 1. S. Analect. lib. 1.* ubi multa de Stigmatibus Militum, ſervorum, Idololatrarum *cap. 57. & ſeqq.* Scribet in manu ſuâ, Dei ſum: ut novo Tyrocinio ſervitutis, Chriſti ſe militem glorietur, *ait Hieron.* Pia & elegans expoſitio: ſed tamen, quia ſalicum mentio præceſſit, altera jam allata textui videtur congruentior, ut allegoria continuetur. Effuſo Spiritu Sancto creſcent electi ut ſalices, aliæque arbores humida amantes, ad amnes: & ut in quibusdam ſigna aut nomina ſolent incidi, ut indicetur Sacras eſſe & inviolabiles; ita illi nomine Dei, aut Iſraëlis, profeſſo, cui ſe conſecrârint palàm facient ἄσυλοι jam & Sacroſancti. Sic ergò per fidei *publicam profeſſionem* agnoſcuntur fideles: eaque fit *ore* & *manu*, linguâ & calamo; imò etiam per imitationem & aſſimilationem, *opere* ipſo, vide Rom. 10. v. 9. 10. Luc. 1. verſ. 4. Philipp. 3. v. 1. Joh. 13. v. 35. 1. Johan. 2. v. 6. 1. Petr. 2. v. 12. Quod ex Procopio affert Cornelius à Lap. *multos olim Chriſtianos in carne candentibus notis, nomen JESU aut ſignum crucis, ſibi inuri curâſſe*, ex illius Seculi conſuetudine ortum habuit, quâ ſervis & militibus Dominorum aut Impp. ſtigmata inureban-

bantur: ſed quod ex Sanchez habet, in verbo, quo vulgatus utitur, *aſſimilabitur*; hoc eſt, *ſimilitudine aliquâ, aut effigie, aut charactere, Iſraelis, id eſt, Chriſti, conſignabitur, ſigno aliquo oſtendet, ſe Chriſti legem & religionem ſequi; v. gra. geſtando ex collo crucem, Agnum DEI, Roſarium, medallium Chriſti, B. Virginis, aut Sancti alicujus imagine inſignitum, &c. quod poſtulabat Sponſus Cant. 8.* Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum? *q. d. Tu, ô Sponſa mea, Sponſi tui imaginem geſta in medallio, ad cor, vel ad armillas brachiorum appenſo*: hoc eſt Scripturis Sacris Rabbinorum more ludere, easque trahere, ad recentes ſuperſtitiones & paganas κακοζηλίας, contra manifeſtam, Spiritus Sancti intentionem. Nam quomodo ſe profitetur eſſe Domini, utique ſolius, pertinere ad Iſraëlem Dei, qui B. Virgini, aut alicui Sanctorum, ſcil. à Pontifice in Canonem relatorum; tali ſignaculo ſe devotum & dicatum proteſtatur? & cui veterum tales gloſſæ unquam in mentem venerunt? Quid? quod Propheta diſertè addit, fideles ſic Soli DEO adhæſuros, ut omnem paganam idololatriam, ſpeciemque ejus quamcunque, ſummo vitaturi ſint ſtudio? ſequitur enim.

9. *Uſus* ſylveſtrium lignorum *culinarius*, ad ignem in foco; *& abuſus idololatricus* ad ſimulacra v. 6. & ſeqq. à quo ſeriò dehortatur Propheta: argumentis maxime duobus 1. à vanitate iſtius cultus; 2. à pietatis In DEUM ſinceritate, quæ omnem

omnem iſtam ματαιοσοφίαν penitùs excludit. *Sermo eſt contra illius temporis idololatras, & arguit illos Propheta, qui DEi omnipotentis religione contemptâ, ſimulacris ligneis inclinentur, & adorent opera manuum ſuarum. Fit enim lignea ſtatua humanam exprimens ſpeciem, & quantò pulchrior fuerit tantò DEUS putatur auguſtior: ponitur in fano, & æterno clauditur carcere, quæ longo tempore crevit in ſaltibus, & pro varietate arborum, Cedrus & Ilex, & quercus vel pinus fuit, &c.* hæc & plura Hieronymus; qui tropologice hæc transfert ad *hæreſeon Principes, qui ſimulacra dogmatum ſuorum atque mendacii artifici corde componunt: & ita arte Dialecticâ, quaſi aſciâ & terebrâ, limâ & runcinâ formant DEUM ſuum, & cudunt malleo atque inaurant ſermonis Rhetorici venuſtate.* Ita Cornel. à Lap. *operosè oſtendit Idololatriæ inanitatem, ex Idolorum vili fabricâ, materiâ, & opifice.* Bene! ſed quod addit: *undè patet omninò, putâſſe rudes hos Gentiles, Idolum verè DEUM eſſe, aut certè aliquid Numinis ei ineſſe. Secus ſentiunt & faciunt Chriſtiani, cum venerantur imagines Chriſti & Sanctorum. Quare perperàm hæc contra illas torquent Oecolampadius, & Pellicanus, aliique Novantes.* Reſp. breviter 1. *Major* præmiſſarum, nec de omnibus idolis, nec de omnibus idololatris, univerſaliter vera eſt. Eſto fuerint aliqui adeò rudes, ut aliquid ineſſe Numinis crediderint ſuis idolis, per Magiam Aſtrolatricam; tamen prudentiores, nihil aliud eſſe, quàm inviſibilium Deorum viſibilia ſigna &

μνημό-

ανημόσυνα, & crediderunt, & docuerunt, ut Maximus Tyrius, Porphyrius &c. 2. *Minor* de Chriſtianis ſecundum dici, ſimulacrorum cultoribus, nullo modo vera eſt. Nam & illi *idem ſentiunt*, quod rudes iſti gentiles; alligatam eſſe Sanctorum præſentiam auxiliatricem ſimulacris ipſorum: undè & fiduciam in his collocant, venerationemque exhibent, quæ ſoli DEO debetur: *& idem* quod illi *faciunt* venerando, ut ex ſolâ collatione cap. 6. Baruchi ad oculum patet, *vide de hoc argumento Schrôderi Apodix. 7. de cultu Imag. & Dallæum de Imagin. lib. 1. cap. 2. &c.* Non igitur perperàm, ſed optimo jure hic locus Eſaiæ contra Pontificiorum Imaginum cultum, quaſi validiſſimum telum, intorquetur. Nam argumentum à vanitate idolorum Gentilium, quam deridendam proponit Propheta, etiam contra eas valet imagines, quas venerantur Pontificii. Eadem vanitas artificis. Nam *faber incertus ſcamnum faceretve, Deumve, maluit eſſe Deum*; Id eſt, Dei ſignum, pro Deo venerandum. Etenim

Qui fingit ſacros auro, vel marmore, vultus;
Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.


Eadem fabricæ; nec alia materiæ, *vide Dn. Schrôder. l. cit p. 427.* Pertinet ad hanc materiæ vanitatem, quod eligerentur fabricandis idolis *ligna quæ non facile putreſcerent*, Eſa. 40. v. 17.20. Qualia ſunt, quæ hic cap. 44. v. 14. memorantur, *Arazim cedri*; *thirzah, ilex* aut cupreſſum; *Allon Quercus, robur*; *Oren ornus*, vel pinus, de quibus deinceps:

Erant enim ſua cuilibet Deaſtro propria : *nec ex quolibet ligno fiebat Mercurius*, ut habet parœmia: dicam aliquid in Cap. de Lucis, *vide interim Alex. ab Alex. l. 4. Genial. cap. 12. & inprimis Stukium de Sacrificiis pag. 34.37. & ſeqq.*

10. Varia hic ad elegantia *emblemata* invenienda materia : ſi quis *Spir. Sancti per Baptiſmum*, aut Verbi Miniſterium *efficaciam* velit oſtendere, pingat fontem è cavæ arboris trunco exſilientem, qui in lacum collectus, & rivulo diffuſus in adjacentem campum, ripas veſtiat multo gramine floruleno & ſalicibus : cætera omnia arida ſint, & nudis circumdata collibus : Sol deſuper blandus irradiet. - *Hoc fœcundante vireſcat !* Vin' autem *Electum* pingere ? pone arborem ad rivulum ; è ramo pendeat in medio ſtipite tabella, nomen Tetragrammaton inſcriptum præferens, - *Summo ſum Sacra Tonanti !* Mavis fidelium *liberorum ad pietatis cultum inſtitutionem* demonſtrare ? pinge opilionem, qui tenero cortici arbuſculæ incidat iſta: Sum Dei ! - *Creſcet amor, dum creſcet & illa !* Sin lubet *hæreticorum commenta* exhibere, pinge Statuarium ; ſed habitu Philoſophico indutum ; qui malleo & ſcalpro è trunco formet ſimulacrum. - *Sic cudunt idola Sophiſtæ.* Vanitatem *idololatriæ* repræſentabit, qui fabrum lignarium, laceris veſtibus, aſciam manu geſtantem pinxerit, ſtantem ponè truncum ſucciſum : hinc pendeat Lebes è ramo aliquo, ſubjecto igne ; illinc ſtet in delubro ſimulacrum : ſit lemma - *Maluit eſſe Deum !* confer Jerem. 10. v. 3. Sap. 13. v. 11.

Locu


Hoc foecundante vireſcat





J: à Montalegre ſc:


Sic cudunt Idola Sophiſtæ.
Maluit eſse Deum.
J. Keyll del.
J. a M. ſc.

Locus alius ſimilis, Eſa. 55. v. 13. ut & cap. 60. v. 13.

11. Pro *hannaazuz* creſcet *Beroſch*, & pro *haſſirpad* creſcet *hadas* : *& erit Domino in Nomen, & in ſignum ſeculi, quod nunquam ſuccidetur*, auferetur. Parœmia eſt ænigmatica. Ut explicetur, *in cortice* priùs ſpectanda ſunt 1. Stirpium nomina obſcura, 2. eorundem deſcripta permutatio, 3. Permutationis cauſæ. *Stirpes* citantur quatuor, quas inter *de Beroſch & Hadas* id eſt, Abiete & Myrto, jam dictum eſt aliquid, nec magna apud Interpp. apparet diſcrepantia: niſi quod pro abiete habent LXX. *Cypariſſum*. Sed pro *Naazuz* & *Sirpad* ponunt LXX. στοιβὴν καὶ κονύζην : notatque Hieronymus, *Stœben* eſſe viliſſimum ſtipitem; *Conyzam*, herbam viliſſimam, amaram, odorisque peſſimi. Vulgatus habet: *pro Saliunculâ & urticâ*. Pagninus: *pro rubo ſpinoſo & urticâ*. Tremellius: *Loco Virgulti & paliuri*; ubi in annot. de hac poſteriore voce; *ſic placuit reddere ex etymo: nam compoſita eſt ex duabus vocibus, quarum una ſpinam, altera oppreſſionem & exitium ſignificat, quaſi dicas ſpinam exitialem. Eſt enim* - ſpinis paliurus acutis, *ut ait Virgil. Eclog. 5.* D. Lutherus, für Hecken/ und für Dornen. De his deinde diſtinctè. *De permutatione* ambiguum eſt; an dicat Propheta, malas has & infames ſtirpes eſſe eradicandas, inque earum locum alias bonas plantandas? an eas ipſas in aliam meliorem naturam transmutandas; ut ex urticis, v. gra. fiant myrti?

Hoc poſterius placuit Hieronymo, ut mox audiemus: & majus eſt miraculum gratiæ Dei glorioſæ, quod *ex improbis probos efficit*, ut habet Vatablus. Cauſa autem efficiens hujus mutationis dextera eſt Excelſi, ut ex fine intelligitur. Hinc enim Domini Nomen his jam arboribus inciditur, ut ſignum ſit perenne gratiæ ejus, quod exſcindere aut abolere nefas ſit. Quod ut meliùs intelligatur, duo obſervanda ſunt. 1. Sæpè fit, ut ſoli ſoliſque naturâ & virtute, aut etiam culturâ hominum, plantæ in aliam formam & ſpeciem tranſeant: qua de re ſuprà lib. 1. cap. 8. Sed hic Dei miraculoſa gratia celebratur. Sic inter prodigia recenſetur *Platanus in oleam mutata* Laodiceæ, adventu Xerxis: ſic *Ficus in lauro nata eſt* Cyzici ante obſidionem Mithridatis; & pro oſtento fuit *laurus nata in Platano*, atque *ex eâdem orta Ilex & olea*, vide Plinium lib. 17. cap. 25. ac ibid. Dalechamp. 2. Quas manu ſuâ feliciter conſevit, ac excoluit Horti Dominus arbores aut plantas, ſigno aliquo aut etiam inciſo nomine notat, ne quis loco movere, aut exſcindere audeat. Quod hodiè quoque non infrequens. Creberrimè fit in curbitis, quas ad juſtam magnitudinem & maturitatem volumus creſcere. Sic ſignatur Dei alicujus nomine aut charactere arbores religionis causâ, jam diximus. Pertinet huc, quod Xerxes *Platanum* à ſe amatam *aureo monili* donavit, & uni ex ſuis *Immortalibus*, (Equites erant Regum cuſtodes in Perſide, vide Briſſon. de Perſic. l. 1.) cuſtodiendam mandavit. Romani Platanos mero infuſo nutriebant, Plinius l. 12. cap. 1. Herodo-

rodotus &c. Ita ergò Deus ait: ſe arbores à ſe conſitas & transmutatas ſignaturum nomine ſuo, ut hoc gratiæ & amoris ſui extet perpetuum monumentum, nullo delendum ævo: *Et vocabuntur Arbores juſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum,* Eſai. 61. v. 3. quibus nemo nocere debeat, DEI ſignaculo tutis, Apocal. 7. v. 3.

12. Hinc *ad medullam* hujus ænigmatis facilis tranſitus eſt. *Utcunque ſe habeat nominum proprietas;* ait Hieronymus, poſtquam verſionum varietatem retuliſſet, *hoc dicendum eſt; quod mala vertantur in bona & pro vitiis naſcantur virtutes: pro iniquitate juſtitia, pro temeritate fortitudo; pro luxuriâ temperantia, pro ſtultitiâ prudentia. Matthæus & Zachæus & Publicani ſaliunculæ erant, ſtirpes inutiles, & conyza amari ſaporis & odoris teterrimi; ſed in Apoſtolos mutati facti ſunt Capariſſus, ut abies & myrtus, odoris optimi, & in varia opera uſus neceſſarii. Paulus urtica erat, habens perſecutionis aculeos, factus eſt Chriſti bonus odor, &c.* Quod addit: *unumquemque propriâ voluntate facere animæ ſuæ bonam vel malam arborem, cujus fructus varii ſunt:* etſi contra Manichæos dixit, qui hominum malitiam aut bonitatem ex gemino naturæ creantis principio, Malo vel Bono, oriri autumabant; tamen ex Origenis lacunis hauſtum eſt, undè & Pelagius traxit, ac niſi commode exponatur errorem habet à Catholicâ Eccleſiâ damnatum. *Naturæ non proprietate*, quam ex creatione accepimus; *ſed pravitate*, quæ lapſum Adami ſecuta eſt & in

omnes propagatur, *omnes malæ arbores ſumus*: itaque qui malos fructus pariunt, naturaliter & ex ſe pariunt, proprio mentis arbitrio: ſervi quidem peccati, ſed non coacti: Nec his ulla ineſt *facultas*, quà poſſint fieri bonæ arbores: non magis quàm urticæ ut fiat myrtus. Dei hoc miraculum eſt renovantis, & nova quædam *creatio* iſta μεταμόρφωσις: quæ tamen non fit *citra voluntatis arbitrium*, ſed primò *in illo ipſo*, ut mutetur quaſi radicis ingenium pravum in melius, & ex ſervo fiat liberum; deinde etiam *per ipſum* jam renovatum, ut fructus pariat bonos, naturâ per gratiam reſtituta in primigeniam bonitatem. Hoc teſtatur *Dei ſignaculum* appoſitum, gratia Sp. Sancti obſignantis & teſtificantis, ne quis glorietur, Epheſ. 2. v. 8. Foris autem apparet cùm per Profeſſionem fidei, tùm per crucis patientiam, Roman. 5. v. 1. usque ad 6. & cap. 8. v. 14. ac ſeqq. Gal. 6. v. 15. 17. *His qui de malo commutati fuerint in bonum, erit Dominus in nomen, & in ſignum æternum: ut ex ipſius nomine appellentur Chriſtiani, & crucis ejus inurantur cauterio*, puta Spirituali: Crucis, quâ crucifigunt carnem ſuam, & Mundo crucifiguntur. Nam etſi tunc, cùm iſta Hieronymus ſcriberet, non negaverim quosdam crucis ſigno inuſto fidem ſuam profiteri ſolitos in Crucifixum; tamen neque hoc externum ſignum indubitabile verorum Chriſtianorum eſt, neque univerſale omnium, neque æternum.

13. Ad eandem Eccleſiæ per Chriſtum inſtaurationem ſpectat vaticinium Eſai. 60. v. 13. *Gloria*

ria Libani ad te veniet, Beroſch *abies*, Thidhar *buxus*, Utheaſſur & *pinus*; ut Vulgatus vertit: vel ut Lxx. *in Cypariſſo & pinu, & Cedro ſimul: ad glorificandum locum Sanctuarii mei, & locum pedum meorum glorificabo.* Templum ſive Sanctuarium Domini, non eſt illud tertium, quod Judæi & Judaizantes exſpectant *in aureâ & gemmatâ Hieruſalem*, ut docet Hieronymus: *compellimur omnia ſpiritualiter accipere*, ait. Itaque Judaica ferè gloſſa eſt Cornelii à Lap. *Diſcamus, quâ Sanctitate in Templo & Eccleſiâ verſari debeamus, utpote in loco quem calcant & ſanctificant pedes Dei.* Non habitat ille in Templo manu facto, Eſai. 66. v. 1. 2. Locus pedum ejus, eſt tota, ut Idem rectè dixit, *Eccleſia Militans in terris*, nempè in quâ propitiatorium Chriſtus eſt, quæque Sp. Sancti habitaculum eſt, in quâ ſe Deus ambulaturum gratioſâ præſentia promiſit, 1. Cor. 3. v. 16. 2. Cor. 6. v. 16. Ergò ut de Libano ſpecioſiſſima ligna miſſa ſunt Salomoni; non *buxi, fagi, ulmi*, ut quidem nonnulli hebraica nomina exponunt; ſed *Cedrorum generis, abiegna, pinea* & ſimilia, quibus Libanus, *Phœniciæ mons excelſis arboribus conſitus*, ut ait Hieronymus, q. ſupra omnes montes caput efferebat; ſic ad ædificandam Eccleſiam & exornandam, ut ipſe Propheta ſe interpretatur, excelſæ mundi poteſtates, Virique in ſeculo celeberrimi, quales Hieronymus memorat fuiſſe *Cyprianum & Hilarium*, omnem operam, omneſque & animi & fortunarum opes, conferent. Fulcra Eccleſiæ & columnæ

ſunt Apoſtoli, & alii eximii Doctores, *ait D. Oſiander h. l.* Magiſtratus imitentur Hiramum, Salomonem Chriſtum colant, & tales Doctores mittant, qui ædificent & ornent domum Domini. Sed & Electi omnes, utut mundo contemptibiles, gloria ſunt Libani, & tabulata Cedrina. *Veniet*, inquit Propheta: ſponte ſuâ coibunt: quomodo feruntur - *inſecutæ Orphea ſylvæ*; *Blandum & auritas fidibus canoris ducere ſylvas*: Horatius. *Sic Saracenica fabula habet*; cum Abrahamus, juſſus à DEO, condere cœpiſſet Templum Mecchanum, Montes & Sylvas ſponte ſuâ contuliſſe ſaxa & tigna, eaque inter ſe, ad ſtructuram coaptandam, nullâ manu admotâ, coiviſſe. Nota hic obiter: Quomodo Poëtæ *Auream mundi ætatem*: ita Prophetæ ſtatum Eccleſiæ ſub Chriſto deſcribunt. Confer cum his Eſaiæ locis, illa de ſperato aureo ſeculo, ex Sibyllinis oraculis, Virgiliana;

Errantes hederas paſſim cum baccare tellus
Miſtaq; ridenti collocaſia fundet acantho.
- *Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.*
Molli paullatim flaveſcet campus ariſtâ,
Incultisque rubens pendebit ſentibus uva,
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Ita fabulantur, quo tempore Jupiter Bacchum è femore ſuo edidit, omnia in Arabiâ repentè fa-

facta eſſe odorata, & hinc terram illam tot aromatum feracem:

Inde etiam nunc arva ſacro ſunt thure referta,
Et montes auro, & fluvii libamine multo,

ut apud Dionyſium Afrum eſt in Periegeſi. Fruſtrà autem talia de Regno Chriſti oracula ad literam exponunt *Chiliaſtæ*; nec magis prudenter *Pontificii* de externâ gloriâ & felicitate Eccleſiæ ſuæ: Nam ſi externam faciem Eccleſiæ Sanctiſſimæ, à Chriſto per annos trecentos & ampliùs, ac ſequentis quoque plerumque, ſpectes, nihil minus invenies, poſſisque fere dicere illud olim vulgatum:

Saturni aurea ſecla quis requirat;
Sunt hæc aurea; ſed Neroniana.

Scil. *Omnis Eccleſiæ gloria intus eſt*, Pſalm. 45. verſ. 15.

De aliis Sylveſtribus, Geneſ. 30. v. 37.

14. Superſunt adhuc aliæ hujus generis, quarum duas ſpecies Moſes ponit in hiſtoriâ Jacobi: *Et tulit ſibi Jacob Virgam Libne, viridem*, & Luz, & *Armon*, *iisque detraxit cortices albos* hinc indè, *denudans album*, alburnum ligni *Virgarum*. Multa interponit Vulgatus, Paraphraſtæ officio potius functus, quàm interpretis. Ut locus breviter illuſtretur, Quæro 1. Quas, quarumve arborum virgas acceperit Jacob? 2. Quomodo eas decorticaverit? 3. Quo fine?

 Arbo-

Arbores nominantur tres: 1. *Libne*, Vulgato *Populus*, nempè alba: nec diſcrepant cæteri, niſi quod LXX. ponunt pro Populeis *Styracinas*: 2. *Luz*, quæ Vulgato *Amygdalus*, LXX. *nux*, aliis *corylus*, de qua inter frugiferas & mites, 3. *Armon*, quæ Vulgato *Platanus*, Hieronymo in Quæſt. Hebr. *Malus granata*, aliis *Caſtanea*; ut & obſervavit h. l. Bonfrerius. Addit Tremell. Pro *Armon* Onkeloſum Chaldæum poſuiſſe *Delub*, quo nomine etiam Arabes *Platanum* deſignent, quod & in Lex. Harmon. notavit D. Hottingerus: De his ſeorſim. *Quomodo has virgas decorticaverit?* ſatis exponunt Interpp. & Moſes verſ. 39. Ovium fœtus diverſicolores deſcribens, baculos hos fuiſſe circulatim, punctatimque variegatos, maculisque diſtinctos multiformibus, ut ludere ſolent paſtores ovium. Sic *pedum* deſcribit Virgilius *Formoſum paribus nodis atque ære*. *Finis* ex textu claret. Voluit Jacobus hoc conſequi, ut oves inſpectis his baculis, inter aquandum, maculoſos fœtus conciperent. Quæri ſolent hic varia; ut 1. *unde artificium hoc didicerit?* Reſpondet: *ab Angelo* in ſomno edoctus; Geneſ. 31. v. 12. quem *Chriſtum* fuiſſe probat Novatianus de Trinit. cap. 27. *Filium DEI, qui & DEUS & Angelus eſt*: DEUS naturâ, Angelus officiô, Magni conſilii nuncius, *qui ſinum Patris exponit* 2. *An effectus hic fuerit naturalis?* Alii affirmant, & videtur omnino Moſes ipſe phantaſiæ ovium concipientium tribuere. Quantum in conceptu matris imaginatio poſſit animo, vel antè, vel poſt, impreſſa, multis hic exemplis docet

Bon-

Bonfrerius, *ut & Cornel. à Lap.* Qua de re *Valeſius in S. Philoſophiâ*, *Lemnius de Occult. Nat. Mirac*, *Delrio lib. 1. Diſq. Mag. cap. 3. Vairus de Faſcino &c.* Exempla quotidiana ſunt, & ante oculos verſantur liberi muti, mutilique, ut & monſtroſi, variisque maculis notati ex maternâ imaginatione. Memini molitoris uxorem apud nos Spiræ notiſſimi, qui non multis abhinc annis obiit; cùm maritus vulnus in latere accepiſſet, repentino caſu territam, paucis interpoſitis diebus infantulum ediddiſſe, qui eo ipſo loco patris vulnus lateri impreſſum ſecum in lucem protulit. Et his adeò ipſis diebus natus eſt infantulus hic Ratisponæ, μονόχειρ, ex ſimili caſu & causâ. Ut adeò hanc in formatione fœtus imaginationis vim non debuerit negare *Ottho Casmannus Angelograph. P. 2. cap. 24.* Sed & *Johann. de Mey in S. Phyſica ſuper h. l. Geneſ.* fuiſſe hunc effectum naturalem diſputat: & quomodo talia contingant, ſubtiliter diſquirit. Quanquam quæ ſit illa animæ imaginantis actio tam fortis, ut corpus quoque immutet, neſcio an quis cogitando poſſit aſſequi. Alii tamen effectum hunc *divinæ benedictioni* adſcribunt, quam concurriſſe indubium eſt, & hiſtoria ipſa indicat, hinc monitus ille divinus cap. 31. v. 11. & fiducia Jacobi in DEUM, juſtæ ſuæ cauſæ fautorem cap. 30. v. 33. Quare patet, quid reſpondendum ſit ad 3. quæſitum; *fuerit ne hoc artificium licitum? & annon peccârit Jacob?* Peccâſſe pictores putant, & qui hanc hiſtoriam nono Decalogi præcepto appingunt. Sed *Reſp.* Actus ipſe malâ fraude

fraude vitiatur, & per ſe ſpectatus illicitus eſt. Hic autem contra fraudulentum & injuſtum hominem exercitus, vacat culpâ; *quia* Divino monitu perficitur: Dei autem omnia noſtra ſunt, nec ulli facit injuriam, cum pro lubitu adimit & alteri donat digniori: *quia* Jacob non intendebat damnum Soceri, ſed juſtam tot annis exantlatorum laborum mercedem: nec malis artibus, aut ſoli vel induſtriæ vel naturæ efficaciæ, verùm Divinæ Providentiæ fidebat. Judice alio abſente, coram quo injuriarum & dolorum malorum reum perageret avarum & infidum Socerum, DEI arbitrio cauſam ſuam commiſit. Sed de his accuratiùs agere alterius loci eſt.

Patrum allegoriæ elegans *emblema* ſubminiſtrant: Virgæ decorticatæ in Canalibus Divini verbi poſitæ, teſtimonia ſunt S. Scripturæ, de Fide SS. Trinitatis, quæ *per ſtoracinam & nucinam, & de platano virgam* ſignificatur, ut docet *Ambroſius l. 2. de Jacob & Vitâ Beatâ cap. 4.* & exempla Sanctorum, ſenſu literali & myſtico explicata: nam in illo cortex retinetur, in hoc album interius demonſtratur. Hæc intuentes oves Jacobi, fiunt multicolores, omni genere virtutum *Doctrinâ & Exemplo! vide Gregor. M. 21. Moral. cap 1.*

Alia

Alia Loca, Ezech. 31. v. 8. Oſeæ 4. v. 13. Cant. 1. v. 17.

15. Apud Ezechielem *Cedrus Aſſyriaca* præ-
elluiſſe dicitur omnibus adeò arboribus, ut neque
rrazim in horto Dei neque *Beroſchim*, neque nul-
e *Armonim* ei potuerint comparari: Ubi vulga-
us habet *Cedros*, *abietes*, & *platanos*, LXX. apud
Hieron. *Cupreſſos*, *pinus*, *abietes*: Reliqui ferè pro
latanis, *Caſtaneas*. Apud Oſeam, Idololatræ ſub
llon Quercu, *Libne* populo, λεύκη, D. Luthero
inden / ſive Tilia, & *Elah*, id eſt, ilice, Terebin-
ho, Ulmo, Buchen / Fago, Sacra ſua nefaria fœ-
is libidinibus peragunt, de quibus locis deinceps:
unt autem hæ arbores, ut docet Propheta, den-
e, opacæ, & umbrâ ſuâ latibula quærentibus
ratæ. Sic Behemoth jacet ſub *Zeelim*, umbroſis
boribus, Er liegt gern im Schatten: *ſub arbu-
is*, habet Pagninus: *Tegunt eum Zeelim Zillo*,
mbroſa umbrâ ſuâ, das Gebüſch mit ſeinem
Schatten; ubi Vulgat. *Protegunt umbræ um-
am ejus: & circumdant eum ſalices torrentis*,
Bachweiden / Job. 40. v. 16. 17. Denique *Beroth*
gitur Cant. 1. verſ. 17. *Tigna ædium noſtrarum
razim Cedrina*, Larices habet Arias Mont. &
quearia noſtra Berothim, Cupreſſina, ſive *ex
rutâ*.

Atque hæ ſunt ferè *Arbores Sylveſtres in Vet.
eſtamento* repertæ. De quibus jam diſtinctiùs
gendum: Tenebo autem hunc ordinem, ut di-
um 1. de iis, quæ ſemel tantùm aut bis occurrunt
quales

quales ſunt *Beroth*, *Oren*, *Thirzah*, *Thidhar*, *Thaaſſur*, *Libne*, *Armon*; 2. de iis, quæ crebriùs leguntur, ut ſunt; *Arabim*, *Elah*, *Allon*, *Beroſch*, *Erez*, *Sitta*, *Gopher*, Reliquas, ut peregrinas quasdam raritate materiæ pretioſas; frutices item ſpinis rigentes, differam.

CAPUT V.

De Beroth, Bruta, Sabinâ.

1. DE eâ Plinius l. 12. cap. 17. cùm dixiſſet Arabes peregrinos odores quærere, quaſi domi non eſſet abundè; *Tanta mortalibus ſuarum rerum ſatietas eſt, & alienarum aviditas! Petant igitur*, inquit, *in Elimæos arborem, Brutam, Cupreſſo fuſæ ſimilem, ex albidis ramis, jucundi odoris accenſam, & cum miraculo hiſtoriis Claudii Cæſaris prædicatam. Folia ejus inſpergere potionibus Parthos tradit: odorem eſſe proximum Cedro, fumumque ejus contra ligna alia remedio, Naſcitur ultra Paſitigrin in finibus oppidi Sittacæ, in monte Zagro.*

2. Hanc BRUTAM, alteram eſſe SABINÆ ſpeciem, naſcique jam quoque in Europâ & Galliâ, putant argumento gemino: 1. Quod *Sabina* Græcis dicatur βρϑὺς, quod nomen *Brutæ* fere exprimit. 2. Quod deſcriptio non longè diffideat *Vulgaris* quidem *Sabina*, Sevenbaum / quæ & decocta potu, & ſuffita odore fœtus mortuos expellit, vivisque nocet - *fœtus interficit atque per*

empto



SABINA, Arbor Belloni.

emptos expellit, Caſtor Durant. in Herbario Ital. humilis arbuſcula eſt; *herbaque thuris opes priſcis imitata Sabina*, Virgil. in Culice. Sed *altera*, ut Bellonius deſcribit, *procera eſt, & ad Cupreſſi ſativæ ſimilitudinem multùm accedit: tantæ amplitudinis caudice, ut hominis quandoque ulnâ comprehendi nequeat: ligni materies ut Juniperi & Oxycedri interius rubet: folia Cupreſſinis ſimilia, ſapore amara, atoma olent: fructus baccæ ſunt rotundæ, Cedridibus ſimiles, initiò virides, ſed maturæ ex cæruleo nigricant.* De Sabinâ Ruellius ait: *hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum ejus prodeſſe. Sed legendam præcipiebant dextrâ manu, nudis pedibus, Sacro facto priusquam eruatur: tanta erat Magorum vanitas!* Plinius, è quo hæc, addit; *lectam, q. à furente, candidâ veſte veſtito, pedibus non tantùm nudis ſed & lotis, ſacrumque factum pane & vino, inque novâ mappâ ferri ſolitam*, lib. 24. cap. 11. Miræ ceremoniæ!

3. Dalechampius ad Plinii lib. 12. l. cit. notat: *Bruten eſſe quidam volunt arborem Paradiſi.* Ita vocari *Agallochum* dixi, cap. 3. num. 2. de quo in *Ahalim*, inter ligna odorata & pretioſa. Sed Aben Eſra idem eſſe *Berothim & Beroſchim* quoſdam putare ait, nempè *abietis*, *ſchin* mutato in *thau*, more Chaldæorum. His autem *Berath* vocatur abies, D. Hottinger. in Lex. Harmon.

4. Semel omninò legi hoc vocabulum *in Cantic. cap. 1. v. ult.* dixi. Itaque difficile dictu, quam notet

notet arborem. Locum citavi modò cap. præced. num. 15. *Tigna* Hebraicè dicuntur קרות *Koròth à Karàh* contignavit, fortè quod tigna & trabes domum intranti primùm occurrant. Hinc *Kirjah*, urbs: eademque radix Arabicè ſignificat, *hoſpitio excipere*, ſub umbram tigni ſui, Geneſ. 19. verſ. 8. *Ea tigna ædium ſuarum* ait Sponſa ad Sponſum, *eſſe è Cedro, &* רהיט *Rahit ex Berothim.* Pro *Rahit* Vulgatus habet *laquearia*, Lxx. φατνώματα, id eſt, Heſychio interprete, σανιδώματα *Tabulata*, unſer Tafelwerck: Pagninus *Canales*, ut Gen. 30. v. 38. & Exod. 2. v. 16. alii *ambulacra*, ut Tremell. & Buxtorff. alii per *Rahit* intelligunt *trabes*, quibus parietes contignantur; per *Koròth intertignia*, quæ trabibus hiſce transverſim inſeruntur, ut notat Cornel. à Lap. Sic Chaldæus apud eundem: *Pulchra fuit Domus Sanctuarii per manus meas ædificata ex lignis Cedrinis: ſed pulchrior erit domus Sanctuarii ædificanda in diebus Meſſiæ, cujus Trabes erunt ex Cedris, quæ ſunt in Paradiſo Voluptatis, & tigna ejus erunt ex abietibus* &c. D. Lutherus: Unſerer Häuſer Balcken ſeynd Cedren/ unſere Latten ſeynd Cypreſſen. Radix *Rehat currere* ſignificat. Itaque vocabulum hoc propriè *pavimentum contabulatum*, & per ampliationem, cæteras concamerationes tabularum ſignificare videtur: ut ſenſus ſit; *Trabes ædium noſtrarum ſunt Cedrinæ & tabulata*, quibus veſtiuntur ac ornantur, ut in iis ambulacra fiant, *ſunt ex Berothim.* Undè conſequens eſt, *Beroth* eſſe arborem è quâ tales aſſeres fieri potuerint, ad contabulationem.

Cæte-

Cæterùm, quia his gloriatur Sponſa, non ex ob-
iâ, ſed ex rarâ, & fortè peregrinâ materie fuiſſe
portet. Neque enim *Cedrinis trabes abiegnis ta-
ulis*, aut ſimilibus, tectas veſtitasque fuiſſe credi-
ile videtur. Quare *Brutæ arboris odoratas tabu-
as* adhibitas pulcherrimæ domui Salomonis, fa-
ilè adducor, ut credam; petitas *è monte Zagro ex
limæis, ſive Elymaide regione, quam Paſitigris
Perſide ſeparat, non procul à Sinu Perſico*, vide
Ptolemæi Tab. v. Aſiæ & Cluver. lib. 5. Geograph.
ap. 14. qui tamen *Zagrum* in Mediâ collocant:
uem puto, è Mediâ in vicinam Suſianam proten-
li, nil vetat.

5. *De ſenſu hujus ænigmatis* variæ ſunt Interpre-
um ſententiæ. Theodoretus *de Sacrâ Scripturâ*
ccipit, quæ *nobis & lectus & Domus eſt:* Latini PP.
e Eccleſia, quæ domus Dei eſt, compacta ex tignis
 tabulatis, id eſt, *ex Principibus* & Doctoribus
hriſtianis, & *populo* fideli: nam illi ſuſtentant, hi
rnant. *Superiores* ergò quaſi Cedrinæ trabes ful-
iant & teneant, conſtantiâ ac incorruptione, San-
tis Legibus & exemplis; *Subditi* incorruptâ fide
c Vitâ tegant & ornent: utrinque bonus ſpiret
dor. Sic ſiet ambulacrum Dei, *vide Gregor. M. &
ernhard. apud Cornel. à Lap.* Si *ad S. Scripturam*
etuleris, *trabes* erunt Prophetæ & Apoſtoli; *tabu-
ata* doctrina eorum: illos cum *Cedro*; hanc verò
um *Brutâ & Sabinâ* eleganter comparabis: Pe-
egrina arbor eſt, non noſtri fundi: Lignum Para-
iſi, arbor vitæ: odor ſuaviſſimus, & ſaluberrimus,
ontra noxia aut malè olentia ligna. *Partus emor-
tuos*, opera mortua, *appoſita extrahit & ſuffita*, ut de

Sabinâ Plinius: nec naſci ſinit. Altitudo & amplitudo ſupra captum eſt, nec comprehendi poteſt. Folia guſtu amara, odore animum recreant. *Amara ſunt vitioſis & malè viventibus præcepta juſtitiæ*, Lactantius lib. I. cap. 4. Denique quo puncto legenda ſit, Druidum cerimoniæ indicabunt. Quid? quod & interius rubet? Nam nucleus & medulla S. Doctrinæ Chriſtus eſt, Sponſus Sanguinum, candidus & rubicundus, &c. Habes elegans S. *Scripturæ Hieroglyphicum*, quod expolire facile eſt. Emblema ad exemplar deſcriptionis Plinianæ ſi pinxeris, adde lemma - *Sancta Sanctis! Procul hinc, procul eſte profani!* Sin mavis *ad Eccleſiæ membra*, eorumque debita officia referre, per *Cedrum* pictam ſuperiores utriusque hierarchiæ Eccleſiaſticæ & Politicæ oſtendes; per *Brutam*, Sabinæ aut Cupreſſo ſimilem ſubditos in ſtatu Oeconomico. - *Hæc fulciat, illa perornet.*

Poſſis etiam alia ex dictis extruere. *Cupreſſus*, ut ſuo loco, *mortis hieroglyphicum eſt.* Pinge Parthum ergò, qui folia è Brutâ decerpta inſpergat Populo: & adde - *Vive memor, quàm ſis ævi brevis!* Sic moderatè uteris præſentibus deliciis. Hoc Ægyptii monebant illato in convivia mortui ſimulachro. Quod poſteà pro ſtimulo fuit ad nequitiam.

Heu, heu nos miſeros! quàm totus homuncio nil eſt!
Sic erimus cuncti, poſtquàm nos auferat Orcus:
Ergò vivamus, dùm licet eſſe bene!

Apud



p. 115.





ORNUS, *fraxin, montana.*



Apud Petronium, ubi multa de hoc more Interpp. inprimis Erhardus. Ita pinge Arabem, qui pixidem aromate plenam proterat pedibus, & Sabinam naribus admoveat: adſcribe - *ſordent præſentia, rara petuntur!* Sic ut idem ait Petronius - *roſa Cinnamum veretur.*

Quicquid quæritur, optimum videtur.

Pinge Druidem qui Sabinæ ramulum geſtet, adde *peſtem fugo, lumina claro.* Quod ad verbum Dei referes, ut ſuprà. Sed in viam redeo.

CAPUT VI.

De Oren, Orno, Fraxino, Acere, Sorbo.

ORnus, ut ait Columella, *Sylveſtris fraxinus eſt*, paulo latioribus tantùm foliis, quàm cæteræ fraxini. Itaque ferè ab Herbariis ſub fraxino deſcribitur, ut altera ejus ſpecies. Differt tamen præcipuè *fructu.* Nam baccas fert, poſt flores in umbellis albidos & odoratos, racematim congeſtas, ſapore acido & ſubamaro, guſtu inſuavi, rubentes cum maturuêre. Quâ de cauſa *Sorbis* annumeratur, & *Sorbus ſylveſtris*, dicitur à Matthiolo. Reliquo habitu, & effigie totâ fraxinum æmulatur. Gaudet montibus: in planis raró adoleſcit, nec

arboris ſed fruticis potiùs ſpecie. Baccis per hiemem ruſtici ad aucupia utuntur: ſunt enim turdis gratiſſimæ, è ramis & ſtipitibus ſtimuli boum, & haſtæ conficiuntur; ridicæ quoque fulciendis vitibus, Ita Ruellius, Bapt. Porta, Dodonæus, &c.

2. Ego obſervo, 1. *Ornum* dici proceram, excelſam, äeriam, ingentem; 2. Sterilem. 3. Rigidam. 4. Antiquam & annoſam: 5. Ferè ſemper in montibus deſcribi: 6. *Si arbuſta in aſperis & ſiticuloſis locis obſerenda ſunt, neque ulmus, neque populus tàm idoneæ ſunt, quàm orni*, Columella. 7. Montes amant, ſed tamen & in plana deſcendunt, Plinius lib. 16. cap. 18.

Fluminibus ſalices, craſſisque paludibus alni
Naſcuntur, ſteriles ſaxoſis montibus Orni,

Virgil. 2. Georg. v. 110. & lib. 6. Æneid. v. 182. - *advolvunt ingentes montibus ornos.* Indè Idem lib. 11. v. 138.

Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus ornos;

Undè molem & pondus poſſis æſtimare. Sic Corippus in Juſtin. l. 4. princ.

Robora ſylvarum tunc plauſtra gementia ducunt,
Magnis ponderibus tractu ſtridente rotarum.

Hinc Pelei haſta, de quâ Valer. Flaccus 1. Argonaut. v. 405.

Tan-

- *Tantùm hæc aliis excelſior haſtis*
Quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.

Qui lib. 8. v. 113. aureum Phryxi vellus *ab aëria orno* pependiſſe retulit. Hæc & id genus perſuadent, *Ornum* non eſſe eam arborem, quæ fructus fert ſorbis ſimiles, quam *ſylveſtrem ſorbum* vocant & noſtri, Buchäſchern / Hanbuchen / wilden Sperberbaum / Mählbäum / alii diſtinguunt, alii confundunt. Quare omnino ad fraxinum referenda videtur.

3. Collatio demonſtrat. *Sorbus* quanquam ſylvis provenit, tamen etiam in pomaria relata eſt, propter fructum; *in quo quadruplex*, ut notat Plinius, *differentia eſt, aliis enim rotunditas mali, aliis turbinatio pyri, aliis vata ſpecies: quartum genus torminale vocant.* Noti ſunt fructus, pueris non ingrati, undè Martialis:

Sorba ſumus, molles nimiùm durantia ventres;
Aptiùs hæc puero, quàm tibi poma dabis.

Eſt autem procera arbor, & folio non abſimilis raxino. Græci vocant, ὄϊην & ὄην, fructum ὄον vel ον: noſtri Sperberbaum; *torminalem* quæ folio itigineo eſt, platani modo, Areſtel / Eſthroſe; ed illam *ſylveſtrem*, quæ pro Orno habetur, Nählbaum.

4. *Fraxinus* verò, *inter eas arbores, quas materiæ cauſa natura genuit, copioſiſſima*, inter inentes eſt, caudice procero, recto, craſſitudinis binde haud exiguæ. Græci μελίαν vocant &

 diſtin-

diſtinguunt in montanam ac campeſtrem. Βυμιλίαν *in Macedoniâ vocant ampliſſimam latiſſimamque*, ut habet Plinius; quaſi dicas *Fraxinum magnam*, ut βυλιμίαν *famam inſatiabilem.* Hieronymus Tragus obſervavit duas quoque ſpecies à ſe viſas in Alſatiâ: *alteram præcelſam*, quæ fructu caret: **Dieſe Bäum werden ſehr hoch und ſchlecht / habe nie keine Frucht an dieſen Bäumen geſehen:** *alteram humiliorem*, ſed caudice craſſiori, quæ ferat *ſiliquas* multas ſimul confertim, â tenerioribus ramis, juxta foliorum exortum, dependentes, *Volucrium linguis* ſimiles, ſubrubras, in quibus ſemen minutum ſaporis amaricantis. Nos **Eſchern** / & **Steineſchern** dicimus. Quænam harum Ornus dici debeat, ex iis, quæ modò attuli de Orno, facilè colligitur. Non illa brevior, & fructifera, cujus ſiliquas quidem *orneo gloſſum* vocant; etſi id Herbariis videatur: verum illa procerior & ſterilis.

5. Quæ verò â noſtris **Hanbuche** dicitur, quam quidam eſſe ornum volunt; *Carpinus* potiùs videtur, & ad aceris ſpecies refertur. Eſt autem *Acer* arbor, quam Græci σφένδαμνον, noſtri **Ahorn** / dicunt: ubi nominis orni expreſſa veſtigia. Plinius, *operum elegantia ac ſubtilitate Cedro ſecundam* teſtatur, pluraque ejus genera deſcribit, l. 16. cap 15. *Carpinus* ζυγία dicta à Theophraſto & Plinio inter Aceris ſpecies refertur, ut dixi: ſed quæ hodiè id nomen habet, ulmo ſimilior eſt. **Das Laub an Hagenbuchen iſt allerdings dem**

Nüß-

P. 118



ACER Major, Dodonæi

Nüßholtz ähnlich / ut aii Tragus, quâ de re multa Matthiolus in Dioſcorid. lib. 1. c. 95.

6. Cùm ergò *de orno* & cognatis arboribus tantæ inter recentes Botanicos lites verſentur, facilè apparet, quantò difficilius ſit, de Hebræorum *Oren* certi quid pronunciare? Inprimis cùm tantùm ſemel legatur in S. Literis, Eſa. c. 44. v. 14. de quo loco cap. præced. 4. num. 7. 9. Signa tamen aliqua indicantur; quod 1. naſcatur in ſilvis, 2. laudatæ materiæ, & ad Deorum ſimulacra expetitæ, inter Cedros, quercus, Cupreſſos; 3. quodque plantari ſoleat & pluviâ nutriri. Denique Interpp. vel *Pinum*, vel *Cedrum* exponunt, & quidam ab hoc nomine deducunt ארון *Aron*, quod arcam, Capſam, loculum ſignificat. Quæ cum reputo, *Oren* ferè *de Acere* accipiendum colligo: 1. Quia Cedro materiæ dignitate proxima eſt hæc arbor; 2. In riguis potiſſimùm naſcitur, 3. rara inventu; unde forte Propheta plantari dixit, materiæ causâ; 4. Pulchra ex eâ vaſa, variaque opera, menſæ inprimis parantur eximiæ - *puer altè cinctus acernam Gauſape purpureo menſam perterſit*, apud Horat. 5. ut & hodiè ex *acere minori*, Moßholderbaum: quod genus criſpo macularum diſcurſu pulcherrimum, unde Ovidio-*acerq; Coloribus impar*. 6. Dicta Latinis, quod *acria artificum ingenia exerceat*, ut habet Porta: qui addit, *quoddam genus à caudis Pavoniæ ſimilitudine nomen accepiſſe*, ex Plinio Quid ſi inde Hebræis *Oren*? nam *Benanim* Hebræis

bræis Pavones; Germanicum ex Hebræo depuxit, Ahorn: & Latinum *Orni* ad Fraxinum præſtantiſſimam translatum eſt. Apud Virgilium - *trabibus contextus acernis ſtabat equus* Trojanus, & Evander Æneam honoris gratiâ - *Solio invitat acerno, villoſi pelle leonis* inſtrato. Ovidius tabulas ad Corinnam miſſas, vovit Veneri pro anathemate ſe ſuſpenſurum cum inſcriptione:

- - Veneri, fidas ſibi, Naſo, tabellas
Dedicat: at nuper vile fuiſtis acer.


Et apud Propertium Vertumnus:

Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam gratâ pauper in urbe DEUS.

7. Pingit ergò nobis Propheta Idololatriæ vanitatem, ex materiæ Vilitate, cui ſola hominum ſtultitia pretium fecit. Quaſi in conſpectum daret varia Idola in altari dedicata, quibus homines mente capti adgenicularentur, & exclamare vellet - *quondam vile fuiſtis acer.* Si pingas Sorbum ſylveſtrem, Mühlbaum / quæ apud Tragum extat, quam Turdi circumvolent; quarum nonnullæ è laqueis, de ramis pendentibus, præfocatæ pendeant, talium hominum & ingenia & exitium exprimes. Vide Proverbia: *Turdus ipſe ſibi malum cacat:* & *Turdo ſurdior.* Nam ſurda fertur avis, quanquam loquaciſſima eſt, *Sic viles animæ capiuntur!* vide Pierium Valerian. l. 25. ubi Turdus *Surdi loquacis, & ſuis artibus eluſi*

p. 120.





eluſi hieroglyphicum eſt. Idem exitium indicabis, ſi *de Fraxino* locutus ſit Propheta, picto Idololatrâ, qui fraxineam alterâ manu geſtet haſtam, & altera ſimulacrum. *Pernicies utrinque venit!* Hinc animæ, illinc corporis. Neque enim aliunde frequentiores calamitates, & bella præcipuè. *Fraxinus autem Marti ſacra fuit, nec alia in ejus ſacris urebantur ligna*, de quo Natalis Comes Mytholog. lib. 1. cap. 10. Sed ex quo ligno faciebant idola pagani, ex eo crux Chriſti facta eſt, de quâ ſuo loco: quæ Dæmonum potentiam fregit, & fugavit cum ſuis idolis. - *Sic crimina ligni.*

Per lignum purgat, ſanatque noviſſimus Adam. *Fraxini folia contra ſerpentes, ſucco expreſſo ad potum, operifera, ut nihil æque*, [puto, opifera, legendum] *reperiuntur. Tantaque vis eſt, ut ne matutinas quidem occidentesve umbras, quam ſunt longiſſimæ, ſerpens ejus arboris attingat, adeò fugit procul. Experti prodimus, ſi fronde ea per gyrum claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius quàm ad fraxinum fugere. Mira naturæ benignitas, priùs, quàm ſerpentes prodeant, florere fraxinum, nec antè conditas folia dimittere* Plinius lib.- 16. cap. 13. Ita crux Domini, *longe fugat omne venenum!* Et quid vetat credere, palum illum ingentem, è quo ſerpentem ſuum æneum ſuſpendit Moſes, fraxineum fuiſſe? vide quæ de hoc ſerpente dixi è Patribus in Paſſionali meo. - *Hac requies ſecura ſub umbra eſt.*


Fraxinus in ſylvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis.

Ait Virgilius Eccl. 7. cui etiam, *fraxinus ingens* dicitur: Statio - *infandos belli potura cruores*, ſcil. haſta facta. Ex eâ *Archillea* fuit *haſta*, de quâ Philoſtratus in Heroib. &c.


CAPUT VII.

De Thirzâ, Cupreſſo, Pinu.

1. HÆc quoque ſemel tantum reperitur, inter arbores ſylveſtres, ex quibus Deorum ſuorum ſimulacra faciebant Idololatræ, Eſ. loco modò cit. cap. 44. v. 14. fuiſſe ad hunc uſum electas, quæ cariem non facilè ſentirent, nec putreſcerent. Idem Propheta præmonuit, cap. 40. v. 20. Et cùm aliæ proprietates hujus arboris in S. Literis non deſcribantur, nemo puto certò affirmare poterit, quænam illa ſit? Lego quidem *Terram Meroz* ab eâdem radice *Razah* dictam, q. d. macilentam, Judic. 5. v. 23. *Thirza* quæ Decem Tribuum aliquando Metropolis & Regni ſedes fuit, â רצה *Razah*, per *Tsade*, propter amœnitatem, dicta, non pertinet huc. Neque cognatæ radices aliquid ad rem conferunt, ut; quod *Raz & araz* ſecretum, myſterium Chaldæis; & *Razaz*, Arabibus rem ſolo defigere, ſignificant: aliquid forte Græcorum, θύρσοι, quos Heſychius expo-



PINUS SYLVESTRIS.



xponit κλάδυς, λαμπάδας, & baculos Bacchi-
os. Cæterum ut Orgia Bacchica ex Oriente;
a hoc quoque *Thyrſorum* nomen. Nam quod
ıyrſum à θύειν καὶ ὀρθὸς, quia Mœnadum aut
hyadum manibus jactetur, ſic tamen, ut non
ıclinetur, derivat Autor Etymolog. Gramma-
corum nugæ ſunt. Si tamen per hæc nomi-
is veſtigia incedamus, colligere poterimus;
hirza eſſe arborem vel gracilem, vel in ſolo ma-
lento naſci ſolitam: reſiniferam; [quæ non
ıcilè carie corrumpuntur:] indè faces & tædas
ıctas, quas geſtarent in myſteriis, &c. Denique
edri ſpeciem eſſe etiam nomen *Erez* innuit. Pu-
ɔque ab eadem radice *Erez* & *Thirza* eſſe, nempè
Chaldaico *Raz*, quod utraque arbor myſteriis
rviret, quæ à Chaldæis *Arzaja* dicuntur, & indè
utato Z in G, *Orgia* Græcis, *vide Bochartum in*
anaan lib. I. cap. 18.

2. His poſitis, in eam venio ſententiam;
ez nomine maſculino comprehendi CEDROS
ajores; *Thirza* fœminino, minores. Hujus
eneris eſt *Phœnicia* dicta, OXYCEDRUS, Juni-
ero perquam ſimilis. Quæ quamvis in tantam
titudinem non aſſurgit, quantâ Cedrus major
nnes arbores anteit; tamen alterâ humiliore
dro, quam *Lyciam* dicunt, major multò & pro-
rior eſt, quâ de re Dodonæus ex Bellonio &
uſio. Nam quod *Thirza* neque *Ilex* ſit, ut vi-
n Vulgato h. l. neque *Fagus*, puto jam conſtare.
opiùs verò accedunt, qui PINUM interpre-
ıtur, ut Bochartus, l. cit. ſed & ea non unius

eſt

eſt generis: alia *major* πεύκη ἥμερος Theophraſto, alia *minor*, ἀγρία. Ex hac tædæ fiebant in Sacris. Unde Ovid.

Illic accendit geminas pro lampade Pinus,
Hinc Cereris Sacris nunc quoque tæda datur.

4. Faſtor. & in Heroid. Epiſt. - *arſi*,

Ardet ut ad magnos Pinea tæda Deos.

Bacchæ, ut apud Virgilium. lib. 7. verſ. 396. *flagrantem* geſtabant *pinum*: & *Pronuba pinus* in nuptiis *caſtos incendit odores*, apud eund. in Ceiri. Sic apud Catullum Hymenæus *Pineam quatit tædam*.

3. Sacra fuit Pinus *Deûm Matri*, ex pudendâ fabulâ, *quòd ſub Pini arbore Attis*, ab eâ adamatus, *genitalia ſibi reſecuerit. Indè Pinus ſtatis diebus in Deæ Sanctuarium illata, velari lenarum velleribus ſolebat, ramulique violaceis coronis redimiri.* Arnobius fusè lib. 5. *In Sacris Phrygiis, quæ Matris Deûm dicunt, per ſingulos annos arbor Pinea cæditur, & in mediâ arbore ſimulacrum juvenis ſubligatur: in Iſiacis trunco pineæ arboris ſubtiliter excavato, de ſegminibus factum, Oſiridis Idolum ſepelitur, &c.* Julius Firmicus de Err. Prof. Relig. Cur *Cybelæ*, cur *Pani* dicata fuerit? fabulas narrat quoque Porta lib. 2. cap. 10. & alias plures. Quædam etiam ex Pierio Valeriano lib. 52. Hieroglyph. qui *Mortis Symbolum* dicit fuiſſe *Pinum*, *quod ſemel exciſa non repullulet.* Unde Proverbium πεύκης τρόπω, *in morem pinus* exſcindi de πανωλεθρίᾳ. *Ex pinus & Cupreſſo opera conſtituta*

tura, ad æternam permanere diuturnitatem, ait Vitruvius: *quod liquor ille, qui penitus ineſt; in earum corporibus, amarum habeat ſaporem, qui non patiatur penetrare cariem, neque nocentes beſtiolas* lib. 2, cap. 11. *Fructus pineis nucibus grandiſſimus, altiſſimeque ſuſpenſus*, Plin. lib. 15. cap. 10. Conus multis duriſque ſquamis compactus eſt, intùs incluſi nuclei lacunatis latent toris: Hinc *Virtutis & ſapientiæ* præferunt imaginem. Nec carent periculo, qui carpere volunt; undè Jocus Martialis:

Poma ſumus Cybeles: procul hinc diſcede, viator!
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.


Vide hic quoque & plura apud Mylium in Horto Philoſoph. pluribus. *De Strobilo Auguſtanæ urbis inſigni*, multa doctiſſimè Welſerus lib. 4. Rer. Auguſt. Putat indè ortum, quod Rhætia multas coniferarum arborum ſylvas habeat. Sic *Mamertini Martis capiti*, qui Oſcâ Linguâ Mamers *piceæ fructum addidêre*, quia ad eorum urbem ſylva optimam ferens picem, &c. Illud quoque annotandum duxi, quod *Pineæ nuces ſanguinis excreationi medentur*, Plin. l. 23. cap. 8. ubi vide Dalechamp. ſed & aliæ medicinæ earum laudantur. Indè *apud Sicyonios Æſculapius ſculptus ſtabat, alterâ manu ſceptrum ferens, alterâ nucem pineam*, apud Pauſaniam.

4. Multa hinc Symbola peti poſſunt: 1. *Pinus exciſa* notare poteſt impios ſuperbientes funditùs

ditùs extirpari, ut nec ſobolis ſpes ſuperſit. *Mors malorum peſſima!* Pſalm. 34. v. 21. 2. Apud Hieronymum in cap. 60. Eſai. v. 13. ſignificat *viros doctrinâ præcellentes*, ut ſupra cap. 4. num. 13. *In cacumine ramos pandit*; ut picea, quæ propriè πίτυς, à medio caudice, *Ruell.* Sic ſapientia - *rectà contendit in altum!* 3. *Nux Pinea* apud Hadr. Junium Emblem. 37. *Virtutis imago eſt:* quæ *difficilis*, *ſed fructuoſa*. Difficilia quæ pulchra! 4. Eadem *in capite Martis*, belli pericula & præmium poteſt indicare - *Quid enim? concurritur: horæ:*

Momento aut *cita* mors *venit* aut victoria læta. - *aut mors*, *aut vita decora*, 5. Eadem ex altiſſimis ramis pendens, ad quam aliquis & cum labore & non ſine periculo conſcendat decerpturus; monere poteſt, quod dici ſolet - *nocet empta dolore voluptas*. 6. Pinus *præcelſas ſeculi poteſtates*, ut dixit Hieronymus l. cit. ſignificat, quarum fructus dulces, ſed cum periculo conjuncti, & cum labore, ſi quis nucleum eſſe cupiat, percipiendi. Hoc eſt quod monuit Martialis - *Procul hinc diſcede viator! Vive tibi*, imò Deo, *quantumque potes prælustria vita!* undè AULA dicta, quod *adulentur venientes*, *lamententur abeuntes*. 7. *Pinus Cybeleja*, cujus ſtipes lanis velata, atque rami coronati violaceis ſertis, notat quod dicitur - *Virtus poſt fata ſuperſtes*. *Dignum laude Virum Muſa vetat mori*, 8. Quanquam *amara*, ut & nocentes beſtiolæ fugiant, tamen *fructum edit dulcem* & ſalubrem. Sic eſt - *Mens conſcia*

p. 126.





onſcia recti. Ex amaris dulceſcit, nec vermes paitur. 9. *Æſculapius Sicyonius* Regem denotabit, qui ſubditorum Medicus eſt: ille ſceptro regat Populum, Deo ſervet conſcientiam. *Reſpicit hoc opulum, reſpicit illa DEUM!* vel-*DEO & Poulo!* 10. *Fax Pronuba* conjugis Symbolum eſt, more in maritum flagrantis: & ut illa *multifida* uit in manu Hymenæi.

Multifidam jam tempus erat ſuccendere pinum, eneca in Medeâ v. 110. *Spicata* quaſi, undè Viril. -*ferroque faces inſpicat acuto*, fiſſa & inciſa ut ammas faciliùs conciperet, & latius ſpargeret icem: Sic conjux viri amans undique amoris nes. Illa *Caſtos incendit odores:* cur caſtos? ı ex causâ *mythicâ? Pitys enim pulcherrima puel- fuit: Amabat ea Pana, Arcadiæ Deum, & hic damabat. Intercedebat rivalis & procus Boreas: uem cùm ſperneret, amor vertit in odium. Quare abſtractam de petrâ, præcipitem dedit neci. Tel- s miſerata in arborem ſui nominis vertit; quæ quo- es flat Boreas, flet & lacrymas fundit: Pan verò dè Capiti ſuo nectit coronam*, ita Conſtantinus . 11. Geopon. An ex Phyſicâ? quod odore rtè Venerem arceat. Undè *in pervigilio Cere- foliis & frondibus hujus, lectiſternia fiebant apud ileſios.* Eâdem de causâ *noctibus initiorum alii Conyzâ dormiebant*, ut Meurſius in ſuo Arboto notat: ſivè fortè, quia *pinus inſitionem non mittit*, nec fœtus adulterinos alere ſolet; quod m cæteris reſiniferis & coniferis ferè commune habet: Plutarchus Sympoſiac. lib. 2. uæſt. 6. idem caſtæ conjugis animus, idem ingenium:

nium: ſic *Caſtos incendit odores*. Sed hæc fortè extra oleas. Quæ tamen ut jucunda, ſic fortè ſuum deinceps uſum afferent: nam *de Pinu* iterùm dicendum erit ex Interpretibus.

5. Nunc CUPRESSUS ad ſe vocat, & puto *Pinum* hinc arcet atque excludit. Argumenta affero. 1. Celeberrima poſt Cedrum arbor; an credibile eſt nuſpiam in S. Literis memoratam? In Syriâ & in Libano frequens. Diodorus Siculus lib. 19. cap. 58. *circa Tripolim Byblum & Sidonem refertum* ait *hunc montem lignis Cedrinis, Pineis, & Cupreſſinis, tàm ſpecie quam magnitudine mirandis*, vide Bocharti Phaleg. lib. 1. cap. 4. At ſi ea non eſt *Thirza*, neſcio an uſpiam dicta ſit? Nam quod neque *Beroth*, neque *Beroſch*, neque *Gopher* ſit, partim probatum, partim adhuc probandum eſt deinceps. 2. Convenit *nomen*. Nam ut ex Didymo notant; *Cypariſſi* quoque *Charites* dicebantur: *Gratiæ*, propter jucunditatem & delectationem. Addunt fabulam Eteoclis filias fuiſſe Charites, quæ inter tripudiandum in puteum delapſæ, Telluris commiſeratione in has arbores fuerint mutatæ. Lepida fabella ex nomine Syriaco *Thirzæ*, vel *Therſæ*, per *Zade*, de quo ſuprà h. l. num. 1. Nam cum hoc noſtro, per *Zain* confuderunt fabulatores: & ſolent alioqui literæ hæ cognatæ, ejuſdem organi, *dentales* vocant, permutari. Denique in radice רזה *Razàh*, aut, *Rasàh*, omnes Græci vocabuli χάρις literæ conſonantes ſunt, & ſignificatio eſt eadem 3. Eadem arbos igitur *Charis* dicta id eſt *Thirza* & *Cypariſſus*. Neque hoc nomen aliûs eſt originis quàm

P. 128.



CUPRESSUS *Vulgaris*.



iam Syriacæ. Itaque à כפר *Caphar, bituminando*, lgo derivant, vide Becmann. undè & *Caphura*, æ noſtris Camphora, & *Cyprus* arbuſcula odo-ta. Cant 1. v. 14. de quâ ſuo loco; & *Caphira* bs, Joſuæ cap 9. v. 17. & forte *Capernaum*. Sed men puto ex *Caphàr & riſſon* compoſitum, od *reſina* hujus arboris *ferè primas teneat*, inter *uidas optimas, ſapore acerrima*, Plinius 14. cap. . Nam quod Græci componunt, ex κύειν πα-τὸς, quod *ramos & frondes* pariat, fructusque in-: ſe *æquales*; ingenii luſus eſt. 4. His adde; quod *yrſi* proprie dicti, quos a *Thyrza* nomen habe- docti conſentiunt, non è pinu, ſed è Cupreſſo erint. Eſt autem *Thirſus haſta*, Bacchi q. Scep-m, *hedera & pampinis veſtita*: myſtica ſigni-atione. Nam *Cupreſſa haſta* acuto cuſpide, ortem luctùmque è morte Bacchi notabat, *dera & viteæ frondes* lætitiam ex münere DEI, em ſtulta pietas conſecravit. Dicam poſteà: : deſcribunt Poëtæ:

Inſtituit Daphnis thiaſos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus haſtas,

rgil. Eclog. 5, & lib. 7. v. 395:

Aſt aliæ tremulis ululatibus æthera complent,
Pampineasque gerunt, incinctæ pellibus, ha-
ſtas, &c.

Jovis ſceptrum ex Cupreſſo fuit, ut Hermippus or eſt apud Laërt. in Pythagorâ. Præterea, 5. *hirza* multa *Deorum ſimulacra* facta docet opheta noſter, num. 1. vix ulla è Pinu alicujus æ, plurima è Cupreſſo. Et fuit, cur hæc ma-

teria maximè placeret: nam & æterna quodam-modò, & odore ſuavi eſt: exempla adfert Porta *Vejovis in arce*, *Junonis Rheginæ*, *Orphei in Libethris*, quod ſudorem, prodigio habitum, emiſit; cum id ingenio ligni fiat cœlo Auſtrino. Pauſanias *antiquitùs non alio genere materiæ ſimulacra Deorum conſtitiſſe* ait, *quam Hebeno, Cupreſſo, Quercu, Cedro, Smilace, Loto*, in Arcadicis. Denique 6. cur Cupreſſus *Thirza* ſit, cui nomen, ut dixi, *à myſteriis* & arcanis ſacris, ratio manifeſta eſt: *Plutoni & Morti* ſacra fuit, funeris & luctus indicium. Res notiſſima. *Natu*, ait Plinius, *moroſa*, id eſt difficillimè naſcens, *fructu ſupervacua, baccis torva*, [quos *Galbulos* vocant vocabulo Syriaco, unde *Galbano* nomen, reſinæ gravis odoris, quæ nidore ſerpentes fugat, Plinius l. 12. cap. 25. extremo, à חלב *cheleb*, vide Buxtorff.] *folio amara, odore violenta, ac ne umbrâ quidem gratioſa; Diti ſacra fuit, & ideò funebri ſigno ad domos poſita*, lib. 16. cap. 33. ſed -*non plebeios luctus teſtata Cupreſſus*, vide Kirchmann. de Funerib. & Hadr. Jun. in Miſcell. &c Quâ de causâ quoque ante pyram *ferales Cupreſſi* conſtitutæ, & poſt uſtrinam tumuli ac ſepulchra iis circumdata: Loculi & *feretra è Cupreſſo* erant, in quibus honoris gratiâ elati Athenis, qui pro Patria in bello occubuerant apud Thucydidem l. 2. Quin & Lugentes *Cupreſſinis coronis* utebantur: unde Statius in Priſcillæ Epicedio, & in Filii lib. 5. Sylvar.
-*tempus nunc ponere frondes*.

Phœbe

Phœbe, tuas, mœſtâque comam damnare Cupreſſo,
- ſed nec ſolitæ mihi vertice laurus,
nec fronti vittatus honos: en taxea marcet
Sylva comis, hilaresque hederas plorata Cu-
preſſus
Excludit ramis.

Hinc quoque ferales hoſtiæ, Diti ſacræ, *in Cupreſ-*
tis mactabantur taxo coronatæ, & erant Luci
ere *Cupreſſis* conſiti. Qualis ille apud Vale-
um Flaccum lib. 1. v. 775. - *Veteris ſub nocte*
upreſſi

Sordidus, & multâ pallens ferrugine, Taurus
Stabat adhuc: cui cæruleæ per cornua vittæ,
Et taxi frons hirta comis.

tſi autem Taxus, quæ Græcis *Smilax*, & μίλος,
obis Eybenbaum/ coniferis non abſimilis, folio
rè roris marini, venenoſa arbor; ut & umbrâ
iâ quieſcentes ſub eâ aliquando enecet. Denique
Magicis myſteriis uſus creber fuit *funebris Cu-*
eſſi, aut ſepulchris erutæ, Horatius in Epod. 17.
enecâ in Medeâ v. 798. *Quercus amica Jovi,*
mulos tectura Cupreſſus, Claudian. &c. Cauſa
it vel *Mythica*, quod ex cadaveribus quorun-
m, lugendâ morte raptorum, ut Charitum Ete-
lis filiarum, aut Cypariſſi, de quo Ovidius, aut
orum, ſunt enim fabulæ complures, enata
imitus ſit Cupreſſus; vel *Phyſica*, quod decacu-
inata, reſecto vertice, aut ſucciſa non reger-
net: niſi fortè *in Cretâ*, ubi adeò frequens, ut
ſulæ *pro inſigni* fuerit. Multa ſciens omitto.
am quis erit modus?

6. Hinc *emblematum* ſeges. 1. Ante domum fixæ, aut circa ſepulchrum ſtantes Cupreſſi, *mortem* ſignificant. *Sperandum eſt Vivis:* non eſt ſpes ulla ſepultis! Eccleſ. 9. v. 2. - *ſtant manibus aræ,* juxta Virgil. 3, Æneid.

Cæruleis mœſtæ Vittis, atrâque Cupreſſo.

Et Ovid. 3. Triſt. Eleg. 13. *Funeris Ara mihi ferali cincta Cupreſſo convenit.* At Chriſtiani, ut canit Prudentius in Exequiis.

Nos tecta fovebimus oſſa
Violis, & fronde recenti:

Utpote credentes -*fore protinus omnia viva.*

Quæ nunc gelidus ſopor urget.

Ergò è paganis incredulis - *ſine ſpe lugentur ademti,* 1. Theſſal. 4. Jam. 3. Ambroſius in Hexaëmero & ex eo Alciatus in Emblem. per Cupreſſi metam, frondibus inter ſe æqualibus, monent; Parentibus & Superioribus

Tractandos parili conditione ſuos,

Natura non dividit merita filiorum: ex pari omnibus tribuit, quod adnaſcendi atque vivendi poſſint habere ſubſtantiam, Ambroſ. lib. 5. cit. cap. 18. - *in natos par cura parentum.* 4. Idem in Pſalm. 118. ſerm. 4. *Sola Cupreſſus,* inquit, *nunquam vetere exuitur amictu: aut novo flore veſtitur: ſolam ventus nunquam honore ſuo deſpoliat,* (non ſimpliciter ſolam tamen, ſed inter perpetuo virentes hanc præprimis ſolam) *Sic Apoſtolica gratia quoque neſcit defectum, ſed vetuſtate ſui floret.*

Quod

p. 133.



Quod de ſcriptis θεοπνεύςοις, veriſſimum, quæ reliquerunt, ut dicam cum Horatio,

- *linenda Cedro, & lævi ſervando Cupreſſo.*

Sic enim cedrino ungebantur libri, & in capſis Cupreſſinis ſervabantur, contra tineas. Arcet enim amaro ſucco has peſtes omnes Cupreſſus,

Quæ nec ſecula centies peracta,
Nec longæ cariem timet ſenectæ.

ut ait Martialis. Pinge Cupreſſum virentem, librumque in apertâ ſubter jacentem arculâ, aut ſcrinio: adde ex eodem Martiali - *perpetuâ nunquam moritura Cupreſſo.* Hinc jam 5. Emblemata Camerarii, qui Principibus confert, quod arceat blattas & tineas. *Nil mihi vobiscum eſt*,

Ite leves procul hinc aliorum in prædia blattæ:
Noſter Adulantes neſcit amare decor.

6. Idem decuſſatim nexas inter ſe pingit Cupreſſi frondes & palmæ: *erit altera merces!* vel vincere vel mori.

Vincere pro Patriâ, vel pulchrâ occumbere morte,
Fortis amat: ramus quod monet iſte duplex.

Theologicum erit, ſi ad fines bonorum & malorum retuleris. Vitam enim aut mortem nobis proponit Deus, Deuter. 30. v. 19. - *manet altera merces.* Vincendum aut moriendum. *Palmam, quâ capitur gloria, finis habet.* 7. Leoſthenis orationem Phocion comparabat cum Cupreſſo.

Plutarch. in Apophthegm. - *Pulchrum, ſed inutile, germen.* Proverbium, *Cypariſſi fructus.* Gregorius Naz. in Jambis confert tales ſermones, *fluctibus maris*, qui litora cum fragore feriunt, terram non fœcundant, nec plantas recreant. 8. Si duas pingas corollas, hederaceam & Cupreſſinam, ex Papinio loc. cit. poſſis addere - *ſuccedunt triſtia lætis!* Proverb. 14. v. 13. *Dolor & voluptas invicem cedunt.* 9. De Thyrſi imagine dedi aliquot emblemata in Acerrâ Philologicâ lib. 5. num. 12. Ebrietas - *blandumque latensque venenum eſt.* Sic hæreſis, ut ibi ex Tertulliano, & Voluptas omnis - *Improviſa necat! Impia ſub dulci mella venena latent. Arrident hederæ, ſæva ſed haſta latet. Ne credas frondi; nam necat haſta latens*, &c. Quo ſpectant illa trita: *ubi mel, ibi fel! Mel in ore, fel in corde.* Frontis nulla fides. *Decipit*, ut ait Phædrus in fab. *Frons prima multos. 10. Vinum venenum.* Ejus effectus, ut ait S. Baſilius de Ebriet. - *Senectas immatura, mors cita.* Qui fiunt crebrò ebrii, citò ſeneſcunt, *Macrob. 7. Saturn. cap. 6.* Quibus competit illa Laberii querimonia:

Ut hedera ſerpens vires arboreas necat;
Ita me vetuſtas amplexu annorum enecat.
Sepulchri ſimilis, nil niſi nomen retineo.

11. Ubi novæ inventioni q. feneſtra aperta. Pinge *Sepulchrum heredâ* redimitum, cinctum Cupreſſis inſcribe: *hic ſitus eſt Vatia!* Imago hominis ſecuri luxu perditi, ſibi ſoli viventis. Qui vivens mortuus eſt, 1. Tim. 5. v. 6. ex Senecæ Epiſt. 56. *Ho ventri obedientes animalium, ut ait Salluſtius, loc*

nume

numeramus, non hominum: quosdam verò ne animalium quidem, ſed mortuorum. Vivit is, qui ſe utitur. Qui verò latitant & torpent, ſic in domo ſunt, quaſi in conditorio, horum licet in limine ipſo nomen marmori inſcribas: mortem ſuam anteceſſerunt, Idem Epiſt 60. Poſſis etiam 11. hederam circum haſtam Cupreſſinam, *de moderatione* accipere, quâ in vino, ne noceat, aut necet, utendum eſt. Vino enim creditur reſiſtere, vide Plutarch. 3. Sympoſ. Quæſt. 2. & Denique 12. accipe, quod habet Macrobius: *Bacchi thyrſus, quid aliud quàm latens telum, cujus mucro hederâ lambente protegitur? quod oſtendit, vinculo quodam patientiæ obligandos impetus belli*, vide lib. 1. Saturn. cap. 19. ut Cupreſſus fugat blattas & tineas: ſic *mortis memoria* peccata, *Cauſinus Polyhiſtor. lib. 11. cap. 28.* Hedera incenſa fumo necat Veſpertiliones, *Pier. Valerian. lib. 25.* Homines Lucifugas, & q. amphibios, nihil ſalubriùs occidit, ut incipiant mortui mundo, vivere DEO, quàm cogitatio Vanitatis humanæ gloriæ & voluptatum, & fumus ille ignis æterni. Sed de hederâ, & fortè Cupreſſo, alibi plura.

CAPUT VIII.

De Thidhar, Eſculo, Fago, Ulmo, Tremulâ.

1. JAm ſuprà cap. 4. num. 3. varias Interpp. ſententias citavi de hac arbore. Nomen à radice *dabàr* eſt, terruit ſtrepitu. Undè סוס דהר

Sus doher, *Equus ſonipes*, Nahum. 3. v. 2. *Locus*, mons Libanus: & propter *præſtantiam*, Gloria Libani vocatur; non inferior *Beroſch abiete* & *Thaaſſur*, de quâ cap. ſeq. Nec plura de eâ ex S. Literis. Quæritur.

1. AN FAGUS SIT? Ea Græcis dicitur φηγὸς, de quo nomine Autor Etymologici; vel *Quercum* vel *Pinum* ſignificare: δρῦς ἢ πεύκη; dici vel à φώγεσθαι, *ab urendo*, torrendo, quod nucleo ad cibum exempto, calyx vel involucrum, ad alendum ignem, uratur; vel à φαγεῖν, quod fructu ejus ante repertas fruges homines *veſci* ſolerent. Inter glandiferas arbores numeratur. Nomen tamen non unius ſpeciei eſt. Quæ Theophraſto φυγὸς dicitur, à Latinorum Fago multum differt, ut notat Porta. Illa Græca *Quercui ſimillima*, niſi quod glandem fert rotundam & dulciſſimam, qualem Caſtanea: itaque cruda, toſta, elixaque edi ſolet. Gaudet montibus, ſed & urbana in hortis colitur. *Eſculum* aliqui hanc Latini dici putant.

2. Eſt autem *Eſculus*, Quercus πλατύφυλλος, *latifolia*, maxima, & radice profundâ. Nam *ſi Virgilio credimus*, *eſculus*, *quantum corpore eminet*, *tantum radice deſcendit*, ait Plinius lib. 16. cap. 31. - *quantum vertice in auras*

Æthereas, tantùm radice in tartara tendit.
Ergò non hyemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt: immota manet, multosque per annos
Multa virûm volvens durando ſecula vincit.

Ima-

imago *conſtantiæ*, virique fortis, quem Horatius ſcribit *Juſtum & tenacem propoſiti.* Jovi ſacra, ovisque arbos dicta fuit - *memorumque Jovi qua axima frondet*, ut Idem Virgil. Ante Cerealia ona, juxta Ovidium 1. Metamorph.

Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.

Homerus Φυγὸν ὑψίλην Διὸς αἰγιόχοιο, vocat Ilidos, H. Quare & *civica corona, quæ Iligna primò uit, poſtea magis ex eſculo placuit, Jovi Sacra: Lex ius fuit, civem ſervare, hoſtem occidere. Itaque celebant murales & vallares, aureæ, quanquam pretio ntecederent? ac par fuit illi Græcorum ſummæ, ex leaſtro*, Hieronicarum, *quæ ſub Jove dabatur, & ui muros patriæ rumpebat* gaudens, Plinius l. 16. ap. 4. ubi Dalechamp. Materies dura eſt, unde illud Horatii proverbiale:

Parcas, nec rigidâ mollior eſculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus, lib. 5. dâ 10.

Ubi eſculus *ſævi & inexorabilis hominis* imago eſt. At apud Claudianum *conjugii* hieroglyphicon, in eſcenninis;

Tam junctis manibus nectite vincula;
Quàm frondens hederâ ſtringitur eſculus:
Quàm lento premitur palmite populus.

ed hæc non eſt *Thidbar* noſtra. Aliam excutiaus ergò Quercum.

3, FAGUS Latinorum, quæ noſtris Bůchen/ Buch=Baum / nota arbor eſt. Deſcribitur, quod ſit 1. Patula - *patulæ ſub tegmine fagi* 2. Annoſa & vetus, - *veteris jam fracta cacumina fagi:* Cui Perſius eleganter ſenem marcidum & articulorum morbo fractum comparat - *cui lapidoſa chiragra*

fregerit articulos, veteris ramalia fagi.

Hæc Bacchi λησιμελὴς & Veneris ſoboles eſt. Tunc inquit, *ſeri vitam gemuêre relictam!* Satyr. 5. *ô mihi præteritos!* 3. Alta, ut Georgic. 1. - *talia ante jugo levis, altaque fagus*, & apud Statium, 7. - *cadit ardua fagus Chaoniumque nemus.* Adde, denſam & umbroſam, quæque alia tribuunt Poëtæ, quæ & Eſculo convenire queunt. Sed fallitur *La Cerda* in Eclog. 1. qui fagum nihil putat differre. Nam ratione materiæ apertè diſtinguit *Vitruvius lib. 2. cap. 11.* diſtant etiam folio & fructu. Fago enim *folium tenue ac leviſſimum, populo ſimile, celerrime flaveſcens*, Plinius 16. cap. 6. At Eſculo querneum folium eſt, ſed latius, quo omnibus glandiferis præſtat. Nec *fructus Fagi* glans eſt propriè, ſed *Caſtaneæ minutæ ſimilis; triangulâ cute incluſi nuclei, ſub hiſpido calyce, echini inſtar aſpero.* Itaque *alia fageæ glandi figura, alia quernæ, & alia ilignæ. Dulciſſima fagi, quâ etiam obſeſſos homines durâſſe in oppido Chio traditur: muribus gratiſſima, glires quoque ſaginat, expetitur & turdis*, Plin. l. cit. cap. 5. & 6. Qui cùm addit; *Glans fagea ſuem facit hilarem, carnem coquibilem, levem, ſtomacho utilem* &c. mox *ab eſcula* diſtinguit, *quæ faciat*

p. 139.



faciat carnem fungoſam. Ita eidem aliud *Eſculetum & locus fageus*, Jovis *Fagutalis*, ubi Sacellum *Fagutal*, cujus Feſtus meminit; aliud *Sacellum Querquetulanum*, *Virarum*, nempè Hamadryadum, lib. 16. cap. 10. Varro 4. de Linguâ Lat. Fuit ergò Fagus quoque Jovis arbor: *Apud antiquos inde & vaſis honor. Manius Curius juravit ſe ex prædâ nihil attigiſſe, præter guttum faginum, quo ſacrificaret*, Plin. l. cit. cap. 38. Veteres *in cortice ſcribebant: explorator inprimis in recenti ad duces; incidens literas à ſucco*, quæ non apparebant, niſi cortice ſiccato. *Nec non in quodam uſu Sacrorum religioſius eſt fagi cortex, Sed arbor*, eo nudata, *non durat*, Idem cap. 9. Indè laudata *Pocula fagina*, cælata quoque eleganter, ut apud Virgil. Eclog. 3. quibus in ſacris uti mos fuit, in teſtimonium priſcæ frugalitatis, & felicitatis. *Nec bella fuerunt, Faginus adſtabat cùm Scyphus ante dapes*, Tibullus lib. 1. eleg. 10. Ita, ut apud Senecam in Octav.

Pectora pauper ſecura gerit,
Tenet è patulâ pocula fago.


Sic quoque olim, ut celebre dictum eſt Bonifacii, *Calices erant lignei & Sacerdotes aurei: nunc contrâ, Lignei Sacerdotes, calices aurei.* Quæ cogitatio pulcherrimum emblema ſuppeditat: ſtet menſula onerata dapibus inemptis, pyris, pomis, nucibus, & ligneo rudi poculo; aſſideat paſtor ſub patulâ fago, depoſitâ perâ, pedo & fiſtulâ; errent per gramina ſecuræ pecudes. - *O Felix nimiùm*

mium prior ætas! ut contraria juxta ſe poſita magis illuceſcant, quod dici ſolet, adde aliud: Pinge Damoclem ad regiam menſam, cui dirum minans impendeat enſis. *Pecuniæ cupiditas hæc Tropica inſtituit!* Ex Petronii Satyr. Illuſtrabunt utrumque Tibullus & Seneca citati. *In arborum corticibus amores notatos* dixi ſuprà cap. 4. num. 8. ſic in - *viridi cortice fagi*, Virgil. Eclog. 5. v. 13. & apud Propertium lib. 1. Eleg. 23.

Vos eritis teſtes. ſi quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio Pinus amata Deo.
Ah quoties teneras reſonant mea verba ſub umbras
Scribitur & veſtris Cynthia corticibus!

4. Hæc cùm expendo, ferè in ſententiam D. Lutheri pedibus diſcedo manibusque, THIDHAR ESSE FAGUM. Nam & nomen congruit, à tremore & ſtrepitu foliorum, quæ leviſſima quovis ventulo, vel aurulâ moventur: ſive à pedum crebrô *calcatu*, & indè ſtrepitu, quem Hebræi דהרה *Daharàh* vocant, Judic. 5. v. 22. Nulla enim inter ſilveſtres arbor fortè eſt, quæ ſæpius calcetur, fructu ejus à feris & hominibus expetito: neque gratior eſt umbraculo: *Arbor Danielis*, de quâ deinceps, cap. 4. v. 9. deſcripta, *Fagus* videatur non ſine causâ. Nec venuſtior imago Boni Principis erit, quàm ſi Fagum pingas, ut ibi proponitur, ac ferè apud Tragum in Herbario habetur: ſub quâ Paſtores ſedeant, inter greges ſuos: circumvolent turdi, qui fageas nuces


Et umbram præbet & eſcam.



tes amant: in ramis ſedeant Sciuri & mures. Sic Bonus Princeps - *& umbram præbet & eſcam!*

Sed commodè mihi in mentem venit, quod de Æſculapio refert Nicander, in Theriacis.

- Poſt dicta venena Draconem
Aſpice, quem patulâ fago Phœbeia proles
In gelido Peli nutrivit culmine, juxta
Læta Pelethroniæ quondam declivia vallis.

Atque ille fuit celebratus quondam - *Serpens Epidaurius*, pro DEO Medico cultus, cujus imago in Æſculapii nodoſo baculo inhærebat, de quo in Acerrâ meâ Philolog. lib. 5. num. 4. Sic Draco cuſtos fuit aurei velleris, & aureorum pomorum in horto Heſperidum, Quæ fabulæ multis præbent emblematibus materiam. Mihi h. l. ſit Draco pervigil, & inſomnis acutum cernens, imago Prudentis Principis, Fagum Reipubl. tutantis. Inde & Minervæ ſacer fuit. Et competunt cætera quæ de eo Nicander habet. *Formoſa*, inquit, *apparet ſpecies*,

- Magna ſub egregiâ ſcintillant lumina fronte.

Nec graves morſu dolores infligit - *modicum tenuis dat plaga cruorem.* Pugnat cum Aquila & captum ſæpe leporem

Extrahit ex rapidis, vi fraudeque fortior, uncis,

Interprete Eurycio Cordo, vide Pier. Valerianum, Alciatum, Natal. Comitem, &c. Nam immorari non vacat.

Denique quia in Libano multa navibus extru-

truendis materia fuit, ut dixi cap. 7. num. 5. Fagi quoque ad eas uſus fuit. Claudian. 3. de Raptu Proſerp.

-vecturus longinqua per æquora merces
Molitur tellure ratem, -fagos metitur & alnos,
Et varium rudibus ſylvis accommodat uſum, &c.

Accedit quod Fagi ſpecies peregrina eſt, quæ dicitur Theophraſto.

5. OXYA, Lydis Myſi; Gaza vertit, *Sciſſimam* quaſi in laminas ſectilem, eſt ea altitudine & craſſitudine *ſimilis abieti*, folio craſſo, bifido, longiore quàm Pyro; fructus *βαλανώδης*, incluſus quoque calyci; ſed non hiſpido, ut Caſtaneæ, ſimilis tamen huic dulcedine. Naſcitur in montibus, Materia candida ad multos expetita uſus, In aquis durat incorrupta, madefactaque firmior redditur. Hæc fagus à Prophetâ Eſai. ll. cit. cap. 41. & 60. merito ſuo jungitur *abieti*, ut cognata, quaſi ex abiete & fago. Atque hæc quidem, pro verſione Domini Lutheri. Quò & pertinet, quod ſuprà in *Thiahar* dixi, cap. 4. num. 3. de *Fago* quâdam *Sepium* dictâ, quam quidam *carpinum*, alii *oxyam* Theophraſti eſſe volunt, aut *ὀρειπτελέαν ulmum montanã*, amplitudine & celſitudine præſtantem, vide Matthiolum in Ulmo in Dioſcorid. lib. 1. cap. 95. Si eadem & Fagus & Ulmus dici poſſit. Neque mirandum, ſi interpp. in nominibus non conſpirent, cum neque inter Hiſtoricos Dendrographosj conveniat, & inuſitatis rebus non alia quam uſitata nomina indi potuerint. Videamus tamen etiam

6. ULMUM, GRÆCI *πτελέαν* vocant, & ſic *Thidhar*

πτελέαν vertunt Aquila & Symmachus Eſai. 41. v. 19. Quos deinde alii ſecuti ſunt, Vulgatus ibid. inprimis. Nota & frequens arbor eſt, **Ulmenbaum/ Rüſtenbaum.** Eſt autem - *genus haud unum, nec fortibus ulmis nec ſalici.* MONTANA alia eſt, major & procerior. *Atinia* fortè Latinis. Sed infelix arbor & damnata religione, ut quæ ſemine careat, adeoque nec ſeratur unquam, neque ferat fructum. Quin neque maritandis vitibus ſatis idonea, quibus nocet copiâ fruticum, & frondium. Grata tamen pecori. *Nam frondem jucundiorem præbet bobus, ut ſi eâ aſſiduè pecus alueris, faſtidium aliarum frondium afferat*, ut docet Columella lib. 5. cap. 6. Ita *cœlibem* hominem aptè deſignabit: quem hæredipetæ & adulatores, ignavum pecus, arrodunt. Sic enim fieri ſolet, ut nulli paſcant tales magis, quam qui ſteriles ſunt - *Platanusque cœlebs evincit ulmum*, puta maritatam, Horat. od 15. lib. 2. Gratior umbrâ, quamvis infelix? quam hæc fructu ex conjugio vitis. Pertinet huc Pliniana *Oſtrya*, quæ, ut videtur doctis, eadem *Oxya* Theophraſti, de quâ num. præced. *ſolitaria circa aquoſa ſaxa: quæ in Domum illata difficiles partus fieri tradunt, morteſq; miſeras*, lib. 13. cap. 21. Adeo huc quadret illud - *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum!* vel illud - *Telluris inutile pondus.* Et hanc Propheta noſter Eſaias cap. 60. v. 13. inter Glorioſas Libani arbores recenſuerit?

Sed neque altera CAMPESTRIS *ulmus* eo referenda videtur. Quia *locis aſperis & montoſis minus lætatur*, ut ait Columella, *humectis gaudet*, Apulejus,

jus. *Ubi campus eſt, nulla potior arbor ſeritur aut fructuoſior. Nam & ſepem ſuſtinet; ac colit aliquot corbulas uvularum viti juncta, & frondem jucundiſſimam miniſtrat ovibus ac bobus*, &c. Varro de Re Ruſt. lib. I. cap. 15. Propter amicitiam cum vitibus conjugii imaginem exhibet. Seritur *Samera*, ſic ſemen ejus dicitur, & cum curâ fiunt *ulmaria*, ulmorum ſeminaria, ut apud Columell. l. cit. *Samera* puto vetus eſt Ethruſcum vel Oſcum nomen, ex Hebræo fonte: nam *Schemuroth*, à cuſtodiendo dicuntur palpebræ, & *Miſchmaroth* cuſtodiæ. Studioſè enim ſemen ulmorum cuſtodit natura, cuſtodiendumque monet. Nam inter folia & ſub ipſis látitat, maturumque niſi colligatur, avolat: Vergleichet ſich allerdings dem breiten Miltenſamen/ für ſich ſelbſt anzuſehen als ein Heller/ und flieget nach der Zeitigung davon/ Tragus, & commun. Par cura & cuſtodia debetur adoleſcentiæ, ut apta ſit conjugio. Deinde optime convenit, quod habet Columella: *Si teneram ulmum maritaveris, novam vitem ſufferet; ſi vetuſtam applicaveris vitem, conjugem necabit: ita ſibi pares eſſe ætate & viribus, arbores viteſque convenit.* Si qua voles aptè nubere, *nube pari. Mirum inprimis id quod ulmo, tiliæque, & oleæ, & populo albæ & ſalici evenit: Circumaguntur enim folia earum poſt ſolſtitium*; Plinius lib. 16. cap 23. Quia æſtivo calore exſucto humido contracta criſpantur, & ſubvertuntur, Scaliger Exerc. 170. Sic Regulus avis minuta, quando colurno veru ad ignem torretur, ex unâ parte deſiccata, alteram adhuc ſucciplenam obver=

obvertit. Ita faciant pii conjuges in æſtu Tentationum & crucis; ſponte DEO ſe offerant: confer Domini præceptum, Luc. 6. verſ. 28. Juvencus:

Si tibi quis partem palmâ percuſſerit oris,
Mox aliam partem vultus præbere memento.

Si hoſti percutienti, quantò magis Deo & Patri? Naſcuntur *in foliis ulmi folliculi* crebri, qui liquorem lentum continent, inſtar gummi Solis calore concreſcentem, & culices exiguos: Wann im Mayen der Miltau die Blätter begeuſſt / rümpffen ſie ſich zuſammen/ und wachſen kleine Würmelein aus ſolcher Feuchtigkeit/ die mit der Zeit davon fliegen/ wie die kleine Schnäcklein / Tragus. Sed *humor ille in folliculis enaſcens primâ germinatione, cuti illitus nitorem inducit, faciemque reddit venuſtiorem; ſin ſiccetur, in talia abit animalcula.* Dioſcorid. lib. 1. cap. 95.

Folliculis Ulmi contento deindè liquore
Vulnera ſanantur, puerorumque enterocele,

Caſtor Durant. in Herbario Ital. Pulchrè: nam & inter conjuges ſæpè q. tubercula erumpunt, humoremque creant oculis. Sed *Amantium iræ amoris integratio eſt.* Caveant modo, ne culices creentur. *Fontem averte mali*, ut eleganter Gratius de Venat. Namque, ait,

Morborum in vitio facilis medicina recenti.

Denique ut Ovidius 2. Amor. Eleg. 16.

Ulmus amat vites: vitis non deſerit ulmum;
Separer à Dominâ cur ego ſæpe meâ?

Habet de hac amicitiâ elegans Emblema Alciatus 159. *Amicitia etiam poſt mortem durans*, ex Græco Antipatri epigrammate; ubi Claud. Minos. Ita fiet, quod promiſit David, Pſalm. 128. v. 3.

Non ſic appoſitis vincitur vitibus ulmus,
Ut tua ſunt collo brachia nexa meo.

Oenone ad Paridem: vide Catull. in Epithalamio. Ita quamvis adverſitas aliqua ſternat, eriget divina benedictio: ut *in Junonis Luco Nuceriæ, ulmus* collapſa ac decacuminata, *ſponte reſtituta eſt, ut protinùs floreret*, bono omine, Plin. lib. 16. cap. 32. Sat multa *de Ulmo.*

7. Quod ſi *Thidhar* nulla harum eſt, quænam ergò tandem? an fortè *Populus* illa, quam recentiores *Tremulam* vocant, Veteres *Libycam*, noſtri Aſpen/ undè Proverbium vernaculum: Er zittert wie Aſpenlaub/ Tremit ut populus in ſylvis. Nam quia folia tenui longoque pediculo pendent, indè fit, ut nunquam non tremant, etiam vel nulla auſa agitet. A quo tremore & ſtrepitu arbor Belgis vocatur Ratteler / vom raſſeln und praſſeln. Quod ipſum Hebræorum nomen significat. Sed *de Populo* mox. Itaque ampliandum cenſeo. Interim pro *Thidhar* Lxx. in Eſai. cap. 60. v. 13. habent πεύκην; ibidem Aquila & Theodotion, Græca ex Hebræis finxerunt, θαδαὰρ καὶ θαασοὺρ: pro quibus Vulgatus poſuit, *buxum & pinum*; Pagninus contrâ, *pinum & buxum*. De utrâque cap. ſequenti dicam plura. Nunc *Tremulam* malæ conſcientiæ imaginem præferre, obiter annoto, ut Eſa. cap. 7. v. 2. de quo aliâs.

Frigida

Frigida Populeas ſic quatit aura comas!
Non ſtant male conſcia corda! Nulla quies animo!
Impiis non eſt Pax. Eſai. 57. v. 20. 21. ubi *mari* comparantur, quod ſemper in motu eſt. Poſſis conjungere, & ad litus maris æſtuantis pingere hunc populum. Quò pertinet, quod & *Nigra* eſt hæc ſemper tremens, & *materiâ levi*; unde ad idola fabricanda eâ ſtatuarii utuntur, & nomen accepit heilig Holtz / *Lignum Sanctum*, notante Trago. Sic ſunt Idololatræ:

Vel motam Lunâ trepidant ad arundinis umbram.
Superſtitioſi homines ſemper ſunt anxii, ut Theophraſtus venuſtè depingit *in character*. Scite Varro apud Auguſtinum: *Deum à religioſo vereri; à Superſtitioſo timeri*, - *Hic niger eſt, hunc Tu Chriſtiane, caveto!* Marinus Thidhar laurum interpretatur, de quâ ſuo loco.

CAPUT IX.

De Thaaſſur, Buxo.

1. HÆc cùm *Thidhar*, modò dictâ, iisdem locis legitur, Eſai. 41. & 60. ut docui cap. 4. num. 3. 4. & deinceps. Nomen à radice אשר *Aſchàr* habet, quæ ſignificat in *Kal* inceſſit, in *Pihel* incèdere fecit, & quia beatitudo omnes ad ſe ducit q. & trahit, beavit; unde *Aſſur* greſſus, & *Aſcherà* Lucus, ad Deorum cultum ducens, in quo beatitudo, vanâ perſuaſione. Hinc etiam

Aſſur Semi & *Aſſer* Jacobi, filii. Quare vi nominis *Thaſſur arbor eſt felix*, beata, in lucis fortè plantata, Diis conſecrata, quæ omnes ad ſe allicit, inque ſui admirationem trahit.

2. Ac Romani quidem antiquâ ſuperſtitione, nec domi natâ, ſed ut videtur, ex oriente ad ſe translatâ, alias dixêre *arbores felices*, ut inter caſtus & Cerimonias, Flamini Diali impoſitas, fuit: *Unguium ejus & Capilli ſegmina ſubter arborem felicem terra eſſe operienda.* Agell. lib. 10. cap. 15. Sic *Flaminica in rica ſurculum de arbore felici geſtabat*, ibid. alias *infelices*, de quibus nota ſunt illa diri Carminis verba: *J. Lictor, Caput obnubito, arbore infelici ſuſpendito*, apud Ciceron. pro Rabirio, Habebantur autem *infelices, damnataque religione, quæ neque ſeruntur unquam, neque fructum ferunt*; quales ſunt *tamarix ſcopis tantùm naſcens, Ulmus Atinia, Alaternus &c.* Plinius l. 16. cap-26. Tùm *quæ in tutela Deorum inferùm, quæque baccam nigram, nigrosque fructus ferunt*: rubus item ſentesque, *quibus prodigia, malaque portenta comburi oportebat*, Macrob. 4. Saturn. extremo. Quædam etiam propter fabulas. Sic *hedera Cilicia, Smilax dicta, infauſta omnibus Sacris & coronis: quoniam ſit lugubris, Virgine ejus nominis, propter amorem juvenis Croci, mutatâ in hunc fruticem* Plin. l. c. cap. 35. Sic Hebræis *Planta* alia *abominabilis*, alia *amœnitatum*, ut ſuprà cap. 2. num. 8. Sed *Thaaſſur*, quæcunque eſt, ſingulari ratione, eulogium felicis arboris meruerit neceſſe eſt.

3. Bur.

3. Buxus *an hoc ſibi poſſit aſſerere*, videamus. Nomen è Græciâ habet. Dicitur enim πύξος, διὰ τὸ πυκνὸν τοῦ ξύλου, Euſtathio autore. Indè Medicorum *Pyxides*, & vaſcula operculata è buxo facta, noſtris **Büchſen** / & arbor ipſa **Buchsbaum.** Deſcribit Plinius lib. 16. cap. 16. 1. *Tria ejus eſſe genera; Gallicum, quod in metas emittitur, amplitudinemque proceriorem:* alterum vocat *Oleaſtrum*, de quo Dalechampius ibid. *in omni uſu damnatum, gravem profert odorem:* Tertium genus *noſtrate vocant, ſylveſtre, ut credo, mitigatum ſatu, diffuſius & denſitate parietum, virens ſemper ac tonſile.* 2. *Locus*; naſcitur libenter in montibus: *Pyreneæis ac Cytoriis plurima, & Berecynthio tractu; Craſſiſſima in Corſicâ flore apibus non ſpernendo, quæ cauſa amaritudinis mellis.* Theophraſtus ait gaudere locis aſperis & algentibus; In *Olympo* gracilem & brevem: maximam pulcherrimamque in *Cyreneâ*; ideò mel ibi inſuave eſſe, & buxum olere: *In Mediâ & hortis Babyloniis* non hoſpitari, & ægrè recipi. De *Cythoro* Paphlagoniæ monte Virgilius, 2. Georg. v. 437.

Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum.

Hinc Proverbium, πύξον εἰς Κύτωρον *buxum in Cytorum*; ut, *Noctuas Athenas*, apud Euſtath. Idem Poëta Buxum Berecynthiam dixit. 3. Fert *baccas* myrto non abſimiles, in quibus *ſemen, cunctis animalibus inviſum.* Neque adeò hactenus quicquam eſt, in laudem Buxi, ut tàm glorioſo nomine dignanda fuerit. Quin neque illud conſtat, *an in*

 Liba-

Libano naſci conſueverit? Potuiſſe tamen, non negandum videtur, inter nives Libani, in apricis & frigidis, quæ amat, ut habet Plinius l. cit. nam frigus bene fert, nec læditur. Neque illud ſingulare habet, quod *folia ei non decidunt*: nam cum pluribus commune eſt, ut Plin. 16. cap. 21. *Et quorundam locorum tanta vis eſt, ut circa Memphim Ægypti, & in Elephantine Thebaidis nulli arbori decidant, ne vitibus quidem*, ibid. & in Palæſtinâ ac Syriâ, in Libano & Amano montibus, nullæ frequentiores, quàm perpetuò virentes, arbores ſunt, ut obſervavit Bellonius. Quod quidam recentiores *Lignum Guajacum* à Buxo nihil differre, magnæ efficaciæ contra Luem Veneream, quam Gallicanam dicunt, autumant, refutavit Matthiolus: neque in Medicinâ, Buxi aliqua obſervata eſt utilitas, niſi quod capilli, lixivio, in quo decocta ejus folia, ſæpè eloti, ruffeſcant. Quid ergo cauſæ eſt, cur felix, ac beata dici debuerit, tàm infelix & damnata?

4. Ergò *ad materiam* tandem recurrendum eſt. *Ea buxo honorata*, ut ait Plinius, *raro criſpans, nec niſi in radice, duritie ac pallore commendabilis. In igne quoque duritia quæ ferro, nec flammâ nec carbone utili.* Eadem *ſpiſſiſſima & graviſſima, ut in aquis non fluitet*, ſed ſubſidat: propter duritiam Vermibus non arroditur, & propter amaritudinem, undè Ennius dixit - *amare corpore buxum.* Hæc ferè illi & *Ebeno* propria, Plinius l. 16. cap. 40. *Uſus* hinc varius. Nam ut ipſa Buxus *in topiario opere commendatur*, Viridaria & pulvillos plurimis

rimis formis ambies, vel ut Plinius Junior ait, *in mille formas deſcripta, literis interdum quæ modo Domini nomen dicunt, modò artificis*, vide Atrium Latin. num. 436. Sic, ut vocat Virgilius - *torno raſile buxum*, Georg. 2. v. 449. ad multa opera utile eſt, & ob maculas varias, multiplicesque & flexuoſos linearum diſcurſus, expetitum. Inde hodiè *cochlearia*, & *cultellorum manubria* fiunt, ut Dalechampius notavit, ſed & *pectines*, ut olim, de quibus Martialis, - *Multifido buxus quæ ſibi dente datur*. Et *Caput intactum buxo*, Juvenali impexum eſt. Ebur in laminas ſectum buxeis includebatur ſegminibus, unde Virgilius l. 10. v. 136. - *Quale per artem Incluſum buxo - Lucet ebur.* Inde factus quoque *turbo*,

Quem pueri, magno in gyro, vacua atria circum,
Intenti ludo exercent - Volubile buxum,

Idem lib. 7. v. 382. - unde Perſius - *buxum torquere flagello*. Verùm hæc omnia nihil ad Rhombum.

5. Puto tamen inveniſſe me, *cur buxus* dici potuerit lignum felix, *ad beatitudinem ducens*, Dis Sacra, & chara? *Cauſa altera* ex ſuperſtitione eſt: nam non tantùm ſimulacra Deorum è Buxo elaborata, propter materiæ dignitatem, ut Porta retulit è Theophraſto; quale fuit *Apollinis buxeum capite inaurato*, quod commemorat Pauſanias in Elegiacis poſter. lib. 6. verùm etiam *Tibiæ Sacræ*; ut in Sacris Deûm Matris -*ite per alta.*

Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum:
Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia, Matris
Idææ: ſinite arma viris, & ceditе ferro!

Virgil. 9. v. 620. Ita Ceres ad Matrem, Claudian. 3. de Raptu:

Si buxos inflare velim, ferale gemiſcunt:
Tympana ſi quatiam, luctum mihi tympana reddunt.

Sic de Junone ejusque ſacris Seneca in Agamemnone:

Tibi multiforâ tibia buxo Solenne canit.

Et de Orgiis Bacchæis Papinius 2. Achilleid. v. 153. *Thyaſis Iſmenia buxus Signa dedit.* Quo pertinet, quod idem de Bacchi turba canit lib. 7. Thebaid. v. 170. quo *imbellis* tantùm *norit*

Nectere fronde comas, & ad inſpirata rotari Buxa.

Atque hinc jam manifeſtè apparet, *cur Buxus Thaaſſur dicta fuerit?* non quod felix aut beata arbor ſit; ſed quod in Sacris Idololatricis *concitaret* animos Sacro quodam furore, & ad certas leges modosque *faceret incedere, ad lucos* & illam ſperatam ex Commercio cum Diis beatitudinem, *-Quater æra Rheæ*, id eſt, cymbola, *quater Evia pulſant Terga*, id eſt, Tympana, *manu, variosque quater legêre recurſus,*

Tunc

Tunc Thyrſos pariterque levant, pariterque reponunt,
Multiplicantque gradum, modò quo Curetes in actu
Quoque pii Samothraces eunt, nunc obvia verſæ, &c.

Statius Achilleid. I. cit. Hoc propriè eſt *Aſſer, concitare ad gradum*, & Arabibus indè *Exultare.* Sic Lucretius lib. 2.

Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia menteis.

Sic *Turrita turba Parenti*, Rheæ ſivè Cybelæ, Deorum Matri,

Pectora rauco concita buxo
Ferit, ut Phrygium lugeat Attyn.

Seneca in Agamemn. v. 680. Fuit hic Tibiarum uſus non ignotus in Populo DEI; nam vicini Phœnices *in Adoniis* quoque uſi; *Gingras* vocabant & ipſum *Adonin Gingrem*; utrumque hoc nomen *Dominum* ſignificat, de quo Bochartus in Canaan lib. 2. cap. 7. *vide quæ dixi in S. Analect. de Tibiarum uſu ſacro Volum. 1. lib. 1. cap. 7.*

6. Hæc mihi indubia videtur originatio nominis *Thaaſſur*, ut jam rectè putem antiquiſſimos Interpp. *Buxum* vertiſſe, quos D. Lutherus quoque ſecutus eſt. Tremellius *opacam arborem* habet, *quod nomen cognatum Aſcheràb lucum ſignificet.* Buxus, quamvis non ſit opaca Arbor,

ut Lucis umbram poſſet inducere, cum humilior videatur; tamen *à Luco* aliâ ratione nomen habere potuit. Inter alia Topiarii è Buxis varias ſolebant beſtiarum formas effingere, ad ornatum hortorum, & forte Lucorum, ut ingredientibus injicerent religionem & ſacrum horrorem. Autor Firmicus lib. 8. Aſtronomic. cap. 10. *Qui hoc Oriente ſidere natus fuerit*, de Cratere loquitur, *erit vinearum & amator & cultor, & qui infœcundis arboribus fœcundos inſerat ſurculos, & qui buxeas arbores tondens in belluas fingat.* Potuit etiam buxus in Lucis, inter proceras arbores, aliis de cauſis educari. Sed mitto; nec *altera cauſa* ſatisfacit, ideò fortè *Buxum* dictam arborem *beatam*, quod ex eà *tabellæ* fierent, quibus cerâ inductis, divina ac humana ſcriberentur. Sic Propertius *de Tabulis perditis* lib. 3. Eleg. 22.

Non illas fixum charas effecerat aurum,
Vulgari buxo ſordida cera fuit.

Inde πυξίον Tabula Scriptoria, δίπτυχος, σανίδιον δίθυρον. Sic Vulgatus Interpres Eſai. 30. v. 8. *Scribe ſuper buxum, & in libello diligenter exara.* LXX. ἐπὶ πυξίου, ut Habac. 2. v. 2. εἰς πυξίον *Buxa cerata* vocat Prudentius in Paſſion. Caſſiani Martyr.

7. Dixi quæ pro Buxo in mentem venerunt. Quod de *Pyxacanthâ* ſupra dubius, ante liquidam veritatem, poſui, neque enim, ubi quæritur, quod latet, aliter fieri poteſt, in medio relinquo. Dicam de eâ tamen inter *Atadim*, in ſpinoſis, ſuo loco.

loco. Ex iis quæ hactenùs dixi, obſcura illa *Eſaiæ cap. 41. & 60. ll. cit.* ænigmata videntur lucem accipere. Nam cur priore loco, promittit Deus ſe, effuſo Spiritu Sancto per Verbi miniſterium, in ſolitudine ſuſcitaturum *ſeptem arborum* ſpecioſarum *genera?* Reſpondi jam ex Hieronymo cap. 4. num. 6. Quia Eccleſiam Novi Teſtamenti omnibus *Spiritus ſui chariſmatibus* erat donaturus. Ea autem numerantur ſeptem: *Spiritus Sapientiæ & intellectus, Conſilii & fortitudinis ſcientiæ & pietatis, & Timoris Domini,* ſic Irenæus lib. 3. cap. 10. & 19. & Hieronymus in cap. 11. Eſaiæ, & alii, quos ex noſtris ſequitur D. Cluverus in Apocalypſ. cap. 1. probatque pluribus. Singulis ſua conveniunt hieroglyphica Prophetica: *Sapientiæ* Erez, Cedrus; *intelligentiæ* Sitta, Spina alba; *Conſilia* Myrtus Hadàs; *Virtuti aut Fortitudini* Ez Schemen, arbor pinguis: *Tum Scientiæ propter altitudinem & utilitatem* Beròſch Abies; *Timori Domini*, Thidhar ſtrepitu terrens, ſivè Pinus, ſivè Fagus: *& Pietati, quæ mentem concitat, greſſusque dirigit*, Thaaſſur Buxus. Ita *Gloria Libani* ſunt *Abietes* Doctores, ut ajunt, in choro, ſcientiâ eminentes; *& Fagi*, Principes Deum Timentes, in foro; & *pii conjuges*, quaſi buxi, liberos ſuos ad pietatem, tibiis veluti multiforatilibus, excitantes. Paulò aliter Gregorius M. loco cit. cap. 4. verùm hæc aliis meditanda relinquo.

8. Vin' & alia emblemata? 1. *Pugillares buxei* ſignificant *S. Scripturam*, ex Eſai. 30. v. 8. *Eſt enim*

enim buxus lignum imputribile, in his DEUS nobis per Prophetas *diligenter conſilia ſua ediſſerit, ita ut nulla ſit difficultas lectionis: ut quandò vaticinium fuerit rebus expletum, intelligamus verum eſſe Prophetarum ſermonem*, Hieronym. ibid. Hinc prima fidei elementa diſcamus, ut pueri, Pollux lib. 4. cap. 2. Hebr. 5. v. 12. *Buxus elementorum apicibus utilis exprimendis, levi materiâ, uſum manus puerilis informat. Undè ait Scriptura: Scribe in buxo ſimul ut te ipſa admoneat materia, quæ ſemper viret, nec unquam foliis exuitur ſuis, ne unquam ſpei tuæ diſſimulatione nuderis; ſed ſemper tibi per fidem ſpes germinet ſalutis.* Ambroſius 3. Hexaëm. cap. 13. In his Tabellis amantium deſideria & querelæ ſcribebantur.

Iraſcor, quoniam es, lente, moratus heri:
An tibi, neſcio quæ, viſa eſt formoſior?

Propertius l. 3. Eleg. 22. Martial. in Apophor. epigramm. 6. Quid in S. Literis aliud nobis à Deo? Et non doleat ſi quis perdiderit?

Scripta quibus pariter tot periêre bona?

Sunt etiam δίπτυχα, legem complectentes & Evangelium: ac δίθυρα ad felicitatem temporalem & æternam. Pertinent huc duæ Tabulæ Legis, τὰ πυξία τὰ λίθινα, ut vocant Lxx. Exod. 24. v. 12. Quaſi dicerent; Deum præcepta ſua *in Buxo lapideâ* deſcripſiſſe, duratura in æternum. Ea *cordibus* ſuorum, *velut buxo*, ſe inſcripturum promiſit Deus, Jerem. 31. 2. Corinth. 3. *Quod utique*

cotidiè

cotidiè facit, dum cordibus vocatorum ſuam inſerit voluntatem, & ſtylo Spiritus Sancti ſcribit, quicquid in animæ paginis Diabolus invidendo falſavit, Proſper de Vocat. Gent. lib. 1. cap. 8. Hæ ſint noſtræ *Ephemerides*, in quibus, ut dicam cum Propertio, quisque ſuas *-rationes ſcribit avarus.* 1. *Turbo buxeus* flagello pueri agitatus, denotat hominem impium, ſcelerum ſuorum luentem meritas pœnas, ut dixi ex Eſai. cap. 22. v. 17. Volum. 2. S. Analector. lib. 6. cap. 11. *Exercent ſcelerum pœnæ.* 3. Satyrus inflans *tibiam multiforam,* ſaltantesque in orbem Bacchæ, exprimunt, quod ferè dixit ſcitè Gregorius Nyſſenus de Reſurr. Chriſti Orat. 3. *Ubi Timor Domini non continet homines in officio, ibi cum peccato Diabolus* ζογέυει Fiſtula dulce canit! *Væ tibi ſaltanti!* nam mox poſt gaudia flebis. 4. *Buxi, myrti, Rhododaphnæ, meretrices ſignificant, & vanum laborem,* Artemidorus lib. 2. Onirocrit. cap. 25. *Apes* huc advolantes conficiunt *-non mel ſed fel:* Aut ſi maris *-fel melleum, mel felleum.* Sic, ut anonymus Fabulator, quem Accium vocant, dona lividorum ſunt hominum, quos buxus duritiâ & pallore notat:

Quæ dedit infidus mella, venena puto,

5. *Rododaphnen Lauream roſam* dixit Apuleius: nam foliis Lauro, flore roſæ ſimilis eſt: *jumentis, capris, ovibus venenum eſt; homini contra ſerpentium venena remedio,* Plinius l. 16. cap. 20. Sic Verbum Dei, ut ait Apoſtolus 2. Cor. 2. *Odor vitæ & mortis.*

6. *Bu-*

6. *Buxus* perditè amantes notat apud Alciatum:

Pallor ineſt illi, pallet & omnis amans,

Vide ibid. Claud. Minoëm. - *Facit hunc amor ipſe colorem.*

CAPUT X.

De Libne, Populo Albâ, & Styrace, Tiliâ.

1. HÆc quoque bis tantùm Legitur, 1. Geneſ. 30. inter eas, quarum *Virgas decorticavit Jacob*; 2. Oſeæ 4. inter eas, *ſub quibus nefaria ſua ſacra peregerunt Idololatræ.* Nomen *ab albedine* habet indubium. Nam *Laban album* ſignificat: undè *Lebana Luna albeſcens*, *Libanus* nivibus tectus, *Lebona Thus*, & hæc arbor *Libne* λεύκη, *Populus alba*, ut vel LXX. Geneſ. 30. *Styrax*, & Æthiopes hanc *Libne* vocant, ut videtur D. Hottingero, eodemque vocabulo *Stacten*, de qua tamen in Aromatibus. De utrâque pauca, de hac tamen prius.

2. STYRAX, ut deſcribunt Dioſcorides lib. 1. cap. 68. & Plinius lib. 12. cap. 17. & 25. *Arbor eſt cotoneæ malo ſimilis*, proceritate & formâ, foliis tamen minoribus, & adverſâ parte & albicantibus, ut addit Matthiolus: Flos illi albus, aurantiæ mali non diſſimilis: Baccæ è longis pediculis, tenui languine obductæ, nucis ferè Ponticæ magnitudine, in quibus oſſicula ſemen continent.

Eam



STYRAX.



am proxima Judææ Syria, ſupra Phœnicen, gignit, irca Gabala, & Marathunta, & Caſium Seleuciæ nontem. Laudatur etiam è Piſidiâ, Sidone, Cypro, ilicia advecta Lacryma, *& ex Amano monte Syia Medicis, ſed unguentariis magis.* Ea eſt gumai è ſtyrace manans, Officinarum *Storax:* aliud *ccum*, cortex fructus, poſtquam expreſſum eſt leum: hoc oleum ex nucleis, *liquidum* dicitur, x ſtacte à quibusdam, quæ propriè Myrrhæ ſt: aliud denique quod *Styrax calamites;* quia ıobilis lacryma, ne odoris perdat fragrantiiam, calamis incluſa, transvecta à Myropolis. *coleticen* denique dicebant factitiam, & adulteinam, quod adipe aut cerâ mixta, perque crimi foramina expreſſa, in aquam frigidam, in verniculorum ſpeciem contrahatur, q. d. *vermiulatam.* Vera igitur *Styracis Lacryma*, ut ait linius, *Colore ruffo, pinguiter lenta*, & quæ alia ad Medicos ſpectant. Illud memorabile, & noſtri fori, quod Idem refert: *Apud Arabes non alia ligni genera in uſu ſunt, quàm odorata: cibos Sabæi coquunt thuris ligno, alii myrrhæ: oppidorum vicorumque non alius, quàm ex aris, fumus & nidor: Ad hunc ergò ſanandum, abigendumque ſuorum faſtidium, urunt ſtyracem in pellibus hircinis, ſuffiuntque tecta. Adeò nulla eſt voluptas, quæ non aſſiduitate ſui faſtidium pariat: Eundem* Styracem *urunt ad fugandas ſerpentes, quæ in odoriferis Silvis frequentiſſimæ.* Pingitur Styrax apud Matthiolum: Incenſa in pelle hircinâ, denotat faſtidium doctrinæ cœleſtis: cui Hircoſi alicujus ſenis Philoſophi fœtor, unguento Rhe-

torico

torico aut Poëtico temperatus, præfertur: Ita Pindarus Davidi, Paulo Ariſtoteles, ut in Theologiâ Scholaſticâ: Sic caſtæ conjugi ſæpè meretrix fœtida, hircum olens, unguentata. Sic *Indi aromatum ſaturi*, fœtida malunt odorari, dixi in Acerrâ Philolog. lib. 3. num. 134. - *animum præſentibus exple Deliciis.* De Serpentibus inter odoriferas arbores, dici poteſt illud tritum, *Latet anguis in herbâ!* ſic Scytale Paradiſiaca, miraculo ſui cepit ſtupentem Evam, de quâ Solinus cap. 40. & eſt *ſerpens* notiſſimum *voluptatis* hieroglyphicum, ventre repens, dente mordens, veneno interimens, vide Philon. de Mundi Opif. Remedium, thymiama ex Hirci Piacularis incenſo, qui in Crucis Styrace Deo ſe obtulit, in odorem ſuavitatis. *Non poteſt regnare peccatum, ubi mors Chriſti animo circumfertur*, Origenes.


3. Nam *Virgam Aaronis*, quæ amygdala protulit, Chriſtique crucem præfiguravit. *Styracinam* fuiſſe quoque veteres crediderunt.

Huc Aaron eſt Virga crucis quæ germina profert,
Ipſa diſſimilis, Styracis tamen arbore nata:
& mox:
Et Virga Styracis nucis attulit: ipſa
Virginis hæc ſpecies, genuit quæ ſanguine corpus:
Conjuncta in ligno ſedabit mortis amarum,
Interiùs dulcem, fructum - Tertull. 4. adv. Marcion.

Per Styracem ſignificatur incenſum & ſacrificium veſpertinum, quod Deo Patri defertur, Ambroſius de Jacob. l. 2. cap. 4.

Ara-

p. 161.



POPULUS AMERICANA.

Arabibus hæc arbor dicitur *Aſtarach*, fortè ab Hebræo *Ez & Ruach*, q. d. *Lignum odoratum ad reſpirationem*, quo fine ex Syriâ advehebant Arabes, ut dictum. Hiſpani retinent nomen, *Eſtoraque:* hinc Græcum στύραξ, de quo Heſychius. Arabes apud Serapionem, *Stacten*, ſive gummi ſpontaneè ſtillatitium hujus, diſerte vocant *Lubne*, ac *ambram*. Itaque *Liquidambar*, ex Occidentali Indiâ, refertur ad Styracem à Bauhino ad Matthiol. l. cit. Neque pluribus hic opus eſt. Nunc invitat ad ſe.

4. POPULUS; Ejus *tria* ſunt *genera*, *Alba*, *Nigra*, & quæ *Libyca* appellatur minima folio, ac nigerrima, quam ſupra *Tremulam* dici notavimus. Prior & poſterior ſteriles: media fert uvam, baccas ſcilicet racematim, plenas albâ lanugine, &c. De *Albâ* hîc ſermo, quæ Græcis λεύκη ut *Nigra* ἄιγειρος: noſtris illa Papelbaum / Bollenbaum; hæc Aſpenbaum. Differt Alba à Nigrâ maximè folio, quod *bicolor*, *infernè candicans, & parte ſuperiori viride*, ut apud Plinium legendum, 16. cap. 23. Hinc illi nomen. Neque *à multitudine* Populus, ut primâ brevi, ein Volck / quaſi geminatâ priori ſyllabâ ποπολὺς, *Becmanno in Origin.* Sed, ſi conjecturæ locus, à בלל *Balal*, confundendo, quomodo *Babel* antiquiſſima & celeberrima urbs Babylon, quaſi *Balbel*, Gregorius Gregorii Lexic. Sanct. num. 8. Populus enim, ſemper tremula, folia inter ſe miſcet & contundit. Sic *farfarus* videtur dicta *populus*, vocabulo

L fortè

fortè Punico, ex Hebræo בר *Bar*, quod geminatum pro more, eſt *barbar*, aut *farfar*, quod puriſſimum, nitidiſſimum ſignificat, ut 1. Reg. 4. v. 23. *Folia farferi*, *nugæ meræ*, Proverb. Plautus in Pœnulo, Apulejus &c. *vide Remb. Dodonæum in Chamæleuce*, *& in Populo*. Sic etiam Nigra populus ἄιγειρ☉ nomen habere videtur à ſcindendo, *Garaz*, unde mons *Griſim*, Deuteron. 11. v. 29. nobilis Templo *Jovis Olympii*, *cui Populus Sacra*: *Neque ex aliâ arbore, quam ex Populo albâ, ad Sacra Olympica*, *ligna cædebantur*, *patrio apud Eleos ritu*. *Credo honorem huic arbori ideò habitum*, *quod eam Hercules primus è Theſprotide in Græciam attulit*: *Neque ille*, *cùm Jovi Olympio Sacra faceret*, *ex aliis lignis victimarum femora cremavit*, ut ait Pauſanias in Eliac. Prior. lib 5. Ergò *Griſim* mons eſt *ἀιγείρων populorum*: & Tertia Populus Lybica, κερκὶς, non aliunde originem repetit, quàm unde *Carcaa*, Joſuæ 15. v. 3. quæ vox *pavimentum*, aut *ſolum* ſignificat: fortè compoſita ex *Karà*, & *Raka*, *ſcindendo & extendendo*. Is enim materiei harum arborum præcipuus eſt uſus, ut ſecentur in *aſſeres & laminas*, *quarum operimento alia materies veſtiatur*, ut notat Porta Neapolit.

5. *An vero Alba Populus ſit Libne?* non habeo dicere; dubitandi rationem habeo. Nam *Libne* ab Hoſeâ cap. 4. v. 13. inter *montanas* recenſetur, quæ *bonam præbent umbram*. At Populus aquas deſiderat: Virgil.

Popu-

Populus in fluviis, abies in montibus altis: & Ovid.

Quam Platanus rivo, quàm gaudet populus undâ.

Deindè *umbra Populo nulla, ludentibus foliis*, ut ait Plinius lib. 17. cap. 12. *folia* enim *pediculo* pendent *tremulo*, *ſolisque populis ſunt inter ſe crepitantia*, perpetuo agitata motu, Idem 16. cap. 24. Quo argumento nomen *Thidhar* Populo magis aptum, ut dixi cap. 8. num. 7. Sed à communi tamen ſententiâ ægre diſcedo. *Amat etiam montes* Populus, ut docet Plinius: umbramque facit, non quidem opacam, gratiorem tamen, agitatione foliorum. Virgilius Eclog. 9. v. 41. - *hic candida Populus antro*

Imminet, & lentæ texunt umbracula vites.

& 4. Georg. verſ. 511. - *Populeâ mærens Philomela ſub umbrâ Amiſſos queritur fœtus.* Adde, quod Sacra facientibus, & epulantibus, vix alia commodior arbor fuerit. Solebant enim ferè Populo coronari. Primus cùm ad Inferos deſcendiſſet Hercules *cana revinctus populo horrentem comam*, ut ait Seneca; indè bicolor folium. Nam quâ parte ſudore Herculeo immaduit, album, ſuperiore verò, fuligine & fumo Acherontis, obſcurum evaſit. Indè Populus - *Herculeæ arbos umbroſa coronæ*, Virgil. 2. Georg. & Ovidio.

Aptior Herculeæ populus alba comæ,

Ita in Sacro Herculis apud Virgil. 8. Æneid. verſ 285.

Salii ad cantus, incenſa altaria circum,
Populeis adſunt evincti tempora ramis.

Hæ antiquiſſimæ coronæ fuerunt, è populo, hederâ, apio, oleaſtro.

6. Hinc *Hieroglyphica & Emblemata* varia. 1. Tempus ſignificat: *Alba populus dicta, quia folia ejus unâ parte ſunt alba, alterâ virida. Hæc igitur bicolor, habens quaſi noctis & diei notas: quæ tempora ortu Solis occaſuque conſtant*, Iſidorus Etymolog. l. 17. cap. 7. Adde quod in perpetuo motu eſt, nec unquam quieſcunt folia, etiam cùm ſilet aura: quodque folia ejus in Solſtitio ſe convertunt, cùm Sole, & circumaguntur, ut & Ulmi, Plinius 16. cap. 23. ſupra cap. 8. num. 6. Quâ de causâ *Herculi ſacrata*; idem enim juxta Orphicam Theologiam *Hercules & Cronus*, ut ex Athenagorâ docui Volum. 2. S. Analect. lib. 5. cap. 2. *Item Sol*, Temporis arbiter. Et indè nomen: eſt enim *Sol Heracles*, id eſt, *Horas cleos, Aëris gloria*, ut Macrob. 1. Saturn. cap. 20. Hinc fabula de deſcenſu ejus ad inferos, & de Populo, de quâ dixi. Servius: *Hercules, cùm ad inferos deſcendens fatigaretur labore, dicitur de hac arbore coronâ factâ, velaſſe caput: undè foliorum pars temporibus cohærens & capiti abluit ſudorem*; [malim, albuit ſudore] *pars verò exterior, propter inferorum calorem, nigra permaſit.* Nos Davidicum illud addimus: *Tuus eſt dies, Tua eſt nox*, Pſalm. 74. v. 16. vide Alciati Embl. 213. & ibi Claud. Minoem. 2. Eâdem ferè ratione perpetuam rerum huma-

narum

narum viciſſitudinem, fortunæque, ut ajunt, vo-
lubilitatem denotare poteſt populus. - *Quandoque parens, quandoque noverca eſt.* Hinc *Fortuna biformis*, partim alba, partim nigra, picta, ut docui in Acerrâ Philolog. lib. 5. n. 47. Sic quoque, ut in Tremulâ dixi l. cit.

Noctes atque dies trepidant malè conſcia corda;
Populeas agitat ceu levis aura comas.

3. *Cygnus in Populeto* canens ad aquas pingitur à Virgilio 10. Æneid. v. 189. *Namque ferunt Cygnum, luctu Phäethontis amati,*

Populeas inter frondes, umbramque ſororum,
Dùm canit, & mœſtum Musâ ſolatur amorem,
Canentem molli plumâ duxiſſe ſenectam,
Linquentem terras, & ſidera voce ſequentem.

Sic apud Euripidem, Cygnus eſt γέρων ἀοιδὸς *Senex Muſicus.*

Cantator Cygnus funeris ipſe ſui.

Et apud Horum 2. Hieroglyph. cap. 37. *Picto Cygno ſenem Muſicum*, aut & Poëtam, Philoſophum, Theologum, *denotabant Ægyptii*, Tales Cygni fuerunt Moſes, Deuter. 33. David, 2. Sam. 23. Simeon Evangelicus, Luc. 2. &c. *Avibus quidem negatum eſt naturâ, ne eadem ſit & Aquila & Cygnus; ſed homini conceſſum; cui & facundo licet eſſe, & Philoſopho*, ait Syneſius de Dione. Quod alterum Emblema præbet: *Tertium* Sulpitius de Lucano ſcribens:

Hæc cecinit Vates ſcripturus plura: ſed illum,
In medio curſu, juſſit mors dira ſilere.
Accidit ut Cygno, qui fixus arundine, carmen
Mille modis querulum, quod cæperat, interrumpit.

Sed hæc non ſunt hujus loci. Adde tamen lemmata, 1. *Hæc cœlo eſt chara Senectus*: quæ rerum humanarum inſtabiles vices recogitans, Terras linquit, ſidera ſequitur, DEO canit & ſibi intùs quaſi, ut Aſpendius Tibicen. *Nihil eſt otioſâ ſenectute jucundius*, ait Cicero: Imò nihil piâ. *ô terque quaterque beatos!* 2. - *Sapiens corde, ore diſertus.* Hæc duo ſunt, quæ eruditum deceant. *Hermathena Academiarum ornamentum proprium*, ut docet Cicero ad Atticum, lib. 1. Epiſt. 2. Mercurius & Minerva σύνναοι monent - *Sapere & bene dicere diſcas.* 3. *Juſſit mors muta ſilere!* Imago viri Docti, qui morte præventus cœptum opus non abſolvit, aut inter ſcribendum vitam finiit, ut Varro apud Valer. Max. lib. 8. cap. 7. *In eodem enim lectulo & Spiritus ejus, & egregiorum operum curſus extinctus eſt*, vide ibid. - *Inveniant me fata canentem!* Ita *Non uſitatâ nec tenui ferar Pennâ*, ut Horatius lib. 2. od. 20.

7. Qui in juventute, 4. pietati ſtuduit, ſenex defecit; per Populum quoque ſignificari poteſt: nam *albâ vetuſtate in nigram tranſit*, tùm fronde, cùm totâ ſpecie, Theophraſtus & Plinius, 17. cap. 25. Tales quoque *florum pappis* volantibus comparantur. Hermogenes Tharſenſis Sophiſta,

ſta, ab ætatis anno XV. floruit laude eloquentiæ. Vir factus defecit, obiitque tandem ἐν βαθεῖ γήρᾳ inglorius: de quo Antiochus alius Sophiſtarum dixit: Ἑρμογένης ἐν παισὶ μὲν γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς, Philoſtratus in Sophiſtis. - *Quantum mutatus ab illo?* 5. Populo maritata & vitis conjugii ſpeciem præfert. Et Porta quidem Neapolitanus lib. 8. cap. 2. contra veteres docet, *inter arbuſtivas non ulmo, ſed populo primas deberi:* quod neque umbram faciat denſam & uvis noxiam, neque multo indigens alimento uxori ſurripiat: cùm ulmus contrà uvas frondibus opacatas non ſinat matureſcere, locum radicibus compleat, iisdemque vitem ſtrangulet, Zelotypiâ quaſi implicatam. *Nam Zelotypiâ uxor demacratur, non alitur,* &c. Maritus itaque nec prodigus ſit, nec Zelotypus. - *Unanimi fœmina virque thoro!* vide de Ulmo ſuprà. Aliud ſimile præbet in Culice Virgilius,

- hederæque ligantis
Brachia, fraternos ne plangat Populus ictus
Ipſæque excedunt ad ſumma cacumina lentæ,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.

Hoc enim caſtæ, Virumque amantis conjugis officium eſt. - *Rebus Solamen in arctis.* Ut melius intelligatur, nota fabula eſt 6. De Phaëthontis ſororibus, quas in Populos mutatas, triſti fratris caſu, perhibent, ex Ovidii Metamorph. breviter Valer. Flaccus l. 5. v. 430.

Flebant populæ juvenem Phaëthonta ſorores,
Ater & Eridani trepidum globus ibat in amnem.

Lacrymam populorum ajunt, quæ in Padum amnem defluat, durari, ac coire in ſuccinum, quod Electrum vocant, alii Chryſophoron, ait Dioſcorid. lib. 2. c. 93. ubi *de Succino* plura notat Matthiolus. Eſt autem Populus reſinifera, & ex gemmis ejus protuberantibus vulgò fit unguentum Populeum dictum. Hinc fabula. Nam ſuccinum non eſſe arboris lacrymam vel gummi, quicquid contrà Bellonius dicat, notius eſt quàm ut refutari mereatur, vide Matthiol. l. cit. Bellon. obſervat. lib. 2. cap. 72. Eſt tamen quod ad pietatem hinc faciat. *Lacrymæ piorum* quid ſunt niſi Electra? *Stillataque Sole rigeſcunt*

De rmmis Electra novis. Deus annumerat in Sacculum, Pſalm. 56.

8. Populus in Gloſsâ ordin. Hoſeæ 4. *hæreticorum virorem notat, qui ſine fructu eſt.* Et ut illa folia circumagit æſtivo ſolſtitio; Sic illi vertumni ſunt, hencken den Mantel nach dem Wind: verſipelles & verſicolores. Denique ad Acheronta apud Inferos nata primùm fertur Populus, unde *Archeroïs* ab Homero dicta, ex fabulâ de Hercule citatâ. Quid Hæreſis niſi Archeronticum βλάςημα; *Cortex populorum particulatim conciſus, & ſulcis ſtercoratis mandatus, omni tempore anni edules fungos profert*, Dioſcorid. Hi ſunt hæreſeos fructus, homines *fungino genere*, ut dicam

am cum Plauto, corda *-pluvialibus edita fungis, errae odium: tanti, quanti fungus putidus.* Ipſa orum doctrina ſubito nata ut fungus, veſcentes ύκητ@ δίκην *fungi in morem* ſuffocat, *venenum voluptuarium* vocat Plinius. Irâ DEI naſcitur hæreſis;

Ut faciunt lautas optata tonitrua cœnas.

Nam cum tonat & pluit, repentè fungi proveniunt, terræ matris q. ſputamenta. Tandem 8. nam plura mitto, *Populeas Virgas* Geneſ. 10. S. Scripturæ teſtimonia eſſe dixi cap. 4. num. 14. & facit ad rem, quod *Populus utraque lentiſſima, & ideò ſcutis faciendis aptiſſima, quorum plaga contrahit ſe protinùs, cluditque ſuum vulnus, ut ferrum contumaciùs transmittant*, Plinius 16. cap. 40. Itaque ſub populo, picto ſcuto, adſcribes *- negat transmittere ferrum!* Hinc in Onirocriticis *Populus alba viſa Athletis conferre dicitur, propter Herculem*, Artemidorus lib. 2. cap. 25. Lepidum idem habet ſomnium lib. 5. cap. 74. Viderat ſe quis in bifidam proceramque arborem mutatum; quæ ex unâ parte eſſet Populus alba, ex alterâ Pinus. Illi aves omnis generis; huic lari & mergi, aliæque marinæ inſidebant, Filii ejus deſignabantur, quorum alter athleta, alter nauclerus evaſit. S. Scriptura & monitis inſtruit ad Sacram Athleticam contra vitia, & ſolatio ceu clavo dirigit inter tot fluctus; ut ſit Chriſtianus *- ad utrumque paratus!* Atque hæc quidem de Populo. Addam aliquid.

9. De Tilia: hanc enim pro *Libne* poſuit Oſeæ 4. v. 13. *D. Lutherus.* Ac mirabitur fortè aliquis, quâ de causâ, cum Geneſ. 30. *Populum* tranſtulerit ? Ego verò eximiam eruditionem potiùs. Quærenda fuit arbor, quæ opacâ grataque umbrâ ad ſe vocaret, inter Sacerrima Sacra, fœdis libidinibus operam dantes. Non alia occurrit aptior quàm Tilia. Nam 1. *nomen* habet à fonte Hebræo : טלל *talal* enim ſignificat *texit, obumbravit, umbram fecit*, uſu Chaldaico, Dan. 4. v. 9. Indè Samaritanis אטלי *Atli lucus.* Noſtris, Linde/ à mollitie & lævore, quare - *Tiliæ molles & læves*, Poëtis. *Eſt enim materies ejus moliſſima & calidiſſima : hoc argumento, quod aciem ferri hebetat*, & aſcias citiſſimè retundit, 2. Itaque & hodienum, propter amplitudinem, opacitatem, florumque jucundum odorem, ante Sacras ædes, & ubi frequentes conventus aguntur, ſtat, & ſæpè diætas ac cænationes ſuſtinet. 3. Sacra fuit *Saturno*, qui ex *Philyrâ*, mutatus in equum, Centaurum Chironem genuiſſe fingebatur, ut apud Apollonium eſt lib. 2. circa fin. Ovid. 6. Metamorph.

Ut Saturnus equo geminum Chirona creârit.

Quare ſub umbrâ ejus fœda ſua ſacra meritò peragebant *Equi hinnientes*, Jerem. 5. v. 8. cùm mollicellis ſuis Philyris. 4. Ipſa arbor geſtire dicitur pruritu quodam nativo, & omnium pomorum admittere adulteria. *Sic juxta Tiburtes* ait *à ſe viſam*, Plinius *Tiliam omni pomorum genere onuſtam :*

am : alio ramo nucibus, alio baccis, aliundè Vi-
, ficis, pyris, Punicis, malorumque generibus.
ed huic brevis fuit Vita, lib. 17. cap. 16. quod
orta repetit. Hinc fabula, Philyram in ſui no-
ninis arborem fuiſſe mutatam. Quoniam, à
heâ Saturni uxore ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſa, au-
ugit è Cretâ, variaſque per regiones peregri-
ans quæſtum ſuo fecit corpore, *victima publi-*
e libidinis, ut Apollonius l. cit. Hyginus *à Sa-*
urno compreſſam ait *in Thraciâ*, *cumque Chiro-*
em biformem, Centaurum quippè, *peperiſſet*,
Jove precibus conſecutam, *ut in Tiliam mutare-*
ur, fab. 138. Ac fortaſsè hinc nomen, quaſi di-
as φίλην τῆς ὕλης, *Lambda in Rho* mutato, quod
on inſolitum. Eſt autem ὕλη antiquiſſimo uſu
ocabuli apud Sapientes, quam Theologi vo-
ant *carnem*, è quâ omnes pravæ cupiditates.
Adde, quod *Philyra meretricis nomen*, fuit
uam Lyſias juvenem adhuc ſcortari deſiiſſe ſcri-
ſit, apud Athenæum lib. 13. Qui lib. 2. *Cineſiam*
Poëtam, hominem impurum & impium, ab Ari-
tophane φιλύρινον, *tiliaceum* dictum retulit,
quod Heſychius exponit, ἀσθενῆ: fuit enim *vale-*
udinarius, ut inimici ei non mortem ſed vitam
ongiorem exoptarent; *exemplum futuro, quàm*
uſtè & ſeverè contemptum ſuum Dii, ut ait Ly-
ias Orator, *ulciſci ſolerent* : & adeò *gracilis*, ut
abulis tiliaceis corpus cingeret ac muniret, ne in-
urvaretur. Quæ omnia optimè conveniunt ho-
ninibus libidinoſis, quos intemperans nequitia
graciles, valetudinarios, effœtos, effœminatoſque
efficit,

efficit, & q. in Philyram transformat. Ac *teredinem* quidem *negant ſentire tiliam*; ſed; vos vermes tandem & putredo conficiunt, Sirac. 19. v. 3. Eſa 50. v. 9. Denique *mirum in hac arbore*, ut habet Plinius lib. 18. cap. 28. *foliorum corticisque ſuccum eſſe dulcem, fructum à nullo animalium attingi*. Sic eſt fœda illa voluptas; guſtu foliorum q. dulci, ſed fructu inguſtabili. Eſt igitur Tilia multis modis libidinis hieroglyphicum. - *Frangit & enervat vires.*

10. E Tiliaceo cortice aut interiori membranâ funes fiebant & coronarum appendices. *Sunt enim inter corticem & lignum tenues tunicæ, multiplici membranâ, è quibus vincula tiliæ vocantur tenuiſſimæ earum Philyræ, coronarum Lemniſcis celebres, antiquorumque honore*, Plinius 16. cap. 4. Aliud *Lemniſci* erant, tæniæ aut faſciolæ, ut nunc quoque ſericeæ, ſeidene Bändel galanterien *Lemniſci faſciolæ coloriæ rependentes ex coronis*, Feſtus; olim è lanâ: aliud *Philyræ*, bracteatæ vergüldte Flinderlein/ ut Plinius l. 21. cap. 3. quæ & coronis pendebant, tremulo fulgore coruſcantes; & quibus ipſæ vinciebantur. Sic *Philyræ tenus*, ut legendum monuit Salmaſius, funiculus eſt ex tenui tiliæ membrana nexus, apud Tertullian. de Pallio. Hæc vincula ſunt quibus amentes, nexu libidinis, in exitium ducuntur, *uti bos coronatus ad aram & macellum*, Proverb. 7. v. 22. ubi elegans emblema Spiritus Sanctus ſubminiſtrat. Nam corollæ, ſerta, unguenta, & totus ille apparatus ſuperbiæ, quid niſi Cupidinis vincula?

ula? - *Hoc ſtulti fune trahuntur.* Cultus iſte *naturaliter libidinis invitator eſt.* Tertulliani verbo. Hoc eſt illud meretricium aucupium, de quo lautina illa:

Nunc ab tranſenna turdus lumbricum petit.
Pendebit hodie pulchrè, ita intendi tenus.

Tempora mutantur, nos & mutamur in illis. *Conſtat, æterna poſitumque lege eſt, ut conſtet genitum nihil!* Ejus rei ipſa nos admonet natura. Nam quo die, Sole in Cancro verſante, ſolſtitium fit, *verti juſſit folia, & eſſe confecti ſideris ſignum; oleæ ante pedes ſatæ; & tiliæ ad mille uſus petendæ, ulmi quoque & populi albæ, vitibus nuptarum: Alia arte cælum reſpiciunt, quàm qua ſpectavere pridie,* ut ait Plinius l. 18. cap. 28. - *Tempus retro omnia vertit. Noſtra certè metatio, quod clauſis, vel in totum Homericis oculis liquet, totum verſiforme eſt,* ait Tertullianus de Pallio poſt princip. vide integrum locum. Denique quia *apes è tiliæ ſylveſtris floribus mel conficiunt*, Pallad. & *in Philyris*, ſive tiliaceis membranis, *ſcribere* vetus mos fuit, unde & pagellæ papyraceæ hoc nomen acceperunt, Plinius: Librorum quoque; & inprimis Sacrorum, Symbolum eſt Tilia: ubi

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libent,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta.

Ita enim *apes imitari debemus*, ut ait Macrobius Præfat. Saturnal. Imperatorum mandata in talibus Philyris perſcribebantur; γραμμάτια ἐκ φιλύ-

φιλύρας vocat Xiphilinus in Commodo, referens, *Ulpium Marcellum, Ducem vigilantiſſimum quotidie veſperi duodecim conſcripſiſſe, quæ ad milites, nunc hos, nunc illos per ſingulas noctis horas mitterentur, ut Ducem vigilare rati, & ipſi pervigilarent*, ut & Suidas in Marcello meminit. Et Commodus in tali γραμματείῳ, ut ait Herodianus lib. 1. tiliaceo, quos occidere deſtinaverat, perſcripſit. Deus per Prophetas & Apoſtolos, homines utique φιλυρίνους, ἀσθενεῖς, mandata nobis ſua inſinuat, ut *Vigilemus!* Notavitque quos, irâ ſuâ dignos, æternâ morte damnare decreverit. Hinc tabulas accipimus, quibus fulciamus quaſi gracilitatem, infirmitatemque noſtram, ut incedamus recti, non proni in terram. O *curvæ in terras animæ!* Sic de Antonio Pio Imp. Capitolinus: *Fuit ſtaturâ elevata decorus: Sed quum eſſet longus & ſenex, incurvareturque, tiliaceis tabulis in pectore poſitis faſciabatur, ut rectus incederet*, circa fin.

CAPUT XI.

De Armon, Platano, Caſtaneâ.

1. EX duobus S. Scripturæ locis, neque enim alibi occurrit, apparet hanc arborem eſſe proceram, ramoſam, pulcherrimam, ac præſtantiſſimis in horto DEI parem: aptam baculis paſtoritiis, decorticatis, & variegatis: jungique Gen. 30. v. 37. τῷ *Libne & Luz*, id eſt Populo,

ulo, de quâ modò, & Amygdalo, de quâ de-
ceps: Ezech. 31. v. 8. Cedris *Arazim*, & abie-
bus *Beroſchim* LXX. priore loco poſuerunt πλά-
νον: poſterius ἐλάτας, id eſt, *abietes*: nam pro
roſchim habent, πίτυες, *pinus vel Piceæ*: Vul-
atus utrobique, *Platanus*: Lutherus, Caſtaneen-
ium / ſecutus Pagninum, Tremellius modò
atanum vertit, modò *Caſtaneam*. Thargum
דולב *Dulb*, quo vocabule Chaldæis & Arabi-
is notari dicitur *Platanus*, ut eſt apud Schind-
rum & Hottinger. Sed Rhaſis de Simplic. in-
r nuciferas refert: *Dulb*, inquit, *folia & nuces*
igida ſunt & ſicca: quæ trita & aceto mixta,
coque igni aduſto, Emplaſtri modo, impoſita,
medium afferunt: Sed & cortex, cum aceto
ctus, dentium dolori confert, ſi os eo colluatur.
adem *de Platano* habet Dioſcorides lib. 1. cap.
1. quæ non nuces fert, ſe *pilulas*, ſive globu-
s ſcabros, hirſutos, & ſemine lanuginoſo ple-
os, qui in Aſiâ ad nucis juglandis magnitu-
nem accedunt. Quare Rhaſis Interpres pro
ucibus ponere debuit pilulas, σφαίρια, ut
ioſcorid.

2. Quæ cum conſidero, non dubito, *Armon*
otiùs eſſe *platanum*: Sed quod ea arbor ſit pe-
grina, nec Germanicum nomen habeat, Lu-
erus *Caſtaneam* neceſſitate coactus poſuit,
cutus tamen ſuos autores. Videbimus u-
amque.

PLATANUS à latitudine foliorum dicta, vel
uod ipſa arbor patula ſit & ampla. Nam πλά-
τος Græci latum vocant. Expreſſit hujus arbo-
ris

ris Scriptura & nomen & formam, dicens: *Quaſi platanus dilatata ſum in plateis.* Eſt autem tenerrimis foliis ac mollibus, & vitium ſimilis, *ita Iſidorus Orig. l. 17. cap. 7.* Locus citatus legitur Sirac. 24. v. 19. *Quaſi Platanus exaltata ſum, ubi aqua*, Vulgatus addidit: *in plateis.* Ubi & altitudo, & ſitus. In Syria non ignotam fuiſſe indicat Siracides & gaudere aquoſis etiam Poëtæ; ut Ovidius:

Quàm platanus rivo gaudet, quàm populus unda,
Et quàm limoſa canna paluſtris humo.

Quod addit Vulgatus; *in Plateis*, non caret ratione. Nam & in hortis, & in ædium ambulacris, & in plateis ſtabant plantatæ Platani, propter gratiam umbraculi. Sic Martialis de Cordubenſi l. 9. Epigram. 62.

Ædibus in mediis, totos amplexa Penates,
Stat platanus, denſis Cæſariana comis.

Apud Virgil. in Culice *pronâ ſurgebant valle patentes.*

Aërea platanus, & apud Plinium lib. 12. cap. 1 *Athenis in ambulatione Academiæ;* quin & *Dionyſius prior, Siciliæ Tyrannus, Regium tranſtulit domus ſuæ miraculum*, aut umbraculum, *ubi poſteà Gymnaſium factum.* Clara quoque *in Lyciâ gelidi fortis ſociâ amœnitate, itineri appoſita, Domicilii modo cava, Lxx. atque unius pedum ſpecu ſaxea intùs cretudinis corona, muſcoſos complexa pu*mice



PLATANUS.

mices: Lucinius Mautianus ter Conſul, epulatum ſe intra eam cum duodeviceſimo comite prodidit. Sic apud Juvenalem *Frondenis platani*, ubi recitabant ſua carmina Poëtæ. Ita enim ſolebant recitantibus ædes ſuas commodare, nec id gratis; in quem uſum palæſtras, theatra domeſtica, & Scholas habebant. Actor. Apoſt. cap. 19. v. 9. Tacit. de Orator. Theophraſt. in Charact. περὶ ἀρεσκείας, Eunapius in Juliano, Syneſius ad Phylæmen. Epiſt. 101. &c.

3. Hinc *Platanus ad tributarium ſolum pertinens, ut gentes & pro umbra penderent vectigal,* ut habet Plinius l. cit. Quâ cauſa videtur etiam nomen accepiſſe *Arabicum*, ערמון *Armon.* Nam etſi à *Chaldaico* ערמא *Arma* poſſit appellata videri, quo *loca invia*, in quibus ingenio ſuo naſci amat, dicuntur; aut ab Hebræo Arma, undè *Arema acervus*, concinnè diſpoſitus &c. Tamen Arabicum *Gharam contribuit*, ut dicta fuerit quaſi ערים *gharim tributaria* arbor, aptiſſimum eſt. Nam cùm *alia arboris ejus commendatio non eſſet major, quàm quod ſolem æſtate arceret, hieme admitteret*, amiſſis puta foliis; *umbræ ſolius gratia, ex alieno petita orbe fuit. Invecta primum per mare Jonium in Diomedis Inſulam, inde in Siciliam, & Italiam*, ut refert Plinius; Qui *in Veliterno rure* fuiſſe ait *tabulatis conſtructam*, in formam *triclinii, convivarum ac miniſterii capacis*, Quomodo apud nos paſſim viſuntur tiliæ. Hinc vectigal aut Reipubl. aut privatis locatoribus pen-

 ſum,

ſum. Morem ex Oriente in Italiam transgreſſum, non puto eſſe dubitandum. Neque aliâ de causâ *Genio Sacra* fuit, quam quod - *miniſtraret gratam potantibus umbram*, Virgil. 4. Georg. v. 146. ubi multæ lacertæ: Sed & *libidinantibus*: Unde Petronio *Platanon*, ſive Platanetum, ubi

Nobilis æſtivas platanus diffuderat umbras,

Dignus amore locus. Quare *Platanum Genialem*, dixit Ovidius 10. Metam. Fab. 3. *De Genio* vide Natal. Comit. l. 4. Mytholog. cap. 3. Atque hæc forte cauſa fuit, cur *per Platanum jurare* ſolitus fuerit Socrates ideò poſtulatus impietatis: quod irriſione feciſſe crederetur, ut qui per *canem*, *anſerem*, *Capparim*, & *Monachi qui per ſuas botas*, de quibus dixi in S. Analect. Volum. 1. pag. 20. &c. Nam per Genium alicujus familiare fuit jusjurandum.

4. *Adjuncta & proprietates* indicant epitheta: Dicitur enim 1. *alta* Ovid.

Nobilior pomis, Platano conſpectior alta.

Et apud Martial. l. cit. - *ramis ſidera celſa petit*. 2. *Denſa*, opaca, umbroſa: *nemoroſo vertice & ſe vaſtis protegens ramis, arborum inſtar, agros longis obtinens umbris*, Plin. l. c. Hinc ab Homero καλὴ *pulchra*, à Nicandro θερειλεχὴς, quod & umbrâ & foliis *æſtivum præbeat lectum*, à Moſcho βαθύφυλλος, *profunda*, lata, denſa habens *folia*, dicitur. Verſus Idyll. 5. ſuaviſſimi ſunt, in hunc ſenſum:

Heu

Heu malè piſcator vivit, cui cymbula tectum.
Et labor in pelago eſt, & piſcis præda fugaces!
Me dulces, Platano ſub opaca, carpere ſomnos,
Atque audire juvat vicini murmura fontis.
Qui blando oblectat ſtrepitu, neque terret agre-
ſtem.

Talem deſcribit Platanum Apulejus 1. Metamorph. *haud ita longè radices platani, lenis fluvius, in ſpeciem placidæ paludis, ibat ignavus argento vel vitro æmulus in colorem.* Aquas enim appetit, & ad eas radicibus ſuis latiſſimè evagatur: ut *in Lyceo Athenis novella*, juxta aquæductum, radices trium & triginta cubitorum egiſſe, vel ut Plinius, *in dodrantes ferè centum progreſſa eſſe*, fertur, Varro ex Theophraſto l. 1. de Re Ruſt. cap. 37. Sic Vatiæ *Platanona* depingit Seneca, quem *medius rivus Euripi modo dividebat*, Epiſt. 56. & in *Pompeia Porticu* ſtabat juxta aquas
- *creber platanis pariter ſurgentibus ordo*, Propert. l. 2. Eleg. 32. Ejus platanonis meminit Martialis l. 3. Epigramm. 19. ac refert, *fictis ferarum ſimulachris fuiſſe exornatum lucum*; quas inter *Urſa*, cujus rictui cùm puer inſeruiſſet manum, à viperâ latente morſus, perierit. Dicitur etiam 3. *ſterilis*, *vidua*, *cælebs*: non tàm quod fructu careat, fert enim, ut dixi, pilulas lanuginoſas, ſed nullus ferè uſus: Sed quod vites arbuſtivæ Platani conjugium aſpernentur, ne luxuriâ foliorum & umbrâ craſsâ enecentur. Hinc de Villâ Fauſtini Martialis 3. Epigr. 57.

Non otioſis ordinata myrtetis,
Viduâq; platano, conſiliq; buxeto.

Et Horatius - *Platanuſque cælebs Evincet ulmos*, 2. od. 15. Unde apparet, qui de Ambroſii allegoriâ ſtatuendum ſit, quando ait; in *Virgis Jacobi* Gen. 20. v. 37. *beatiſſimæ Trinitatis præfigurata eſſe myſteria. Nam per ſtyracem ſignificatur incenſum & Sacrificium veſpertinum, quod DEO Patri defertur. Pſalm. 141. 2. per virgam nucinam ſacerdotale munus Chriſto defertur: hæc enim Virga Aaron, quæ repoſita floruit, qua ſacerdotalis gratia Sanctificationis eminuit: Per Platanum ſpiritualis fructus ſignificatur ubertas: quia arbori huic vitis annectitur, ut ejus læta conſortio, in partus ſeſe uberes effundat. Siquidem Dominicæ munera paſſionis, remiſſionemque omnium peccatorum, adjuncta Spiritus gratia dare conſuevit*, lib. 2. de Jacob cap. 4. Quæ tamen aliâ ratione pulcherrimè conſtant, Nam *omnium ferè inſitione capaciſſima eſt* Platanus, ut ex Plinio docet Porta & aliis. Sic-*ſteriles platani malos geſsêre valentes*, Virgil. & juxta Palladium, *Ceraſus* Platanum

Compellit gemmis pingere membra ſuis,

Sic ergò Chriſti inſiti per gratiam Spiritus Sancti omnigenos juſtitiæ fructus adferimus. Adhæc 4. perdifolia quidem eſt: *Cretæ tamen ad Gortyniam dicitur platanus eſſe, quæ folia hieme non amittat: Itemque in Cypro, ut Theophraſtus ait, una* Varro l. c. cap. 7. & Plinius l. c. *Eſt Gortynæ in Inſulâ Cretâ juxta fontem Platanus una, inſignis*

utriusque linguæ monumentis, nunquam folia dimittens. Inde Græciæ fabuloſitas, Jovem ſub eâ cum Europâ concubuiſſe. 5. *Magnitudinem & amplitudinem* ex dictis colligere eſt: quod ſpecus integras radicibus amplectatur, multorum hoſpitum capaces: *Longævitatem:* quod Delphicam Platanum, & alteram in Arcadiâ, Agamemnonis manu ſatas autores ſint quidam Plinio lib. 16. cap. 44. qui poſt Agamemnonem vixit annis minimùm CƆ. CC. LX. Hinc allegoricè apud Ezechielem 31. verſ. 8. *per Cedros, abietes & platanos:* Gregorius M. Moral. 37. cap. 18. vel 24. accipit, *illa Virtutum cœleſtium proceræ celſitudinis agmina*, quibus dono Creatoris præcelluerit Angelus ille Apoſtata, Diabolus factus.

5. Atque ex his, aliisque adhuc dicendis, multa jam inventu facilia ſunt *hieroglyphica & emblemata.* Denotare poſſit 1. *Spiritus S. gratiam*, autore Ambroſio: quæ extra Chriſtum q. ſterilis, malos tamen, ficus, ceraſos, fructiferas ſuſtentat & facit, ejus inſitione, ſucci vitalis factas participes, Johann. 15. v. 5. 6. Tùm & umbram in æſtu præbet gratiſſimam ad ſe confugientibus; præfigurata ideò per columnam nubis in deſerto Exod. 13. v. 21. Sap. 18. v. 3. Pſalm. 121. v. 5. 6. Sub hæc epulari, cubare, dormire ſuaviſſimum, tutiſſimum, Pſalm. 36. v. 8. 10. & 4. v. 6. Cantic. 2. v. 3. &c. Neque deficit locus, capax omnium electorum, & ipſe Chriſtus pandit brachia, ut recipiat, Matth. 11. v. 28. itaque *lætiores* in hac cubant, *quam marmorum nitore,*

M 3 *pictu,*

picturæ varietate, *laquearium auro*, Plin. 12. cap. 1. ſpernuntque ſuperba mundi palatia, & ipſum cum *aureâ ſuâ platano* Perſarum Regem, Pſalm. 84. v. 11. Hic *nidus* eſt fidelium, ibid. verſ. 4. ut Cajus Cæſar platanum veliterniam appellavit, Plin. l. c. *De aureâ vite & Platano*, qualem Pythius Bithynus Dario donavit, ſub quâ Perſarum Reges ſedere, cubare, jus dicere, ſolebant, cùm, ut ait Xenophon, *nec cicadæ uni umbram præbere poſſet*, multa Briſſonius de Regno Perſar. l. 1. p. 51. (Quæ ipſa Opum vanitatem oſtendit, - *hic fruſtrà quæritur umbra!* Jacob. 1. v. 10. 11.) Adde quod *noctuas* fugat & *veſpertiliones*, Cacodæmonas, omnemque eorum exercitum & apparatum, ut Eſa. 2. v. 18. 20. Zach. 13. v. 1. 2. ut patefacto Chriſto per gratiam Sp. Sancti, toto orbe apparuit terrarum

Mortua cùm mutæ ſiluêre oracula Cumæ,
Nec reſponſa dedit Libycis in Styribus Ammon!

Meritò igitur colenda nobilis arbor; inprimis Principibus: faciendumque quod feciſſe *Dionyſium* Regem diximus, ut ad domus ſuæ regiæ umbraculum transvehatur: & quod *Xerxen* jam alibi; qui cùm per Lydiam iter faceret cum exercitu, ita deperire cœpit Platanum, ut totâ die poſitis caſtris moraretur: diſcedensque aureis monilibus, armillisque ſuſpenſis donavit, reliquitque unum ex ſuis Immortalibus quaſi amaſiæ ac pellici ſuæ φύλακα, μελεδωνὸν id eſt, *tutorem, curatoremque*, ut ex Herodoti 7. Ælianus lib. 2.

Variar.

Variar. cap. 14. (Quæ ipſa Platanus ſic ditata elegans præbet emblemata - *In Sacro quid facit aurum!* Qui utilitatis platano ex monilibus; aquâ potiùs opus habet, ut ſcitè & ad rem planè Ælianus l. cit. Similis itaque Eccleſia Romana, opibus onerata, egens aquæ cœleſtis.) Nos affuſo ſpiritualis lætitiæ ac gratiarum *Vino* exhileremus. *Tantum enim honoris platanus meruit, ut infuſo vino enutriretur, compertumque maximè prodeſſe radicibus, didicêreque etiam arbores potare vina*, Plin. l. cit. *Hortenſius platanos ſuas vino irrigare conſuevit*, Macrobius 3. Saturn. cap. 13. Denique *vectigal* pendere ne gravemur, *cenſum noſtræ Subjectionis*, præfiguratum in ore piſcis, Matth. 16. v. 27. & quicquid ad Miniſterii ſuſtentationem debetur, Galat. 6. v. 6. &c. Pinge Platanum, quæ obumbret ſpecum, inque eâ aliquot commeſſantes, propè rivum. - *Nihil hac jucundius umbra eſt.* Platani effigiem apud Matthiolum & Dodonæum reperies: ramum ſed ut apparet graphicè pictum, apud Caſtorem Durantium: habet etiam Tragus & vocat, den ſchönen Ahorn/ oder Waldeſchern Baum: Verùm ab *acere* plurimum differt inprimis materiâ, de quâ Porta Neapolit. & Dodonæus.

6. Ex iis quæ modò attulimus, facile quoque apparebit, quomodo Platanus 2. Symbolum eſſe queat *Angelorum*, juxta Gregor. M. ſed venuſtius & juxta literalem ſenſum Ezechielis loc. cit. cap. 31. 3. *Magiſtratuum* in terris. Themiſtocles notum eſt Apophthegma: *Platanis ſe ſimilem eſſe, ad quas*

tempeſtate deprehenſi confugiant, ſed ſuccedente ſerenitate eas prætereuntes vellicant & carpunt. - Honoretur, cujus nos umbra tuetur! Thren. Jerem. 4. verſ. 20. Aptum Thema ad concionem funebrem, & pro Evangelio Matth. 22. verſ. 21. Pinge cœlum hinc ſerenum, illinc pluvium: ſtat Platanus in medio; alius hinc umbraculo ſuccedat; alius illinc diſcedens ramulum decerptum pedibus conculcet. Ingenium arboris & effecta conveniunt, de quibus Durant. in Herbario:

Flumina amat Platanus, fonteſque: meroque rigata
Gaudet & humorem naturâ & frigora ducit.
Cortex & pilulæ exſiccant, & ſordida ſanant
Ulcera, tùm ſcabiem folium lepramque repellit.

Ita enim ultimum verſum corrigo ex Galeno, confer Matthiolum. *Vinum* denotare poteſt, quicquid bono Magiſtratui omni jure debetur. Rom. 13. v. 17. Sic Platani quoque, ut Martial. lib. 9. Epigr. 62.

Creſcit ab affuſo lætior umbra mero.


Quod & in picturâ emblematis facilè addi poterit. Pergo 4. *Ciconiæ nidus in Platanos*, quam fugiant ſivè *noctuæ*, ſivè *veſpertiliones*, elegans hieroglyphicum Eccleſiæ in Republ. Chriſtianâ erit. - *Hæc umbra tuetur & arcet!* Ciconia *pietatis cultrix* eſt, & *pia avis* eſt ideò dicta. Hæc ſi nidum invenerit ſub umbrâ pii Magiſtratus, non eſt quod timeat hoſtes lucifugas, & occultè per

noctem

p. 184.



Honoretur, cujus nos umbra tuetur.



noctem inſidiantes, hæreticos, falſos fratres, Tyrannos. Emblema habes, ſed in alium ſenſum, apud Sambucum & Pierium Valerian. Solent autem noctuæ, avium nidis inſidiari, ovaque exſugere, ut Cornicum, apud Ælianum hiſt. Anim. 14. cap. 36. interpr. Gillio: ſed eodem interprete cap. 3. Veſpertiliones quoque, ſolo contactu, ova Ciconiarum ſterilia facere perhibentur. Arcent Ciconiæ foliis platani, in nidos ſuos illatis: Sicut hirundines apii foliis blattas, contra ovorum perniciem. *Noctuarum contra aves ſolers dimicatio, reſupinæ & in arcum collectæ roſtro & unguibus ſe tegunt & repugnant: auxiliatur Accipiter, collegio quodam naturæ, bellumque partitur*, Plinius 10. cap. 17. Sic Tyranni ferè ſocietatem cum Sophiſtis, Pſeudoprophetis, colunt, qui vi & fraudulento ore ſe defendunt, *Similis ſimili gaudet!* Sin 5. ad ſtatum Oeconomicum referre malueris: imitentur Ciconias *pii parentes*, platani folia nidis imponentes, de quo Geneſ. 30. ut ſuprà cap. 4. num. 14. - *Sic nidos & ova tuemur.* Hæreſes *apud eos multùm valent, qui in fide non valent: nihil valentes, ſi in benevalentem fidem incurrant*, Tertullian. de Præſcript. adv. Hæret. cap. 2. Pinge nidum Ciconiæ in turri, è quo undique folia platani dependeant, pampinis ſimilia: noctuæ diffugiant. 6. Platanus, quia præter umbram nullam ferè adfert utilitatem, vanorum & caducorum hujus mundi bonorum imago eſt: quò pertinet Emblema Camerarii. *Umbra tantùm!*

Umbram non fructum platanus dat: ſic quoque multis
Vanâ alios ſpecie ludere ſæpê placet.

Divitiæ ſanè ſteriles & cælibes Platani ſunt, nec facilè cum Vite Chriſto maritantur, Sirac. 31. verſ. 8. 9. Matth. 19. v. 24. Umbram præbent ſed neque ſecuram, neque perpetuam. Nam in hieme folia amittunt, & ubi vis Cœli major ingruit, ſternuntur. Laudabiles tùm maximè, cùm oleo ſuo lucent. *Inopia cogit aliquando luminum causâ oleum fieri è platani baccis, aquâ & ſole maceratis*, Porta Neapolit. lib. 2. cap. 34. Hinc illa Apoſtoli admonitio ad divites, ne ſuperbiâ tollantur in altum, ut ſpem ponant in opibus ſuis, curent potiùs fructuoſi fiant per inſitionem Chriſti, 1. Tim. 6. v. 17. 18. -*ſtultum confidere vanis!*

Eòdem ſpectat, quod *Antandri platanus vento dejecta, ramis amputatis, & lateribus circumdolata, quaſi levata onere noctu reſurrexit, & reſtibilis ſponte facta, vitæque reddita eſt, longitudine quindecim cubitorum, craſſitudine quatuor ulnarum*, Plinius 16. cap. 32. ex Theophraſto. Ita ſæpè fit, ut quos unus opum, honorumque depreſſit, amiſſio felix ab occaſu erigat, vitæque reddat. - *Adverſa levant, premunt ſecunda!* - *plena cadunt, ſed cæſa reſurgunt.* Docet experientia; omnium Imperiorum Rerumque Publicarum *ruinæ cauſa* fuit *nimia felicitas: magnitudine ſuâ cum laborant*, ægrè præſtant: levata onere, per inopiam reſurgunt. *Tantum Virtutis paupertas*



p. 18



CASTANEA.

ertas adverſis inſolentes divitias habet ! Juſtinus iſtor. 20. cap. 5. Adde 8. quod Platanus - *oculis adem nocet atque medetur.* Pulvis enim pilularum oliorumque lanugo inſidens, oculus aureſque ffendit, ſi incidat, - *vocemque exaſperat :* ſed enerrima folio in vino decocta, & illita, oculorum fluxiones ſiſtunt, tumores & inflammaiones levant: & *pilulæ virides ſunt morſibus anuium Auxilio in vino potæ*, Dioſcorid. & Durant. &c. Opes excœcant videntes : ſi rectè ut crem cœcis viſum reſtituunt. Eædem abuſu fiunt enena, recto uſu prudentibus curas mordaces k ſerpentinum virus abigunt. Sed de Platano atis & fortaſsè nimis multa. Videamus jam uoque.

7. CASTANEAM. Nota. 1. in Germaniâ inrimis transrhenanâ, quâ Galliam reſpicit, aror eſt: ubi integræ Sylvæ caſtaneta ; & hæc alera quaſi meſſis eſt: Indè apud Athenæum nuces æ ἄμωλα dictæ, lib. 2. ab ἀμᾶν *metendo*, unde & μητος *meſſis* Quin &

Ex his fit panis, Tritici ſi copia deſit.

Qui multùm nutrit, ut ait Durantius, de quo tanen videndi ſunt Matthiolus & Dodonæus. Meninit Plinius : *Moluntur etiam, & præſtant jejuio fœminarum quandam imaginem panis*, lib. 15. ap. 23. *Nomen* 2. proprium non habet ; geneali κάρυα *nuces* & βάλανοι *glandes* appellantur ructus. Utrum magis conveniat? certant. Adluntur tamen, diſcriminis causâ, epitheta à lois ubi frequens proventus. Hinc *Caſtaneæ nuces*

à Caſta-

à Caſtano Magneſiæ, vel, ut alii, Apuliæ oppido, non procul Tarento. *Patria enim laudatiſſima Tarentum, & in Campaniâ Neapolis*, Plin. inde *Tarentinæ*. Nam qui *à Caſtitate* dici volunt, ut notat Mylius, eò quod Plinius jejuniis dicatas referat; fallentur, eò quod flatulentiâ Venerem excitent.

Nam caput offendunt, ſiccant, Venerique vigorem præſtant, ut Durantius habet. *Cur in jejunio fœminarum panis inde confici ſoleret?* alia ratio eſt, fortè impuriſſimis Gentium myſteriis congruentior. Innuit ferè Iſidorus, etſi ridiculâ etymologiâ: *Græci*, inquit, *κάςανον vocant, propterea quod fructus ejus gemini* (ſæpè etiam trini partus ex uno Calyce, Plin.) *in modum teſticulorum intra folliculum, reconditi ſunt, qui dùm ejiciuntur, quaſi caſtrantur. Hæc arbor ſemel ut exciſa fuerit, tanquàm ſilva expullulare conſuevit*, lib. 17 Origin. Atquæ hæc fortè ratio, cur Διὸς βάλανοι dicerentur ab aliquibus, teſte Dioſcoride. Sive quod *Jovi* eſſent *Sacræ* Genitori, *hominumque Deumque*; ſive propter præſtantiam, de quâ Mneſitheus de eduliis apud Athenæum l. cit. More Hebræorum, qui *Arbores DEI* celſitudine & dignitate præſtantes appellant. Ita & *Sardianæ nuces*, quia Sardibus eæ provenêre primùm, ut vult Plinius & *Euboicæ*, apud Athenæum; & *Heracleoticæ*, apud Macrobrium l. 3. cap. 18. dicuntur. Mitto alia. Denique λέπιμοι ſcil. βάλανοι vocantur ἀπὸ τȢ λέπȢς quo teguntur, de quo mox. 3. *Genera* diverſa ſunt, duo tamen ſumma quaſi; *Vulga*

ri

r, & quam *Equinam* vocant, quod anheloſis & ſſientibus equis auxilietur: folio Pentaphylli it ricini inſtar multifido: quam in Oriente iſci ajunt. Quæ fortè cauſa fuit, cur pro *Ar-on* quidam poſuerunt Caſtaneam? Sed 4. *an in ria nota ac indigena arbor fuerit*, dicere non ibeo. Ratio dubitandi, quod ne apud Ara-s quidem nomen vernaculum invenerit. *Ca-l* vocat Serapion, ex Græco, & ſimilia ſunt iæ apud Matthiolum, ubi vide. Deindè *Se-entrionalium locorum incola* dicitur, ut docet Por-pluribus. Apulia, quia calida regio, Caſta-tis caret, ibid. & alia. Denique neſcio an le-erim Syriacas? *Platanos celſiſſimas circa An-ochiam* legi; & *populos albas ac nigras circa amaſcum*; *Eſculum* πλατύφυλλον, edulesque andes, ſapore caſtaneæ, craſſitie ovi colum-ni, *in Trachonitide*; & pluribus locis *Balani yrepſicæ* arbores, *betulæ* magnitudine, ramis-ie ſimilibus, ſiliquis trigonis intra quas ſe-en, è quo oleum conficitur, apud Bellonium bſervat. lib. 2. De hac, ejusque fructu: *glande guentariâ*, & oleo Dioſcoridis, & expreſſit aginem quandam Matthiolus, ſed incertam 4. cap. 154. Eſt autem *Betula*, cui hanc tàm ſi-ilem ait Bellonius, ut procul adſpicientibus on alia appareat, vulgata, Birkenbaum dicta. Quæ omnia confirmant, *Armon Platanum* eſſe, on Caſtaneam.

8. Poterit tamen Caſtanea quoque nux non-ulla præbere elegantia *emblemata*. 1. Circumdat

cam

cam *armatum echinato calyce vallum : mirumque viliſſima eſſe, quæ tanta occultaverit cura natura* ait Plinius. Quid vilius illâ voluptate, quam ut ex Iſidoro dixi ſignificare poteſt Caſtanea, hirſuto ſpinoſoque tecta echino? Petrus Gravina ictus Caſtaneæ echini aculeo, in ſurâ tibiæ, cùm ſub umbrâ meridiaretur, dum vulnuſculum temerè ſcalperet, lethali febriculâ accerſitâ, obiit, ut ex Jovio refert Mylius. Quàm multos ita pupugit Venus ut perirent, ante fructum, quem appetiverant? Prov. 7. v. 20. Ut apte apponas quod habet Böethius: *Habet omnis hoc voluptas!* ſcilicet, *ſtimulis agit fruentes*, aut *furentes*. Sic Claudianus:

Armat ſpina roſas, mella tegunt apes,

Ut miranda jam non ſit Naturæ provida cura, ſed deploranda hominum ſalutis ſuæ incuria. *Qui cupit nucleum, caveat aculeum.*

2. Qui Caſtaneas torrere volunt ſub calidis cineribus, vulnerant priùs, ut Spiritus latens, igne citatus, per plagæ hiatum evadat: alioqui magno cum crepitu flammis proſiliunt, aſſidentium periculo, Porta lib. 5. extremo.

Caſtanea è mediis velut exilit integra prunis.
Et flammas, nullo vulnere læſa, fugit;
Sic quoque Virginitas nullo perit igne pudica,
Illibata manet quando pudicitia.

Sine Vulnere victrix! itaque animum corrumpunt priùs, qui corpus violare cupiunt. Sic bona conſcientia de ſe - *læſa cremor, non læſa triumpho!*

Cogita

ogita, ſocios Danielis in fornace Babylonia, usque contra calefactores, & promiſſum, Eſai. 3. v. 3.

Non cremat integros vitæ, ſed vulnere læſos;
Caſtaneas veluti noxia flamma *nuces.*

3. De Simia quæ caſtaneas ſub prunis toſtas, pro ɔrcipe uſa felis pedibus extraxit, habes lepidam arratiunculam in Acerra Philolog. mea. Hoc ſt cibum è flamma rapere, & quidem alterius ım periculo. 4. De inſitione Palladius:

Flumineam ſalicem fœcundant ardua membra.
Caſtaneas, & multo paſta Liquore vigent.

alix *frugiperda* cælibes denotat, nec DEO ſæpè ec hominibus fructuoſos, - ἐτώσιον ἄχθος ἀρέ-ης. Qui ſi caſtæ uxori conjungerentur, fœcundi edderentur cœlo pariter & terris. Contra *impuum cælibatum.* Sed alia vocant.

CAPUT XII.

De Arabim, Salicibus.

Q*Uinquies* reperitur hoc vocabulum, & de Salicibus ferè conſtanter exponitur. Ea itaque loca videbimus, & quæ ad rem viebuntur facere, ex natura Salicis adferemus.

Primus locus eſt Eſai. 44. v. 4. 5. cujus analyſin : explicationem dedi ſupra cap. 4. num. 7. Proittit Deus Eccleſiæ N. Teſtam. quod eam effuſo piritu Sancto miro modo ſit fœcundaturus, ut

creſcat

creſcat fidelium numerus, quomodo *Arabim* ac rivulos aquarum. Sunt ergò Salices imago fidelium. Pulcherrima ſanè, adeò omnia ferè conveniunt 1. *Nomen:* Unde *Arabim* dicantur non usque quaque planum eſt. Radix *Arab* varias habet ſignificationes. Proprie tamen & primò ſignificat *miſcuit*, *aptè & jucundè temperavit*, &c. undè *Ereb* veſpera, ubi lux & tenebræ miſcentur; & *Arabes*, *Erembi*, per epentheſin mixtura Populorum; & *Erebus* Poëtarum, ubi omnia confuſa, per nigram noctem, & *Oreb* Chald. corvus niger. Hinc quia temperata grata, *jucundus*, *amœnus fuit*; & inde *Arabah* campus, planicies, amœnus locus. Denique, ut transeam, quæ huc non pertinent, quia mercatura res miſcet & permutat, & peregrinando fit: indè quoque *Arab negotiationem*, *oppignerationem*, undè & arrhabo, & *peregrinationem* ſignificat, ac demùm *alacrem progreſſum*, *itumque*; Nam

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Atq; hinc tandem Salices Arabim, non tàm quod amœna aut Campeſtres ſint arbores, quàm quod *alacriter & celeriter eant* in creſcendo. Quare jucunda Linguarum harmonia obſervatu digna eſt. Ita enim Græcis quoque Salix ἰτέα παρὰ τὸ ἰέναι, *ab eundo*, quia celeriter creſcit & cum alacri q. impetu, Etymolog. & Salicem Verrus dictam putat, *quo ea celeritate creſcat*, *ut ſalire videatur*. Quod temerè ridet Feſtus ridendus ipſe. Quin & Belgæ **willigen** vocant, q. d. alacrem, & ſponte ſu-

uâ promtam. Fuitque Mercator, qui Principi
x Dominæ ſuæ, in Belgio, amorem ſuum tectè
ignificaturus, in parietibus ædis ſuæ, quò ſæpe
entitabat pecunias mutuas acceptura, Salicem
inxit, inter duo majuscula D. id ſonabat: Dein
dilliger-Diener: *Servus tuus alacer, & promtus!* ex Guillimanno ſi ritè recordor: nam nunc
ion eſt ad manum. Denotat ergò Salix celerita-
em & promptitudinem fidelium in creſcendo
d amœnitatem Deo gratam, de utrâque Pſ. 110.
. 3. Tales ſunt Spiritu illo נדיבות *Nediba* exci-
ati & fulti, *voluntario* & ſpontaneo, alacri ſervi-
ndum Deo. Pſ. 51. v. 14.

2. Neque obſtat, quod Salix noſtras & *perdi-
olia* eſt, & *frugiperda*: Salicum DEI aliud in-
enium eſt: nam neque folia ammittit, virorem-
ue fidei. ut pleræque arbores in Syriâ, quæ ali-
i per hiemem nudantur; & fructus fert cum
ativos q. tum inſitivos. Pſalm. 1. v. 3. & 92. v.
3. 14. Quo pulcherrimè ſpectat quod habet
linius: *unam reperiri ſalicem, in Cretâ Inſulâ, ipſo
eſcenſu ſpeluncæ Jovis, quæ ſemen ad maturitatem
erferat, torvum ligneumque magnitudine ciceris,*
6. cap. 26. & *malus* inſita, pomiferam facit, at-
ue, ut Palladius,

Stipitibus gaudet nomen mutare ſalignis,
Et gratum Nymphis ſpargere flore nemus.

a Spiritus Sancti effuſio, & naturam ſanat, a-
tamque facit iis operibus, quæ ejus ex viribus
roficiſcuntur, Exod. 31. v. 3. 4. & gratiam ſuper-
ddit ad ea, quæ Sphæram naturæ tranſcendunt,
t 1. Cor. 12. v. 3. &c. Jam ſi 2. *Ortum* ſpectes; ut

N ſalix

ſalix non ex ſemine naſcitur, quod facile amittit, *abitque fructus in araneam*, Plin. 24. cap. 9. *ſed in hoc quoque providens natura, facile naſcenti ex depacto ſurculo, incurioſius ſemen dedit*, Idem 16. cap. 26, Ita *fiunt Chriſtiani, non naſcuntur*, Tertulliani veriſſimâ ſententiâ, & Johann. I. v. 13. Si 3. *Locum*; gaudent *fluminibus ſalices*, ut Virgil. & omnia loca Scripturæ, ubi earum mentio: gaudent etiam fideles; ut Pſalm. 1. v. 3. Neque alibi fœcunditas & perennis viror, aut aliundè, quàm ex Verbo DEI, & aquâ Spiritus, Johann. 4. v. 14. Sine hoc, quid nos noſtraque omnia, niſi tela *araneæ*? Job. 8. v. 14. Sin & 4. *Genera*: Salix alia major etſi *Perticalis* dicta, alia minor, *Viminalis*: illa perticas emittit proceras jugandis pedandisque vineis; noſtri vocant Trudeln und Pfähl / Latini *adminicula*, vide Atrium meum Latin. num. 533. Hæc vero *vincula* dat; & ut colore, magnitudine, foliis, fructu; Sic officio & uſu differt: ex eâ Virgæ ſunt ſequacis ad vincturas lentitiæ: aut, & ſi firmiores ſunt Virgæ, corbes, Cathedræ, ciſtellæ, ac plurima agricolarum ſupellex, fiunt, Plin. 16. cap. 37. Scuta quoque geſtatu leviſſima, & uſui aptiſſima, quia ferrum lentiſſima non facilè tranſmittunt, ibid. cap. 40. *Itaque nulla aquaticarum utilior, nec in noviſſimis curanda arbor. Nullius quippe tutior eſt reditus, minoriſque impendii, aut tempeſtatum ſecurior, Itaque Cato in æſtimatione ruris, poſt vineam, ſi vino multo ſiet, & hortum riguum, tertio loco ſalictum poſuit: ſalicesque prætulit oliveto, prato, campo frumentario, ſylvæ cæduæ arbu-*

arbuſtis, *& glandariæ ſylvæ*; quod uberior earum fructus ſit &c. Cato 1. de Re Ruſt. & Plin. l. cit. ubi & de differentiâ, ut & apud Columellam. Quæ qui conſiderat, in uno ſalicto, ab ipſomet Creatore Deo, nobis pulcherrimam *Reip.* Chriſtianæ præcipuè, *imaginem* propoſitam mirabitur. Sunt tibi majores, quorum pedamentis & perticis nititur ac perſtat Vinea Dei; & ut inter ſalices quædam *fructiferæ*, quæ racemos pariunt ſimiles Populi nigræ, ut Bauhinus ad Matthiol. quædam *ſteriles*, æque tamen neceſſariæ & utiles; ita hic alii doctrinâ proſunt, alii regimine; ut quondàm Presbyteri in primitivâ Eccleſiâ duûm generum, 1. Tim. 5. v. 17. ubi vide Ambroſiaſtrum, & quæ in Analectis de officiis Chriſtian. dixi: ſic hodiè *Perticales* ſunt Hierarchia Eccleſiaſtica & Politica. Sed *viminales* & minores ſunt, qui in ſtatu Oeconomico; hinc vaſa domus Dei, & vinculum pacis, & utilitas infinita, quâ togæ tempore, quâ ſagi. Cogita, qui voles; habes argumentum meditatione dignum. Ego ſi omnia perſequar, finem tu ſpectabis cum tædio. Fateberis tamen non potuiſſe pulchriùs pingi à Deo apud Eſaiam Eccleſiam.

3. Adde jam & alias proprietates; 1. Quòd *ferendæ* ſint, *dùm Virgæ ſilent*, id eſt, priusquam germinent; ut tamen *ſiccæ ab arboribus detrahantur: nam reſcidas, ſi recideris parùm proſpere proveniunt*, Columella. Unde pulcherrima præcepta de piâ liberorum educatione. Nam & maturè à tenero ungue ſerendi ſunt hi ſurculi, & danda

 opera,

opera ne à materna domo deliciis roſcidi in Scholas transferantur, de quibus Quintilianus lib. 1. Inſtit. cap. 1. & 2. optimè. Non vacat exſcribere, & verſatur in manibus, aut certe debebat verſari. 2. Quod *putatione vivaciores fiunt & fœcundiores.* Itaque trimæ ſtatim putatione coërcentur, ut ſic ſe in latitudinem fundant, *ac ſine ſcalis tondeantur.* Salix enim *quo humilior*, terræque propior, *eò fœcundior eſt*, Plinius & ex eo Porta. Humilitas mater eſt, cuſtosque virtutum omnium. Qui putatione non coërcentur dùm teneri ſunt, tandem ſæpè *in ſcalis tondentur*, auf der Galgenleyter. Eccleſia perſecutione creſcit, ut Salix putatione, ut vitis. *Succidebantur Eccleſiæ palmites, & fidei fructus majorem dabat proventum.* Nilus hom. 2. de Aſcens. Dom. *Plures efficimur, quoties metimur à vobis*, Tertullian. Apolog. cap. ult. *Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur*, Leo M. Serm. 1. in Nat. SS. Petri & Pauli AA. 3. Quod *lapſa* Salix *reſurrexiſſe* legitur, ut in Philippis, detractâ parte ramorum, quæ in proſtratu fuerat confracta: eam ventus ſtantem dejecit, lapſam alius ex adverſo incumbens, ſeque ramis inſinuans, iterum erexit, ut Theophraſtus refert lib. 5. de Cauſſ. Plantar. cap. 4. *ſæpè premente Deo, fert Deus alter opem.* Superbos ſternit, humiles exaltat, 1. Sam. 2. v. 6. - *Hinc cadit, indè reſurgit*, Proverb. 24. v. 16. Quò pertinet, 4. Quod non tantùm *cædua ſalici fertilitas, denſior tonſurâ*, Plin. 16. cap. 37. Sed & *exciſa copioſiùs repullulat*, & *ad odorem germinat undæ*, Job. 14. v. 7. & 19. v. 25.

Hæc

Hæc fidelium ſpes eſt! 5. *Lacryma* triplex: unam exſudat arbor ipſa gummi modo: altera manat ex plagâ, cum floret, exciſo cortice trium digitorum magnitudine: tertius ſuccus eſt detruncatione ramorum à falce deſtillans. Uſus multiplex. Vitia cutis emendat in facie, oculos expurgat, &c. Plin. 24. cap. 9. *Folia trita & pota intemperantiam libidinis coërcent, atque in totum auferunt uſum, ſæpius ſumpta*, ibid. Sunt autem amata: undè Virgil. *Florentem Cytiſum, & Salices carpetis amaras.* Nihil ſalubrius eſt lacryma fidelis, ſive ſponte fluat ex corde contrito, ſive à falce putatoriâ deſtillet. Amarum Dei poculum extinguit pravas cupiditates. Sic *Salus* Æſculapii filia credita in *manu geſtabat pateram, & ad pedes jacebat Draco*, in nummis Pergamenorum. vide Occon. Numiſm. & Macrob. 1. Saturn. cap. 20. 1. Petr. 5. v. 2. Crucis Calix toties celebratus S. Literis, purgat mentem, & renovationem promovet. Hæc eſt Serpentina prudentia; Matth. 10. verſ. 16. Epheſ. 4. v. 22. 24.

4. Ex his cæteris quoque Scripturæ locis, *de Salice*, Lux affundi poteſt. Nam cur *Secundo loco* Levit. 23. v. 40. *Salicis quoque frondes geſtare jubentur Iſraëlitæ* per dies ſcenopegiorum? vide quæ dixi ſuprà cap. 2. num. 24. niſi quia Salix *caſtitatis* Symbolum eſt. Itaque Lxx. l. cit. Levit. accipietis *ἰτέας καὶ ἄγνε κλάδες Salicis & agni caſti*, ſivè viticis *ramos, ex torrente. Ipſum nomen ligni, quod Græcè dicitur ἄγνος, indicat caſtitatem. Ajunt Medici, & hi qui de arborum & herbarum*

naturis ſcripſerunt, quod ſi quis florem ſalicis ſivè populi (vel viticis potiùs) *mixtum aqua biberit, omnis in eo frigeſcat calor, & libidinis vena ſiccetur, ultraque filios generare non poſſit*, Hieronymus in Zachar. 14. Poſuerunt LXX. duo vocabula, pro uno, *ſalicem & viticem*, ut de unâ ſpecie ſalicis legem præcipuè loqui indicarent. *Nam non multùm à ſalice vitilium uſu diſtat vitex, foliorum quoque adſpectu, niſi odore gratior eſſet. Græci Lygon vocant, alii agnon, quoniam matronæ Theſmophoriis Athenienſium, caſtitatem cuſtodientes, his foliis cubitus ſibi ſternunt. Genera ejus duo; major, alba, flore albo purpuraſcente; & minor, nigra, flore purpureo. Naſcuntur in paluſtribus campis*, Plinius l. 24. cap. 9. Hinc lex juris Pontificii: *ad Divos caſtè adeunto!* Cicero 2. de Legib. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. Noſtri Saffitmülle vocant, vel Keuſchbaum. *Folia ſuffita aut ſubſtrata arcent venenata, illita ſerpentum morſibus medentur. Virgam ſi quis iter faciens manu geſtet, negatur ſentire intertriginem*, Dioſcorid. 1. cap. 116. (exulcerationem, quam noſtri appellant, einen Wolff / vide Camerarii Herbar.) Quare *Priapo* quoque *falx ſaligna* in manu, quæ monere poteſt, caſtitate circumcidendum eſſe cor, ut apud Pier. Valerian. lib. 52. Neſcio, quàm ἐυςόφως. Nam & meretrices Priapo *ſalignas verpas* dedicabant, quibus nihil minùs curæ, quàm caſtitas. Fortè ſterilitatis voto potiùs, & *ut careat rugarum crimine venter*, indè Salix Homero ὠλεσίκαρπος, *frugiperda; quia ſemen amittit ante maturitatem; & ut ſcelere ſuo ſecuta ætas interpretata eſt,*

quod

quod ſalicis ſemen mulieri ſterilitatis medicamentum eſt, Plinius 16. cap. 26. Sed hæc obſcæna & impia mittamus!

5. *Tertius locus* eſt Pſalm. 137. v. 2. Ad flumina Babylonis *de ſalicibus ſuſpendimus organa noſtra*. Dixi de hoc loco non pœnitenda, Volum. 1. S. Analect. lib. 1. cap. 23. Multa movet contra literalem ſenſum Hilarius h. l. illud inprimis: *Quæ hiſtoria illud locuta ſit, cum omni Muſico apparatu Iſraëlem victoribus ſerviſſe? quæ ſalices in mediâ urbe fronduerint, ut illic, tanquàm in publicâ Muſicorum apothecâ, organa ſuſpenſa penderent?* Verùm reſponſio facilis eſt. Cantores & Levitæ imperio hoſtium coacti ſunt, ſecum ferre ſacra illa organa, ut jam non Deo Patrio ſed hoſtium voluptati ſervirent, ut textus clarè indicat. Neque intra urbem Babylonem; ſed ad Euphratem aliquandiu, & in ſuburbanis campis hoſpitabantur captivi; & hic eſt *fluvius* ille *Salicum*, de quo *Loco Quarto* Eſa. 15. v. 7. de captivitate & prædatione Moabitarum, ubi Hieronymus: *Torrentum ſalicum Babyloniæ accipe flumina*, At cùm & aliæ ibi eſſent arbores, & inprimis *myrti* frequentes, Zach. 1. v. 8. cur de ſalicibus potiùs ſuſpenderunt, quàm de myrtis? Poſſis facilè reſpondere: quia ſalices proceriores, aptiores erant, & credibile eſt ſub iis caſulas & ruſtica mapalia ſtruxiſſe captivos. Hæc erant illorum palatia tùm magnificæ ædes, pro Hieroſolymitanis. Sed *allegoriæ* tamen Patrum non ſunt ſpernendæ. 1. Quia exulum in mundo hoc, *qui ſe in Adam extorres eſſe factos Cœle-*

ſtis Hieroſolymæ, meminerunt, per Continentiæ ſtudium q. in Salicibus ſuſpendi debent (& q. crucifigi) *corpora:* hæc enim noſtra ſunt Muſica organa, ita Hilarius. 2. Quia *Sanctos & fideles hæc arbor ſignificat*; quod idem probat autoritate Eſaiæ, cap. 44. verſ. 4. & Levit. 23. v. 40. ubi tabernacula ex ſalicibus facta; quia *ex conventu Sanctorum cœleſtis Tabernaculi perfecta futura eſt lætitia.* Nam *ut ſalices arefactæ aquis viereſcunt, & reſectæ, in humido radicibus ſeſe ipſæ demergunt*; quomodò aliâs nempè arbores curâ, per demerſionem talearum aut ramorum inſtar arcus curvatorum, propagantur, vide Laurenberg. horticult. lib. 1. cap. 21. &c. *Sic electi DEI naturâ mortui, peccatis aridi, à prioris vitæ radice in Adamo deciſi, eloquio Dei, & Sacramenti Baptiſmi vitalibus aquis reviviſcunt.* Aliter 3. Gregor. M. in cap. 40. Jobi, de quo mòx: *In ſacro eloquio ſalicum nomine aliquandò pro viriditate boni, aliquandò pro ſterilitate reprobi ſignificantur.* Inter iſtas ſalices ſteriles, *Prædicatores ſancti organa ſua non exercent, ſed ſuſpendunt, & lugentes potiùs ſilent*, vide Amos, 5. v. 10. 13. Matth. 7. v. 6. plura dabit Hieronymus Lauretus in Sylvâ Allegor. *de Salice.* Breviter: aliæ ſunt ſaciles populi Dei? aliæ Babylonis. Quare in ſcenopegiis cùm geſtarent Iſraëlitæ ſalicum frondes, cantabant & lætabantur coram Domino: ſed ad flumina Babylonis inter hoſtes inſultantes & ludibrio habentes conticuerunt. Et hinc explicandum eſt ænigma, *de Behemoth cubante ſub ſalicibus torrentis*, Loco *Quinto*, Job. 40. verſ. 17. de quo Gregor.

M. l.


In Pace dormiam.
Umbroſæ ſalices, volucreſque canoræ fecerunt ſomnos.
Virus fugat atque dolorem.
I: à Montalegre ſc:

M. l. cit. de quo mox in hieroglyphicis. Atque hæc ſunt loca illa Scripturæ.

6. Hinc ergò multa hieroglyphica & emblemata: 1. Salictum ad aquas denotat fidelium Eccleſiam, ut dixi numer. 1. & 2. Sic pictus ſub Salicibus dormiens aliquis, inter aves canoras, & ad lene murmur prætereuntis aquæ, dicet cum Davide: *In pace dormiam*, Pſalm. 3. & 4. ut apud Ovid. in Faſtis - *umbroſæ ſalices, volucresque canoræ fecerunt ſomnos*: & Durantius in Herbario de Salice:

Conciliat ſomnum, callos clavosque repellit,

Nusquam ſecurius eſt vivere & mori 2. Myrti inter ſalices ad Babylonis fluenta ſignificant ex Pſalm. 137. & Zachar. 1. v. 8. ſalubre crucis & ſolatii temperamentum. *Dolor & voluptas invicem cedunt*, DEUS,

Et cum blanditur Pater, & cum punit is idem eſt:
Sic homo ne pereat, deficiatve facit, Proſper.

Amara miſcet dulcibus, lætis triſtia. *Nulla eſt ſincera voluptas! - medio de fonte leporum ſurgit amari aliquid, quod myrtis angat in ipſis.* 3. Viatorem pinge, qui geſtet in manu viticis aut Elæagni vel agni caſti ramulum, floribus ſuis ornatum, quem fugiant ſerpentes: adſcribe - *Virus fugat atque dolorem*: Caſtitas nempè & continentia, conſcientiam ſervant illæſam, ne ſentiat intertriginem & arcent Dæmonum hominumque nequam inſidias. 4. Salix ipſa florens per ſe, vel *hæreticum* ſignificat, cujus *verba nitorem eloquentiæ ſine fructu veritatis habent*, Hieronym. in Eſai. 44. vel *Do-*

ſonem aliquem, qui ad promittendum alacris, cùm præſtet nihil: vel quod habet Camerarius in Emblem. - *Neglecta juventus.*


Perdere virtutum fructus cum flore juventæ,
Frugiperda Salix ne vocitêre, cave:

vel *pracox illud ingeniorum genus, quod*, ut ait Quintilianus, *non facilè ad frugem pervenit.* Citò creſcit Salix, ſed & brevis vitæ eſt. Quod citò fit, citò perit: vel *hominem*, qui divitiis ſuis neſcit uti, & quem copia perdit, niſi ſubinde putetur quaſi: Weydenköpff und ſtoltze Bauren / muß man in drey Jahren einmal behauen/ Proverbium apud Mattheſium, & Mylium in Horto Philos. h. l. *Cædua fit melior!* Aliud dabit Alciatus, ſed obſcurum & obſcœnum. 5. Lupus ore præferens ſalicum faſciculum, trahensque ad ſe capras: ita enim aſtutum facere ajunt, ut Albertus M. apud D. Franzium, deſignat ſeductorem. - *Salices carpetis amaras.* Capra laſcivum animal, & ſtolidum, meretricum & qui contra Deum fornicantur, Oſe. 1. v. 2. imago eſt. Huic Salix dulcis, ut & Oleaſter;

Barbigeras oleaſter eò juvat usque capellas,
Diffluat ambroſiâ quaſi verò, & nectare tinctus,
At nihil eſt homini fronde hac, quod amarius extet.

6. Citharæ & id genus è ſalicibus pendentes, Muſicam in luctu intempeſtivam notant, Sirac. 22. v. 6. Itaque in publico luctu pauſa indicitur: *Beati, qui lugent!* Nam quid vita hæc niſi perenne exitium? 7. Elephas, qui Hebræis *Behemoth!* quaſi *jumentum jumentorum*, in loco paluſtri, inter carecta, & ſub

P. 203.



ALNUS.

& ſub umbrâ Salicum, Job. 40. latens ac jacens, *Diaboli* hieroglyphicum habetur, vel & *Antichriſti*, Lauretus ex Gregor. & Hieron. Confer Pſalm. 68. v. 31. ubi *Fera arundinis*. Poteſt denotare quemlibet *Tyrannum*: qui niſi manſuefiat, hominemque accipiat rectorem, quaſi à Dracone tandem *erutis oculis* captus interficitur, vide Diodorum Sicul. Ælian. Plinium, &c. Sed hæc alius ſunt loci. Palus palatium eſt quaſi, cænoſum & lutulentum. Salices perticales, quæ circumſtant & tegunt, aulici miniſtri. - *Tali ſe jactat in aulâ!* Pergamus.

CAPUT XIII.

De Elah, & Allonim, glandiferis, item Alno, & Terebintho.

I. VAriant Interpp. in exponendo Tria hæc cognata arborum nomina, אלה *Elah*, quæ & אלה *Allah*; Item אלון aut אילון *Elon*; ac אלון *Allon*, ut apud Schindler. Conjunguntur *Elah & Allon* c. 6. Eſai. v. ult. ubi Chald. *Butma & Beluta*: LXX. τερέβινθος καὶ βάλανος, ut & Vulgatus, *Terebinthus & Quercus*: Pagninus, *almus & Quercus*: Tremellius, *Quercus & Robora*: D. Lutherus Eyche und Linde. Arias Montanus in Nat. Hiſtor. ex affinitate nominum conjicit, *Elah eſſe vel alnum, vel ulmum, vel Ilicem*: Avenarius contrà ex eâdem ratione, *Allon eſſe alnum, quæ in aquis non facilè corrumpatur* Ellenholtz. Sic Joſuæ cap. 24.

v. 26.

v. 26. *Haallàh*, aliis *Terebinthus*, aliis *ilex*, *pinus*, *abies*, *ulmus*, *caſtanea*, ut notat ibid. Serarius. Sed & *Tiliæ* nomen non abludit, & *Butma* Chald. quidam ita vertunt, ut notat Hottingerus. Ita pro *Elon* Judic. 9. v. 6. alii *planitiem* poſuerunt, quos refutat Serarius, alii *plateam*, ut Vatablus, eodem ferè ſenſu LXX. βάλανον, Vulgatus *quercum*, Lutherus, hohe Eyche. *Allon* verò, ut habet Marinus, interpretantur *Pinum*, *aut Quercum*, *Robur*, *aut*, *quod* ipſe præfert, *Caſtaneam*. Neque de nominum originatione una omnium ſententia eſt. Alii ab איל *El* derivant, quod *fortitudinem*, robur, potentiam; & adjectivè *fortem*, robuſtum, potentem; indè per antonomaſian *Deum*, aut quod Dei eſt, ac per catachreſin, *idolum*, ſignificat: alii ab אלה *alah* jurando, cùm dirâ imprecatione: nempè, vel quod arbor ſit fortis, vel quod diris devota, ne cæderetur, ut Marinus.

2. Ut viam inveniamus ad veritatem, in his incertis; videndum eſt, quomodò S. Scriptura has arbores deſcribat? Conſtat autem utrumque vocabulum denotare arbores 1. *robuſtas*, Amos 2. v. 9. Eſ. 2. v. 12. 13. amplitudine & altitudine præſtantes. 2. *Umbroſas*, Oſeæ 4. v. 12. & comis, frondibus, ramis denſas ac implicatas, 2. Sam. 18. v. 9. Adhæc 3. *perdifolias*, Eſ. 1. v. 30. & 6. v. 13. Quin & 4. *fructiferas*, ut Eſa. 6. l. cit. & Dan. 4. v. 9. 18. & 5. *Materiâ durabili*, undè idola & remi, Eſai. 44. v. 14. Ezech. 27. v. 6. Jam 6. *gaudere aquis*, Ezech. 31. v. 14. & 7. *frequentiſſimas in Palæſtinâ* fuiſſe tot

loca


ca indicant, quibus celebres fuerunt, ut dicam: uodque 8. ad rem maxime puto facere, primis memoriæ rerum magnarum dicatas, ut ad oſteros, propter longævitatem, & longè teque conſpicuam proceritatem, duratura ſent monumenta: unde paullatim orta *ſuperitio & cultus*, ut ſub his Sacra fierent, juraenta & exſecrationes, Regum inaugurationes, & id genus celebrarentur, quærerentur racula, &c. Quæ ex locis S. Scripturæ mox xplicandis, manifeſta erunt. Quæ deſcriptio àm *glandiferis* optimè conveniat, non dubium ſſe debet, quin eæ his vocaculis ab Hebræis ppellatæ fuerint. De *Pinu*, *Ulmo*, *Tiliâ*, *Caaneâ* dixi, quantum ſatis erat. Neque *Alnum*, eque *Terebinthum* huc pertinere, paucis oſtenendum eſt.

3. ALNUS, *quod amne alatur* dicta, Iſidoro 7. Origin. *Proxima enim aquæ naſcitur, nec facilè xtra undas vivit; hinc & tenera & mollis, quia in umecto loco nutritur.* Sic Vitruvius *perpetuo in luviis generari*, & Plinius *non niſi aquoſis provenire, - craſſisque paludibus naſci*, Virgilius teſtantur. *Sterilis* ferè eſt, ſcopis tantùm naſcens, atque deò infelix damnataque religione, Plinio. *Radice enui*, nec quàm laurus majori, ac per ſummum eſpitem; *caudice* recto & procero, ſed mediocris craſſitudinis. *Materia fabricæ inutilis, ſed neeſſaria, ſi humidus locus, ad accipienda fundamenta, alandus eſt*, Palladius. Nam, ut Vitruvius, *quæ non poteſt extra terram paululum durare tempus, ea in humore obruta permanet ad diuturnitatem, & ſub-*

ſubſtinet immania pondera ſtructuræ; ut *Ravennæ, ubi omnia opera, & publica: & privata, ſub fundamentis ejus generis palos habent.* Quæ ſi quis comparet cum iis, quæ de *Elah & Allon* dicta ſunt, ac poſtea dicentur, longiſſimè ab iis diſtare Alnum facile animo advertet: niſi quis has noſtras Regias & divinas quaſi arbores, procul & *obiter tantùm inſpexerit*, ac ut Athenienſium habet proverbium, *quaſi ab alno.* Græce tamen dicunt: ἀπ᾽ αἰγείρου θέα, apud Suidam. Eſt autem αἴγειρος *Populus Nigra*, ut ſupra cap. 10. num. 4. Talis ſtabat in foro Athenis, undè eminus erat proſpectus in Theatrum. At Alnus nec tàm alta, & Græcè κλήθρη dicitur â κλείω, quod vectibus & repagulis eſſet idonea, ſepibusque & contra amnium eruptiones, quaſi muro riparum, in tutelâ ruris excubaret, Plin. Porta &c. Cavantur alni in lintres nautarum, & in tubos aquæductuum. Quamobrem non poſſunt iis Principes & Potentes, ut Allonim à Prophetis, ſed *Vulgus* potius hominum comparari. Noſtri alnum vocant Erlenbaum / oder Ellernbaum / foliisque naturâ glutinoſis & rore matutino madentibus ſpargunt cubicula, ad capiendos pulices, quos viſco quaſi implicitos ſcopis deinde everrunt. *Pulices* autem, ut notat Pierius Valerianus in Cuculo lib 25. *vanas ſordidasque curas ſignificant*, quæ animum mordent, ut quietis eſſe non liceat: idem in Onirocriticis notant *pediculi & cimices*, Artemidorus lib. 3. cap. 7. & 8. *culices* verò, homines improbos, clam ſugillantes, ibid. Huc facit Proverbium: *Qui cum*

cani-

p. 207



TEREBINTHUS.

ınibus dormit, cum pulicibus ſurgit. Hoc eſt, ıod Pſalm. 77. v. 7. juxta Vulgat. dicitur, *Scopis ırgare animum*: cui ſimile illud Plautinum: *Sco- s dejicere & perdere aranearum operam & tex- ıram improbam.* Hoc erit - *curarum remedium.* ſeque ſpernendum illud Teucri apud Horatium b. 1. odâ 7. conſilium: - *Nunc vino pellite curas!* Iam ut Idem Horatius: *diſſipat Evius curas eda- es.* Certè id quoque monuit mater Regis ſapien- ſſimi. Proverb. 31. v. 5. 6. Poculum hilaritatis, & :opæ conſcientiæ curas abigent improbas; illud piet, hæ expellent. Lucretius;

Quanta conſcindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curæ? Quantique perinde timores?

ugienda tamen deinceps quoque prava ſodali- ia. Ita etiam è viliſſimis rebus argumentum ali- ıuod magnæ Sapientiæ peti poteſt.

Sed & ipſa *Alnus* picta in mediis aquis, *ani[illegible] onſtantis* Symbolum præbet; tùm quòd cæſa denſius repullulat, & innumero hærede pro- deſt; cùm quod ſub aquis dureſcit, & lapideam quandam induit naturam. Hinc *cotes ex alno*, hůltzene Wetzſtein. Ergò *Perfer & obdura!* In- dè Statio *Alnus amico fretis*; & Lucano - *fluctibus aptior.*

4. TEREBINTHUS *non eſt, quæ Hebrais Elah; ea enim neque aquis adeò gaudet, ut Elah, nec ita pro- lixos tendit ramos, nec tantam præſtat umbram, ut ſacra facientibus ſufficeret,* ait Arias Montanus. Validiora argumenta dabit deſcriptio: in quâ potiſſimum notanda 1. Quod *in Tyria circa Da- maſcum magna ſit arbor*, & decora: alibi, ut in Mace- doniâ,

doniâ, & circa Idam in Troade, fruticoſa, brevis contorta, ut Theophraſtus & Plinius. Bellonius, in itinere Bethlemitico, *vaſtam ait ſi reperiſſe Terebinthi arborem: ſub quâ Diva Virgo quieſcere ſolita fuerit, cùm ex Bethlehem Hieroſolymam iret: agrum juxta rotundis lapillis, magnitudine ex formâ ciceris obſitum: vulgus referre quondam, cum illac iter faceret B. Virgo, cicer ſerentem interroganti illi, quid ageret? reſpondiſſe; Lapillos ſero; ab eo tempore ſolum hoc lapillos parere.* 2. Amat ergo *loca calida, ſicca, ſaxoſa*, ut oculatus teſtis docet Matthiolus: ejus *reſina ex Arabiâ Petræâ defertur*, Dioſcorides. In montibus & collibus, etiam inter dirutorum ædificiorum rudera naſci ferè omnes conſentiunt. Jam 3. *ramos* fert multos quidem & oblongos, ſed neque denſos, neque implicitos: nec *folia* tàm vel lata, vel conferta, ut magnam faciat umbram: *Ea* 4. etſi, in Hiſpaniâ, Galliâ Narbonenſi, & alibi fortè, decidua ſint; tamen *in Syriâ non decidunt*, Plinius 16. cap. 21. 5. *Baccas* fert, quales Juniperi, reſinoſas, racematimque: & inter ramos *Cornicula*, ſivè folliculos, caprarum cornibus non abſimiles, quibus apertis erumpunt animalcula quædam, ceu culices, velut *ex utero*. Hinc 6. Arobes Hebræo vocabulo *Boten*, & reſinam *Albotin* vocant, quod uterum ſignificat, de quo in *Botnim*, id eſt, *Piſtaciis* dicam. Denique 7. *Reſinifera* eſt, primæ, poſt lentiſcum & maſtichen, dignitatis. Cætera linquamus Medicis. Quæ omnia ſatis demonſtrant, Terebinthum hanc non eſſe Elan, quæ & aquas

amat,

nat, & frondibus denſa, & perdifolia eſt, ꝛctusque fert edules feris, avibus, hominibus. am quod *Terebinthi fructu* refert *homines veſci, rſasque eo, ante panis uſum, vitam ſuſtentâſſe*, ꝛllonius obſervat lib. 2. cap. 96. id Cluſius reè obſervavit, non de hac *reſiniferâ*, ſed de alterâ *ıciferâ Terebintho* accipiendum eſſe, de quâ ſuo ꝛco.

5. Auguſtinus ſuper Joſuam, Quæſt. 30. per erebinthum *Crucem Chriſti* ſignificatam ait; ſub ıc ſepulta ſunt idola Gentium, Geneſ. 35. v. 4. & pis poſitus eſt teſtimonii, Joſuæ 24. v. 26. de quiıs in Elah mox. *Terebinthi lignum medicinalem crymam exſudat, quæ arbor à Lxx. Interpp. hoc :o poſita eſt; quamvis ſecundùm alios interpretes uercus legatur*, ita ille. Solet autem caudex vulꝛrari, ut reſina fluat, quantòque profundiora ılnera ſunt, tantò fit arbor fœcundior, *Porta*. ı reſina lepras tollit, ulcera expurgat, vulnera centia glutinat. Baccæ contra phalangiorum orſus in vino bibuntur, *Dioſcorid. & alii apud 'atthiol.* Quæ tàm ad Sanguinem Domini, quàm l lacrymas in cruce, piè referri poſſunt. - *Una ıc medicina malorum eſt.* Poterant hæ lacrymæ abiem & pſoram Judæorum tollere, & hæ baccæ ꝛruleo-virides, talis enim Terebinthinarum cor eſt, qualis sereni cœli, expellere venena; Sed *ſcondita erant ab oculis eorum*, Luc. 19. v. 42. Amoſius lib. 2. de Jacob. cap. 7. legit *ſub lentiſco ſeliſſe eum idola:* ubi Vulgata habet, ſub terebintho. *uæro* inquit, *cur ſub lentiſco? Certè genus iſtud inuctuoſum eſt. Ibi ergò ſunt Dii Gentium, ubi nullus*

O *fructus*

fructus eſt. Poterat de Terebintho jucundius re-ſponderi. Nam κεράτια illa, ſive cornicula, etſi tumeant amplo ventre, & odore non inſuavi quod-dam quaſi *Amalthea cornu* promittant; tamen præter culices, & fuliginem, ut notat Cluſius in Hi-ſpanicis, lentoremque reſinoſum, ſed improbatum, nihil tandem emittunt. - *Nihil intus* Pertinet huc illud:

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Quàm multi ſunt, qui in omnes *parata tollunt cor-nua*; quibus intùs nec mica animi,&c. Hiſpani qui-dam Terebinthum *Cornicabram* à corniculis, ut exiſtimo, vocant, *Cluſius lib. 1. Hiſpan.* cap. 23. Sic *magna minantur inanes!* Thun ſich groſſen Streich aus/ und iſt nichts darhinder.


6. Superſunt ergò GLANDIFERÆ. *No-men* Hebræum *Elah* aut *Allon*, à fortitudine, un-de & *Robora* Latinis. Græcum Δρῦς, commune olim omnium arborum. Inde Δρυμὼν, σύνδενδρος τόπος arbuſtum. Ἀδρύω *erumpo*, propello, quod in altum erumpat. *Quercus, quod Dii Gentium ex eâ reſponſa darent quærentibus*, Iſidorus, vel à *quer quero*, aut *quercero*, quod ſignificat magnum quid & grave: unde *Febris Querquera*, ἀπὸ τοῦ καρκάρες à tremore & frigore, cùm crepitu, Feſtus & Sca-liger.

Species multæ ſunt: quædam ſemper virent, ut *Ilex & Suber*; quædam calveſcunt, ut *Quercus & Robora*, quò pertinent *Cerri*, & quæ *Haliphlæus* dici-tur. De *Eſculo & Fago*, dictum ſuprà.

ILEX folio eſt aculeato, unde Germanis Stech-eyche; ſemper viret, glandem habet ſpinoſo calyce

in





SUBER LATIFOLIUM.

cluſam, nucleo intùs candido, ſaporis non in-
:ati. Itaque *per Hiſpanias menſis ſecundis infer-
ır*, Plinius. Hodiè quoque Venalis, ut in foro Sal-
ıanticenſi, nec minùs grata, quàm nobis caſtaneæ
t avellanæ, Cluſius in Hiſpan. lib. 1. c. 5. Hinc *ab*
'igendo dictam autumant. *Hujus enim arboris fru-*
'um homines primùm ad Victum ſibi elegerunt: un-
è Poëtæ illud:

Mortales primùm ructabant gutture glandem.

ſidorus in Origin. l. cit. Græcis πρῖνος, ut in
ragm. Dan. à πρίω, forte, ut ibid. indicatur. c. 13.
. 59. *à ſecando:* undè *πρίων ferra.*

Eſt & alia ILEX MINOR & humilis, quæ *coc-
um* gignit, granum infectorium, Scharlachbeer:
Arabibus & officinis *Alchermes*, quo tinctæ veſtes
Carmeſina & Scarlata dicuntur. Ejus grani genus
quoddam *Scolecion;* quoniam ſe celerrimè mu-
at in Vermiculum, Plin. 24. c. 4. Naſcitur enim
n Cocco exiguum animalculum, quod ſimul
rupit, volat culici ſimile: Colligitur itaque prius-
quàm matureſcat, ut ſanguine illo vermiculi lanæ
x ſerica tingantur, *Pauſanias* in Phocaicis: plu-
ibus deſcribit Cluſius l. cit. cap. 6. Pſal. 22. v. 7.
ermiculus iſte Coccineus dicitur תּוֹלַעַת *tholaat*,
ı *thilla* rubricando, de quo in Paſſionali meo, &
Volum. 1. S. Analect. lib. 3. cap. 29. Naſci in exi-
guis arbuſculis, ad Lacum Galilææ, quod Mare
Tiberiadis vocatur, refert Bellonius, & ex eo Do-
donæus.

SUBER, φελλὸς, undè noſtrum Pantoffel-Holtz/
quaſi dicas παντόφελλον lignum, ilici ſimilis arbor
eſt, mediocri magnitudine. Cortex craſſus ſponte

in fragmenta fatiſcens, detrahi ſolet: noti uſus *in piſcantium tragulis, & hiberno fœminarum calceatu.* Detracto cortice arbor fit melior: craſſeſcens enim ſtrangulat, ſuprà cap. 2. num. 11. 12. Sic animam corpus; quo malè habito, illa fit melior. Itaque percutit Deus illud, ut hæc ſanetur: Oſe. 6. v. 1. Vetere cortice detracto, novus ſuccedit, qui inſigniter rubet, *Dodonæus.* Sic in ruborem dat Deus, ex peccatorum agnitione, quo caſtigat. Sic - *exterior homo corrumpitur, interior renovatur:* 2. Corinth. 4. v. 16. & ſæpè corporis morbus, animæ fit medicina. Eſſe igitur poteſt hæc arbor pulchra Renovationis imago. Lignum corticis ἀβάπτιςον, quod neque mergi poteſt, neque quæ ſuſtinet mergi ſinit, multa quoque notat. 1. *In Sagenâ Verbi Divini ſuber eſt quasi promiſſio Vitæ æternæ: plumbum, comminatio ſupplicii æterni,* Salmeron in Parab. Evang. Tract. 1: num. 7. *Hinc premit, indè levat* 2. Bona externa, ut proverbium habet apud Strabonem, κȣφότεϱ φελλȣ σκιᾶς, *leviora ſunt ſuperis umbrâ.* Et tamen quàm multos ſtrangulant? Dei beneficium eſt, aliquandò detrahere. *Pauperior melior.* Contrà c Siculis & Italis vetus verbum eſt: *tantò nequior quanto quisque eſt ditior,* Plato in Eryxia, inter Dialogos nothos. 3. Ulyſſes.

Dùm ſibi, dùm ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum immerſabilis *undis.*

Horat. Suberi ergò ſimilis vir fortis, vide Eraſm. Adag. *Subere levior,* ἀβάπτιςος ὡς φελλὸς ὑπὲρ ἕρκος ἅλμας, Pindarus Pythior. 2. Sic Virtus & doctr

octrina, geſtatu levia, idem præſtant, quod *ſyrtili clypeus:* de quo Græcorum Proverbium : Emblema Alciati, 161. C. Pontius à Camillo iiſſus in Capitolium, cum Galli obſiderent, ut 'iberim nando feliciter trajiceret, φελλὺς πλα-ῦς pectori ſuppoſuit. Plutarch. de Fortunâ .oman. *Incubans cortici, ſecundo Tiberi ad urbem de-'rtur*, Livius lib. 5. Hæc illa *bona* ſunt, *qua nâ è naufragio poſſunt enatare*; de quibus celeber-mum Ariſtippi monitum notum eſt, ex Vi-'uvii lib. 6. præfat. - *nec mergor, nec ſino mergi!* ic 4. Bona conſcientia, & paupertas læta. *Pror-us ad vivendum, velut ad natandum, is melior; qui nere liberior. Sunt enim ſimiliter etiam in iſtâ vi-e humana tempeſtate, levia ſuſtentatui, gravia de-ierſui*, Apulejus in Apologiâ. Poſſes pios vo-are *Phellopades*; quos *in inſula Phello* habitare efert Lucianus 3. Verar. Hiſtor. habere pedes iberinos, cætera omnia nobis ſimiles: itaque ıtrepidos decurrere ſuper fluctus maris, nec emergi: urbem eorum ὑπὲρ μεγάλε καὶ στρογ-ύλε φελλε̃ ſitam eſſe. Credas hominem impi-m, pro more, ridere miracula Evangelica, Jo-ann. 6. v. 19. & Matth. 14. v. 29. Dei civitas, uanquàm vilis & contemta mundo, *-fluctuat, c nunquam mergitur.*

QUERCUS proprie dicitur ἥμερος, & Macedo-ibus ἐτυμόδρυς, glande dulci & maximâ, è longo ediculo pendente: non adeò vulgaris. In Mau-itaniæ Regno Feſſano frequens, fructu quam aſtaneæ dulciore, Scaliger Exerc. 181. Sect. 26.

ROBUR verò Quercus *ἀγρία* glande inguſtabili. De his mox plura.

CAPUT XIV.

De Quercu & Robore.

I. UT magis appareat, *Elah*, *Elon*, *Allon*, eſſe Glandiferas, præcipua S. Scripturæ loca videamus. Sunt autem Celebres.

1. ELON MORE, Geneſ. 12. v. 6. dicta à ראה *Raah* vidit, q. d. *Quercus viſionis*, *ſive apparitionis*: quod Canaanitidem ingreſſo Abrahamo primum ibi apparuerit Dominus. Quare ibidem primam ille aram extruxit, eamque dedicavit, inſcripto Titulo: ליהוה הנראה אליו *Lajhovà Hannireh elav*, *Domino qui apparuit ipſi!* Vulgatus vertit, *convallem illuſtrem*; D. Lutherus, der Hain More / quod non una ſola arbor; ſed Lucus eſſet & Quercetum. Fuit prope Sichemam, & ab iſta Arbore *Elon* tota vallis *Aulon* dicta, de quâ h. l. Bonfrerius. Mentio fit ejusdem Geneſ. 25. v. 4. ubi dicitur *Haëlah quæ eſt juxta Sichem*, illa, ſcilicet ipſa, ut *He demonſtrativum* præfixum indicat, ubi Abrahamo primùm apparuit Deus. Quæ cauſa impulit nepotem ejus Jacobum, ut ibi *idola & inaures*, id eſt, *Phylacteria Deorum alienorum*. Auguſtin. in Geneſ. Quæſt. 112. quæ idololatræ in ſuis geſtabant auribus, in honorem Deorum ſuorum, amuletis; defoderet & ſepeliret: proteſtatus hoc ipſo facto, ſibi poſthac ſuisque omnibus

non

non alium eſſe colendum, quàm Deum Abrahami: Gentium verò idola, omnemque idolorum apparatum eſſe ἀνάθεμα, rem exſecrabilem, abominationem Deo: Quare veroſimile eſt, illa idola, & Phylacteria, confracta priùs, ignique liquefacta & abolita fuiſſe, quod & poſteà lege peculiari conſtitutum, ac capite ſancitum, Deuter. 7. v. 25. Joſuæ 6. v. 18. & 7. v. 1. & 1. Paralip. 15. v. 12. Exod. 32. v. 20. 2. Reg. 18. v. 4. De eâdem *Quercu propè Sichem* legitur Joſuæ cap. 24. v. 26. quod Joſua moriturus, cum populum ad Dei cultum conſtantem hortatus eſſet, fœdusque cum Deo renovâſſet, *Lapidem prægrandem*, in fœderis hujus monumentum, *erexerit ſubter Quercum, Haallah*, eam ipſam tot nominibus nobilitatam, *quæ erat in Sanctuario Domini*. Quomodo in Sanctuario, *Bemikdaſch?* Reſp. ſive quod tempore iſtorum Comitiorum Tabernaculum Domini, Silunte, quæ non procul aberat, Sichemam transferri juſſerit Joſua; ut veluit Abulenſis; ſive quod ipſa Silo ad agrum Sichemiticum pertigerit, ubi tùm Sanctuarium, & in ejus Atrio hæc Quercus, Serarius & D. Walther in Harmon. ſive, ut equidem eò inclino, ea ipſa *arbor*, jam olim *Sanctiva*, & ante legem atque tabernaculum divino cultui dedicata; *Mikdaſch & Sanctuarium* quoddam Dei habita fuerit. Neque quia vetuit Deus Deut. 16. v. 21. *ne Lucus plantetur juxta altare Domini*; ideò prohibitum fuit, ne ad Arborem iſtam ſacri conventus celebrarentur, ut ad eam erigeretur Tabernaculum Domini: quippè quod ea ipſa eſſet avitæ religionis, fideique Patriarchum,

 cele-

celeberrimum monumentum. Quâ de cauſâ Joſua quoque non alibi, quam juxta hanc arborem Comitia ſua celebrari voluit. Denique ſub hac ipsâ Quercu, auſpicii causâ, Rex Abimelech à Sichemetis creatur & unctus eſt, Judic. cap. 9. v. 6. ubi iterum *Elon* vocatur: nec videtur verò abſonum, quod ſub hac quoque Quercu *Haelah*, conſederit Propheta, qui Bethelem miſſus contra Idololatram Regem per aliam viam indè regreſſus legitur, 1. Reg. 13. v. 14. Ex quibus conficitur, hanc arborem 1. fuiſſe Religioni & publico exercitio divini cultus conſecratam, 2. Sacris conventibus & peregrinationibus frequentatam, cùm nondum locum certum deſtinaſſet & deſignâſſet Deus; 3. poſteris quoque diu venerationi fuiſſe: 4. ætate longæviſſimâ; nam ab Abrahami adventu in Canaanitidem usque ad mortem Joſuæ, anni ſunt fermè *Quingenti*; usque ad Abimelechum, *Septingenti*; usque ad Jerobeamum, ſi paucos addideris, *mille*. 5. Eandem dici modò *Elah*, modò *Allah*, modò *Elon*, nec adeò hæc nomina differre: & 6. Quercum fuiſſe, undè & à LXX. ὑψηλὴ δρῦς & ἡ βάλανος dicitur.

2. Secundo loco ELON MAMRE, una fortè eximia inter alias, quæ habitaculo Abrahami imminebant, gratam hoſpitibus præbentes umbram ubi memorabilis illa Dei Filii apparitio facta, Geneſ. 18. v. 1. Hanc *usque ad Conſtantini M. tempora* peregrinationibus & annuâ feſtivitate celebratam teſtatur *Sozomenus lib. 2. cap. 3.* abfuiſſe Hebrone ſtadia quindecim: extitiſſe adhuc quædam ædificia ab Abrahamo circa Quercum exſtructa, puteum-

teumque ab eo effoſſum : conveniſſe quotannis, religionis & mercatus gratiâ, non Judæos tantùm & Chriſtianos, ſed etiam ipſos Paganos: & hos quidem varia immolaſſe Sacrificia, ſolitosque projicere in puteum varia libamina, vinum, placentas, nummos, unguenta, incenſosque odores, ardentesque imponere lucernas, &c. *Brochardus* dimidiâ Leucâ ſitam ab Hebrone, viſam ſibi refert, ſed ex emortuâ renatam: *de cujus ligno,* inquit, *& fructum mecum tuli: folia ejus paulo majora ſunt quàm Lentiſci, ſed fructum prorſus habet, ut Quercus.* Sic Ilicis Cocciferæ *folia lentiſco ſimilia* eſſe Pauſanias ait, de quâ Cluſius in Hiſpan. cap. præced. num. 6. qui in Pannonicis commemorat; viſam ſibi Quercum in Angliâ, in Horto Regio ad Weſtmonaſterium, *quæ folia orbiculata, nullis horrentia aculeis & buxeis interdum non ampliora, habuerit,* lib. 1. cap. 5. Ubi illud imprimis notatu dignum: Has Quercus, de quibus modò diximus, glandiferas quidem, foliis tamen *Lentiſcinis* aut *Terebinthinis*, & noſtris diſſimilibus fuiſſe. Quâ causâ Interpp. mòdò *Quercus*, modò *Lentiſcos*, modò *Terebinthos* vertiſſe, non dubium eſt. His adde 3. ALLON BACHUT, *Quercum fletus*, Klageyche/ ad radices urbis Bethel, Sepulchro Deboræ, quæ nutrix fuit Rebeccæ, nobilitatam, Geneſ. 35. v. 8. Ita 4. QUERCUS ROGEL, ad meridiem urbis Hieroſolymæ, celebris fertur ſepulchro Eſaiæ, juſſu Manaſſis impii Regis ſerrâ diſſecti, de quâ Adrichomius in Jeruſalem. 5. Famoſa quoque in OPHRA, ubi Angelus Gedeoni apparuit, *tachat haelah,* Judic. 6. v. 11. 19. videtur-

que & illa Religioni jam tum dedicata fuiſſe. 6. Memoratur quoque ELON THABOR, in tribu Benjamin, in viâ quæ Bethlehem ducit à Sepulchro Rahelis, 1. Sam. 10. v. 3. Saul enim unctus jam in Regem, cùm à Samuele digreſſus Ramâ, Gibeam tenderet, ad Patrem de filio ſuo ſollicitum; venit ad Sepulchrum Rahelis, prope Bethlehem, in confinia Tribus Benjamin; inde ad Quercum Thabor, ubi ei occurrerunt Tres viri, itinere adverſo Bethelem profecturi, vide Bünting, Itinerar. h. l. De hac Quercu nihil certi afferunt Interpp. Quidam in monte Thabor collocant, ut Serarius & Corn. à Lap. ſed illa tum non potuiſſet redeunti Sauli objici. Thaborem enim in Tribu Zabulon ponunt, ex Hieron. de locis Hebr. ut obſervat Sanctius. Neque quidquam certius habent Rangolius & Mendoza. Petrus Martyr refert, quosdam ſtatuere hanc fuiſſe Quercum, ſub qua ſepulta fuerit Debora, de quâ modò ex Geneſ. 35. v. 8. Sed & illa remotior, & proxima fuit urbi Betheli. Quare eò tandem deventum; *Thabor* nomen eſſe proprium Viri, qui fuerit poſſeſſor hujus Quercus aut certè loci, ſed incerti, ut apud Sanctium. Quanquam etiam appellative dici potuerit *Quercus Thabor*, quaſi d. *purificationis*, luſtrationis. *An in monte Thabor Domini Transfiguratio acciderit?* non conſentiunt Interpp. In Libano potiùs putat Franc. Lucas, Brugens. ad Matth. 17. Quem refutat Cornel. à Lap. verùm ſolâ nixus autoritate & communi opinione.

3. Ce-

3. Celeberrimæ ſunt quoque ALLONE BASAN, *Quercus Baſanitica.* Fuit autem *Baſanitis* regio trans Jordanem & mare Galilææ, montibus Galaad; Seir & Hermon, incluſa, nomine à pinguedine ſoli & ubertate indito. Eò pertinebat Gadarena & Geraſena, ubi multi porci Matth. 8. v. 30. Nam quia glandiferæ regiones, multas ingentesque Quercus ferebant, hinc *Suarii* frequentes ibi; alebanturque porci non tantum à Gentilibus Græcis, qui mixtim ibi habitabant; verùm etiam à Judæis ipſis, lucro deditis: ſive quod alere non eſſet lege prohibitum, ſed mactare & veſci: ſive quod Gentium mores imitarentur, undè Hircani temporibus conſtitutum; *ne Judæo porcum alere liceret.* Quod tamen poſteà licuiſſe, Auguſti Cæſ. dicterium indicat: *malle ſe Herodis eſſe porcum, quàm filium.* Fuit etiam quædam alendi neceſſitas, ad ſuppeditandam Romanis militibus annonam: unde multa Suariis conceſſa privilegia, ita Franc. Lucas, Brugens. & Grotius in Matth. l. cit.

De his Quercubus Eſaias cap. 2: v. 12. 13. *Dies Domini Exercituum ſuper omnem Excelſum & Superbum: Super omnes Cedros Libani ſublimes & elevatas, & ſuper omnes* Allonè habbaſan, *Quercus illas in Baſan.* Ubi Hieronymus: *Quercus Baſan, quas Aquila* δρυάς, *Symmachus & Theodotion* βαλάνους *interpretati ſunt, glandiferas novimus: quæ etſi fecerint fructus, porcorum ſunt alimenta non hominum. Baſan eſt regio Arabiæ, cui imperavit Og, qui appellatus eſt Rex Baſan, & interpretatur* αἰσχύνη, *ideſt, ignominia. Super omnes ergò qui erigun-*

tur

tur in ſuperbam, & faciunt opera ignominiæ, atque in cœno libidinum volutantur, Domini vindicta conſurget. Intelligit autem diem judicii, non ut multi, ſicut ait, univerſalis; ſed particularis in Hieroſolymam. De eodem Zacharias cap. 11, v. 7. *Ulula abies, quia cecidit Cedrus,* id eſt, per epexegeſin, *quoniam Vaſtati ſunt* אדירים, *addirim, fortes,* magnifici: D. Lutherus, das herrliche Gebäu iſt verſtöret; Templum & urbis celſiſſimæ ædificia ex Cedris conſtructa, Caſtrius. Nec cauſa fuit cur D. Tarnovius Lutheri verſionem repudiaret. Per Metonymiam tamen recte intelliguntur quoque Μεγιςᾶνες, ut LXX. Pergit Propheta: *ululate Quercus Baſan, quia ſucciſus eſt* Hajaar habbazir, *ſaltus ille munitus*, ὁ δρυμὸς ὁ σύμφυτος, ſylva cædua, Pagnin. Sylva vindemiæ, Tremellius ſatis obſcurè: monſtrat autem Propheta digito quaſi indice, urbem Hieroſolymam, ut Matth. 24. v. 2. Luc. 19. v. 44. *Hæc autem completa ſunt per manus Romanorum, expeditione Veſpaſiani & Titi. Tunc enim Quercus Baſanitica Sacerdotes & Populi Rectores populum Hieroſolymitanum, totamque regionem hoſtili irruptione quaſi ſecuribus exciſam, meritò planxerunt,* ita Cyrillus h. l. Comparantur ergò Quercubus Magnates & Primores Populi. Sic Amos 2. v. 9. *Amorhæi* propter altitudinem *Cedris*, & propter fortitudinem *Roboribus*, Allonim: quibus & fructus ſurſum & altæ radices deorſum tribuuntur. Fuêre autem ut Cedri Libani: qualis illa apud Plinium in Cypro *triginta pedum longitudinis & craſſitudinis ad trium hominum complexum,* lib.

lib. 16. cap. 40. ita Quercus in Baſan ingentes, qualis illa Ovidiana, 8. Metamorphos. -- *menſuraque Roboris ulnas quinque ter implebat.*

4. His adde alia loca S. Scripturæ, è quibus apparet, has arbores eſſe 1. *umbroſas*, in montibus & collibus naſci ſolitas, *Sacrificiis frequentatas*, quæ peragebantur ſub *Allon veelàh* Robore & Quercu, Oſeæ 4. v. 12. Sub *Elah Abutha*, Quercu implicatâ & densâ, Ezech. 6. v. 13. Hinc ELON MEONENIM, *Quercus Augurum*, die Zauber-Eyche/ propè Sichemam, Judic. 9. v. 37. ex ſuperſtitione, *quod ibi oracula quærerentur, ut in Dodonæis Quercubus*, Arias Montan. Quæ qualis fuerit, nemo, quem viderim, expoſuit. *Tunc*, inquit Cornel. à Lap. *nota fuit, nunc ignota.* Mihi à Gaale, Sichemitarum contra Abimelechum tunc Duce, ſic dicta videtur illa ipſa, ſub quâ Abimelechum Regem inauguratum dixi, num. 1. quaſi d. *Quercum non Moreh* Divinæ apparitionis, *ſed præſtigiatorum*, ubi Tyrannum Diabolico auſpicio feciſtis Regem. Nec dubium abuſos eâ Magos, & divinos, atque adeò eveniſſe, quod vernaculo proverbio dicimus; *ubi Ara focusque DEI, ibi Sacellum condit Diabolus.* Religio ſæpe vertit in ſuperſtitionem, & ex optimo vino fit peſſimum acetum. Ita eodem loco, ubi collata fuit à ſceleratis Sichemitis peſſimo homini Summa poteſtas, cædis & cladis factum eſt initium: & ubi Regem fecerant contra DEUM, juſto ejus judicio Tyrannum ſentire cœperunt. Quare Quercus idololatriæ Symbolum eſſe poteſt: & ut David opilio Goliathum

vicit *in valle Elàh*, 1. Sam. 17. v. 2. 19. Sic Chriſtus Diabolum inter Gentes idololatricas, in valle tenebroſâ, Luc. 1. v. 79. Fuit iſta vallis, der Eychgrund / in Tribu Juda, inter duos montes, propè Philiſtæorum confinia, ut notat Adrichomius. Conſtat deindè 2. eſſe *perdifolias*. Indè Eſaias cap. I. v. 29. 30. *confundentur*, pudefient מאילים *Meelim à quercubus*, *quibus delectati eſtis:* Vulgatus, ab idolis, quibus ſacrificârunt: Legiſſe videtur *Elilim*, quomodò Idola dicuntur, vel quod eſſent *Al-El* non Deus, vel quod eſſent Dii Lignei, ex Quercu facti, &c. Pergit Propheta: *& eritis* כאלה *Keelah*, *ſicut Quercus defluentibus foliis*. Ubi ex antitheſi manifeſtum, *Elim* in verſu præcedente eſſe Quercus: Sub Quercubus idola coluiſtis; itaque quaſi Quercus eritis per hyemem nuda & pudefacta. Explicat Propheta cap. 6. v. 13. ubi impiis & occæcatis Judæis comminatur Deus, tantam deſolationem, ut vix decimam partem relicturus ſit; & hanc tamen ipſam è patrio ſolo diſperſum iri, prædæque futuram omnibus Gentibus, ut cadente Quercu omnes ligna colligunt ad focum: Servaturum tamen reliquias, ſemen Sanctum, de quo Roman. 11. cap. toto. *Sicut*, inquit, *Elah & Allon*, *Quercus & Robur*, *quibus in dejectione*, ſcil. foliorum, wann die Blätter abfallen / D. Lutherus, ut & Vatabl. Corn. à Lap. &c. quando aridos, nudosque *ramos expandunt*, Vulgat. vel ut apud Hieronym. *quando fructus ſuos*, *glandes*, *abjecerunt:* quinimò etiam cùm rami & brachia ferro dejecta ſunt; *tamen adhuc* Mattsébet *ſtatio eſt*, Sie haben noch den Stammen / ut neque funditus corruant, & re-

p. 222. p. 222.



ROBUR.

& regerminare poſſint cum tempore: *cum defluunt folia, videntur quaſi aridæ, adhuc tamen retinent humorem, quo ſemen ex eis ſuſtentetur*, Chaldæus. Atq; *hæc ſtatio*, ſubſiſtentia, hoc germen reſiduum, juxta Aquilam, hæ reliquæ erunt *Semen Sanctum:* quia de Apoſtolorum germine cunctæ Eccleſiæ germinabunt. Hieronymus. Diſtinguit Propheta diſertè inter Iſraëlem reprobum & electum: Illum, ait, ad incitas iri redactum, & quotquot excidio ſuperfuerint, toto orbe diſperſos, prædam, dirumque ſpectaculum & omen futuros eſſe omnibus Gentibus, *in oſtenſionem*, in deprædationem, ad incendium. Vulgat. Hieron. &c. Hunc verò fore Semen Sanctum, radicem & ſtipitem quaſi noſtri Populi, qui Iſraël Dei dicitur, ex Judæis & Gentibus. Nihil igitur hic de univerſali, aut ſingulari aliquâ Judæorum diſperſorum, ante finem Mundi, converſione.

Puto, manifeſtum jam eſſe, *Elim & Allonim* eſſe arbores cognatas, ſylveſtres, montanas, umbroſas, denſas & implicatas, perdifolias, altè radicatas, robuſto ſtipite, fructiferas, & quidem βαλάνων, glandium, ut LXX. Eſai. 6. v. 13. Sacras idolis & idololatriæ. Unde & doctiſſimi plerique Interpp. *Quercus, Ilices, Robora*, interpretantur. Videamus ergò quid de his externi Scriptores S. Literis conveniens, tradiderint.

CAPUT

CAPUT XV.

Quercus Crucis Chriſti.

1. UT de unâ quaſi fidelia duos dealbemus parietes; eâdem operâ exponemus, *Quâ ratione Crux Domini per quercum ſignificari potuerit?* Hæc enim eſt. *Quercus illa More*, in quâ Dei Filius apparuit; *Quercus Fletus*, Quercus *ſepulchralis*, fidelium, & quæ cap. præcedenti plura diximus. Breviter Hieron. Lauretus: *Quercus, ſub quâ apparuit Angelus, crucem Chriſti deſignare poteſt, ſub quâ nobis eſt præſidium, Judic. 6. Joſuæ, 24. Quercus fletus, ſub quâ ſepelitur Synagoga*, Geneſ. 35. adde: è quâ oracula petenda fidelibus: ſub quâ Goliath proſtratus eſt: in quâ triplici haſtâ confoſſus periit, Deicidio ſuo, rebellis ille Abſalom: &c. Quæ ſi omnia, ut facile eſſet, perſequi vellem, quem finem habitura eſſet hæc Commentatio? Ac Veterum ſanè quidam Crucem è quadruplici ligno compactam fuiſſe tradiderunt:

Pes crucis eſt Cedrus, *Corpus tenet alta* Cupreſſus,
Palma *manus religat, titulo lætatur* oliva.

Alii aliter. Sed in tanto tumultu & feſtinatione, nec libebat, nec licebat crucifigentibus adeò eſſe occupatis. Tumultuarium opus fuit Crux illa, non exaſciatum, non affabre factum, rude, indolatum, & obvium lignum. Altiſſima fuit *Crux Hamæ-*

'amanis, quinquaginta cubitorum, id eſt, pedum
ortè LXXV. Eſther. cap. 5. verſ. 14. & 7. v. 9. &
udio fabricata, ut ignominia tantò eſſet conſpe-
ior, more Perſarum, qui & in altiſſimis crucibus,
: editiſſimis montibus ſuſpendebant cruciarios
ios: quin & uſu receptum videtur aliquandò, ut
rux dealbaretur, honoris ſcil. causâ: quomodò
urifex Alchimiſta ille in deaurato quodammodò
atibulo pependit, de quo notiſſima hiſtoria eſt.
ed Crux Domini nec tàm accurata; neque tàm
ta fuit: lignum quippè, quod ab homine geſtari
oſſet, & in quo crucifixi pectus lanceâ, & os ha-
ili, aut baculo hyſſopi; tangi, de quo ſuo loco.
aque è *Quercu* fuiſſe recentiores ferè conſen-
iunt; vide Lipſium de Cruce lib. 3. cap. 13. & Al-
hons. Ciaccon. apud Stengelium in Pomonâ cap.
9. &c. Eò reſpiciebant tot Typi Quercuum. Eſt
utem *Quercus* cum cognatis, *arbor;*

I. Adſpectu infauſta:

2. Nam & cortex è rufo, & folia è viridi nigri-
int. Indè Poëtis paſſim *nigra & triſtis.* Seneca in
hyeſtâ: *Nulla quæ lætos ſolet*

Præbere ramos arbor ---
Sed taxus, & Cupreſſus: & nigrâ Ilice
Obſcura nutat ſylva: quam ſuprà eminens
Deſpectat altè Quercus, & vincit nemus.
v. 655.

ccedit, quod medullam quoque nigram habent,
ελάνδρυον dictam, Theophraſto. Quin etiam
neres, & aſſulæ madefactæ nigrore inficiunt, &
x Gallâ optimum fit atramentum. Quare cru-

P ciarii

ciarii in nigrâ & infauſtâ arbore ſuſpenſi: nec aliud Abſalomi patibulum eſſe debuit, 2. Sam. 18. v. 9. 14. aut Tyrannorum, quos Joſua Dux, c. 8. v. 29. & 10. v. 26. *- diro ſuſpenſos robore latis*

Oſtentabat ovans populis - Silius.

Adde, quod, ut ait Perſius Satyr. 2. *- cùm tonat, ocyus Ilex Sulphure diſcutitur ſacro.* Inprimis illa, quam ἁλίφλοιον, id eſt, *ſalſicorticem* vocant. Nam *fulmine ſæpiſſimè icitur: quamvis altitudine non excellat: ideò Ligno ejus nec ad Sacrificia uti fas habetur,* Plinius lib. 16. cap. 6. Jam cogita 1. Quid crux per ſe ſpectata, niſi infame lignum? Targum in Eſther. cap. 5. quod indè repetit Sanctius, cauſam indicare vult, cur in Mardochæi ſupplicium *crux* parata fuerit; Nam *neque in ignem mitti debuiſſe, neque in aquam, neque in lacum leonum; quod ex igne Abraham, ex aquis Moſes cum populo Iſraelitco, ex lacu Leonum Daniel, ſalvi emerſerint: ſed qui è cruce ſalvus evaſerit, reperiri neminem.* Fuit quidèm alia cauſa, cur exoſum Mardochæum ſuſpendi optârit Haman? neque enim propter lentam mortem aliud *crudelius*, neque propter dirum ſpectaculum *ignominioſius* ſupplicium fuit. Neque dubium eſt, quin Hebræi hanc cauſam in opprobrium Domini crucifixi commenti ſint. Et tamen vide, ut recutiti *ſuis aſciam illidant cruribus.* Quod Haman in Mardochæum cogitaverat; hoc illi in Chriſtum: morte peſſimâ voluerunt occidere, quâ nemo poſſet eruere, quod & de iis prædictum erat, Pſalm. 22. v. 9. & 41. v. 9. Sap. 2. v. 18. 20 verùm ut in Hamanum *rediit*, quod contra Mardochæum meditatus erat *ſcelus*; ſic *in* Judæo

aut

p. 227.



utores, quod illi machinati contra Dominum
endent ſceleſti jam annis mille & ſexentis, omen
opprobrium omnibus gentibus: Dominus re-
iat gloriâ & honore coronatus, Eſther. 8. v. 15.
ſi illi infenſiſſimi hoſtes, etiam inviti, præcones
nt majeſtatis ejus, Eſther. 6. v. 11. dùm, *ſcrinia-
i quaſi Chriſtianorum*, Oracula Prophetarum cir-
umferunt, ſuoque ſupplicio tàm diuturno ma-
rum de perfidiâ palam teſtantur. Vellent cru-
s abolitam memoriam, ut olim *quotannis in re-
rdationem Hamanis crucifixi*, in feſto Purim, *cru-
 adſimilatam ſpeciem Sacrilegâ mente ſolebant
urere*, donec imperialibus reſcriptis prohiberen-
r, Cod. de Judæis, Tit. 12. lib. 1. L. 11. adeò glo-
crucis excruciat, & ſudes eſt in oculis, intimis-
ıe medullis.

4. Vide 2. Arbores juſtitiæ nos Deus plantave-
t in Paradiſo; Per lapſum evaſimus Nigræ ili-
s, & Salſicortices, *fructu amariſſimo, quem præ-
 ſues nullum attingat animal*, Plin. l. cit. Hinc
lminantis Sæva Dei manus! Pinge talem Quer-
ım, fulmine ictam, ſub quâ glandes devorent por-
, ſubulco Diabolo: Peccatorum & Mundi im-
undi pinxeris imaginem - *Telluris inutile pondus!*
De Abſalomo, cui crines, quibus gloriabatur, pro
queo fuerunt, fabulantur Hebræi: *pendentem non
ſum ſe extricare, aut ferro, quo accinctus erat, re-
are implexas ramis comas, quod ſub pedibus cerne-
ſibi viſus eſſet terram dehiſcere, orcumque immani
are rictu: ita exſpectâſſe triplicem Joabi haſtam*,
t, ut R. Salomo habet, *Sagittam*. Ita pendent re-
lles Dei filii, ſcelerum ſuorum religati laqueis!

-*patet ingens ſubtus hiatus!* Neque nos alia manebat ſors omnes; Eſa. 1. v. 4. Proverb. 5. v. 22. Pſ. 7. v. 14. &c. ſed ô adoranda Dei *juſtitia:* ſuſpenditur pro rebellibus obediens Filius, jam ſuſpenſo ut eximat ſupplicio! ô admiranda ſuſpenſi *victoria;* vincit enim victus, cùm occubuiſſe videretur ſuſpenditque ſuſpenſores, Diabolum, Peccatum Mortem! Coloſſ. 2. v. 15. Maledictum factus, credentibus benedictionem impetrat & impertit, Gal. 3. v. 13. verùm pergamus:

2. Fructus multiferâ.

4. Fert enim *glandem*, *coccum*, *gallam*, *pilum* *viſcum*, *agaricum*, *mella*, *olivas*, *pyra*, & ſui generis *uvam*, ut alia taceam, quæ apud Ruellium lib. 1. cap. 83. & 86. Portam Neapolit. lib. 3. Villæ cap. 6. &c. De ſingulis aliqua.

1. GLANDEM primo victu aluiſſe mortales, quàm eſt tritum, tàm non æquè ſimpliciter verum. Poma Paradiſiaca Dei munere primum cibum hominum fuiſſe, poſteà panem non ſine ſudore parandum, conſtat. *Glandium nullus uſquàm eſus fuit apud Hebræos*, ait Renatus Moreau, doctus & nuperus interpres Scholæ Salernit. p. 283. Neque adeò in S. Literis nomen proprium extat, quod recorder. Lxx. apud Eſa. c. 6. v. ult. ponunt *Erunt ſicut glans*, ὡς βάλανος, *quæ excidit* ἐκ τῆς θήκης αὐτῆς *ex thecâ ſuâ.* Barbaros quoſdam fuiſſe βαλανοφάγους, ut Arcades, facilè aſſentior. Sed & hodiè non raro, in annonæ caritate, moli glandes, ac pinſi in panes ſolent. Quia tamen cultis quo-

ıoque nationibus, glandium quoddam genus
ı deliciis & inter bellaria eſt, *ut c. 13. praced. n. 6.*
e iis libenter accipio, quod dicunt Poëtæ, de pri-
is hominibus;

Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.

rnobius non crudis glandibus, ſed toſtis ſub ci-
ere veſci ſolitos indicat. *Itaque ſeculis antiquis ci-
ıs erant, aut ex cinere caldo glandes, aut ex ramis
lveſtribus bacculæ,* lib. 2. Ita dulciorem eſſe glan-
em aſſerunt, Bruyerinus de Re Cibar. lib. 11.
ap. 42. Cereris beneficio ut ajunt, hominum
enus

Chaoniam pingui glandem mutavit ariſtâ.

a, ut Ovidius, - - - *Correcta vetuſtas*

Quernaque glans victa eſt utiliore cibo:

rinoque pabulo, ut Apulejus, *mitis cibus* ſucceſſit.
*ec reprehendi debent priora ſecula, quod inventis
ugibus glandes ſpreverint & repudiaverint arbuſta,*
rnobius l. cit. quod Gentibus antiquitatem ob-
ctantibus reſpondet. Contrà excuſari non de-
ent, qui *glandibus adhuc veſcuntur poſt inventas
uges: ut ſimiles habeant labra lactucas.* Ita fa-
unt Judæi, de quibus Claud. Minos in Alciati
uercum: ita ſpreto Dei verbo, quotquot homi-
um doctrinas & commenta avidè deglutiunt.
orcorum hic cibus eſt, calyce foris ſpinoſo, pul-
â intùs amarâ: panem qui filiorum Dei aſper-
antur, illo paſci oportet. Sic aſinis cardui, ſu-
us glandes conveniunt. Eſt igitur glans Sym-
olum 1. Legis. - *Glans nocet, umbra juvat!* Sic
Iinos in Alciatum:

Umbra licet nobis lex ſit Vetus atque Propheta,
Sed nova lex Chriſti verior eſto cibus.

2. Sylveſtris, Philoſophiæ profanæ & curioſæ. *homines non decet iſte cibus!* Dicam verbo;

Quid juvat è ſpinis per amaros carpere fructus,
Cùm ſint pane Dei plena caniſtra domi?

3. Eadem Veneris impuræ. Undè glans in obſcænis, vide Pierium Valerianum, in Quercu. -*Amor Amaror!*

Ut ſpinoſa foris glans eſt, & amarior intùs:
Sic jacet in ſpinis, nil niſi amaror, amor.

4. At mitis, & quæ Διὸς βάλανος, *Jovis glans*, cibum ſalubrem, nucleumque ſuavem præbens, ſine aculeis, rara inventu, deliciæ primorum hominum, priſcam doctrinæ cœleſtis ſimplicitatem denotare poteſt. *In ſimplicitate fides eſt, in fide ſalus*, ait Hilarius.

Miſcuimus ſpinas inventis frugibus: olim
Simplicitate fides promta, ſalusque fuit.

5. Et uti glans ſub calido cinere toſta; ſic verbum DEI - *Sub cruce dulceſcit.* Vel, ut verſu quoque dicam:

Glans uti dulceſcit cineri ſuppoſta calenti;
Sic Domini Verbum ſub cruce dulce ſapit,

Nempè *vexatio dat intellectum*: & ubi diluceſcit, ut ait Auguſtinus, ibi dulceſcit. E. Proverbium eſt apud Ariſtophanem: ἐγὼ ἐμαυτῷ βαλανεύσω: quod Zenodotus exponit; *Ego mihi glandes excutiam* & torrebo cibum facilem paratu, vide Eraſmi Adagia. Poterit hoc apte reſpondere Simplex Chriſtianus:

Ipſe

Ipſe mihi excutiam glandem: vos paſcat ariſta,
Spinarum è vallo parta, labore gravi.

Sanè in Jovis Panegyri glandes ſolebant apponi, ut in memoriam revocarent priſcam frugalitatem: inde Proverbium de Sene: *multorum Jovis feſtorum glandes comedit.* Non in ſolo Pane vivit homo!

1. *Dant Sacræ quercus glandes, dant roſcida mella:*
Nil mihi vobiſcum eſt; Bacche, Ceresq; vale!
2. *Glans aluit Sanctos immortalesque Parentes;*
Poſt Cererem demùm mortis aperta via eſt.
3. *I labor & ſudor, cum frugibus: at mihi glandem*
Sponte ſuâ Tellus donet, & alma quies.
4. *Cur homines citiùs moriantur, percipe cauſam;*
Caſibus innumeris mortua grana vorant.

Sed quô dilabor. Multa alia argumenta inveniet qui *Glandes Paradiſiacas* frugibus præferre voluerit. 7. *Glandes è thecâ ſua dilapſæ*, ſparſimque jacentes, quas ſues vel devorent, vel pedibus conculcent, *Judæorum diſperſionem* ſignificant, ut ex Lxx. Eſa. 6. dixi. 8. Athenienſium mos fuit, ut cùm ſponſa domum duceretur, boni ominis causâ, puer patrimus ac matrimus præiret, *ſpinis coronatus ac glandibus*, qui vannum præferret, aut cunas panibus onuſtas, caneretque ſubindè: Φυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, *effugi malum, inveni bonum!*

Sint procul hinc curæ triſtes, & turpis egeſtas:
Pane domus ſcateat, lite vacetque thorus.

Sic Suidas & Eraſmus in Adagiis. *Mutatio in melius* indicatur.

Sunt ſteriles ſpinæ & glandes in cælibe vitâ:
Prole thorus cunas, tectaque pane replet,

Memini in Epitaphio ſermone Virginis, ad beatam in morte commutationem tranſtuliſſe: hoc ſenſu

Effugi glandesque ſuum ſpinasque malorum;
Nunc ſatior ſponſi pane beata mei.

Sed de glande ſatis.

5. De Cocco 2. jam dixi in Ilice Cocciferâ; cap. 13. num. 6. Vermi, qui in cocco naſcitur, ſe comparat Meſſias Pſalm. 22. v. 6. *Ego vermis ſum, non homo!* Ergo dicam;

Veſtes Coccineus vermis roſeo inficit oſtro,
Me Chriſti veſtit ſanguis, & ornat amor.

Cur rubra ſunt veſtimenta tua, Eſa. 63. v. 2.

Coccina noſtra tuo ſplendeſcunt Sanguine, JESU:
Et pro te ſanguen fundere cur pigeat?

Saul filias Iſraël veſtiviſſe dicitur *Coccino in deliciis,* 2. Sam. 1. v. 24. Quas? quando? credibile, quod Sponſas in feſtivitate nuptiali: vide Sanctium ibid. Quod ad rem facit quàm maximè. Cætera de Cocco, ſunt enim plurima in S. Literis, non exſequar.

Sequitur. 3. GALLA; ejus genera varia; *ſolida, perforata, alba, nigra, major, minor. Creſcit non die candidior, & ſi æſtu excepta eſt, areſcit protinùs, neque ad juſtum incrementum pervenit. Nigra diutiùs viret, creſcitque ut interdum mali compleat magnitudinem.* Plinius l. 16. cap. 7. & l. 24. cap. 4.

Uſus,

Iſus, in tincturis lanarum, & in medicinâ: impri-
nis Sanguinem ſiſtunt, & ſiccant fluxiones, Dioſcorid. & Galenus. Græci κηκὶς, & cum epi-
heto ὀμφακῖτις, præſtantior, quæ ſolida nullo ervia foramine. At ὀμφακὶς *calyx* dicitur; è uo glandes excidunt, *Cupula* vulgò, Matthiol. Gallæ nomem Itali, Galli, Hiſpani, & Germani re-
inent: Gallapffel / quod poſſes interpretari *ma-
um felleum*. Solidæ, non perforatæ, intus alunt eſtiolas, ut in omnibus reperire ſit, pro anni & ëris diverſâ conſtitutione, vel muſcam, vel ver-
niculum, vel araneum: Si volat *muſca*, futuri bel-
: ſi repit *vermiculas*, annonæ penuriæ; ſi currit *raneus*, peſtilentium morborum præſagium eſt, Matthiolus. Cauſam hujus præſagitionis ndagat Peucerus de Divinat. repetit in Horto Mylius. Eſt ergò *Malum malum*, è quo omnia ma-
a, quale extitit illud Vetitæ arboris in Para-
liſo.

Poma ſumus fœta inſectis, & fellea guſtu:
Sic ſunt, quæ Dæmon dat, mala mala, malus.

*Quæ glandem ferunt, omnes & gallam; alternisq; an-
is glandem: ſed gallam, Hemeris Quercus* Mitis, ἥμερος dicta, cap. 13. extremo, *optimam*. Crux Chriſti aliis *odor vitæ*, aliis *mortis*: 2. Cor. 2. v. 16. . Cor. 1. v. 23. 24.

Mellitas glandes Quercus, fellitaque mala;
Crux aliis vitam fert, aliisque necem.

Nigra galla dum viret formam pomi & magni-
udinem oſtendit. Ita - *decipit frons prima mul-
os*, ut ait Phædrus. Fallimur adſpectu!

Mala vides blandâ ſpecie, ſed fœta veneno:
Fallaci adſpectu neu capiare, cave.

6. Quod 4. *Pilum* appellant ex Theophraſt deſcribit Plinius: *Naſcuntur in Robore & pilul. nucibus non abſimiles, intùs habentes floccos molle. lucernarum luminibus aptos; nam & ſine oleo fla grant. Fert & aliam inutilem pilulam, cum capi lo, verno tamen tempore, melligeni ſucci. Gignun & alæ ramorum ejus pilulas, corpore non pedicul adhærentes, vario colore pictas: nam umbilicis can dicant: cætera nigra varietate diſperſa: media cocc colorem habent: apertis amara inanitas eſt.* It multa promittunt, nihil præſtant. Vide quæ d pomis Sodomiticis dicam. - *Nimiùm ne cred. colori!* Videamus 5. VISCUM, Eychen Miſpel *Druidæ Gallorum nihil habebant arbore, in quâ natum, & ipſo viſco ſacratius. Hoc è Cœlo miſſum putabant, & ſignum eſſe electæ à Diis arboris. Omnia ſanantem ſuo appellabant vocabulo:* [quaſi d. All-heil: Italis *Pania* dicitur, apud Matthiolum: quod forte Druidum vocabulum fuit, Græcæ originis, ut alia Gallorum veterum: πανία, ab ἰάομαι, ſano, ut ἀνία, mœror incurabilis.] *Ideò poſt Sacrificia præparata, Sacerdos candida veſte cultus, arborem ſcandens, aurea demetebat falce, ſagoq; candido excipiebat. Tum deinde victimas immolant, duos Tauros candidi coloris, precantes ut ſuum donum DEUS proſperum faciat, his quibus dederit. Fœcunditatem eo poto dari cuicunq; animali ſterili arbitrantur, contraqve venena omnia eſſe remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio eſt,* Plinius l. 16. cap.

44. *Bac-*

44. *Baccæ* ejus avium quarundam cibus ſunt, quas *Oenades* Græci, apud Athenæum, interpretes *Vinagines* vocant; item Turdorum, merularum: *nec aliter naſci creditur, niſi ſemine per alvum illarum reddito.* Inde Virgilio dicitur *Viſcum brumali frigore,*

Fronde virere novâ, quod non ſua ſeminat arbor.

Nec dubium quin ideo Germanis Miſtel dicatur, etſi quidam Miſpel ſcribant, quaſi d. *plantam ſtercoream*, è fimo notam. Sed hanc eſſe vulgi fabulam acutiſſimè & elegantiſſimè probat Scaliger, Exercit. 168. *ſic educi viſcum ex arboribus, quaſi cornua ex oſſibus animalium, Quamobrem*, inquit, *Jon Poëta Chius, in fabula Ceneo viſcum dixit eſſe ſudorem Quercus.* Vide cætera, & videtur vero vincere. Equidem aſſentior, ac puto viſco, miraculo naturæ, ad multa ſaluberrimo, hanc turpis originis abſtergendam eſſe maculam. Baccæ quidèm noxiæ ſunt homini, & *glutinum* indè excoctum lethale, ut ex Nicandro docet Dodonæus: Sed ſi cum rutâ decoquatur, intrò aſſumtum hauſtu, ſudorem expellit, ac Epilepticis prodeſt, ut Camerarius. Ligni & tenerarum frondium multiplex uſus eſt. Non tamen ſine ſuperſtitione anili, è Druidum traditione: itaque pro amuleto alligatur puerorum collo, contra epilepſiam, *exiguo, imò nullo, cum fructu*, ut ait Dodonæus: contra veneficia & ſagarum faſcinationes, impiè, ut Tragus. Durantius de Viſco:

Huc cedunt Vertigo ſimul, morbusque caducus.

7. Te

7. Tenet me viſcum, ut diſcedere tam citò non valeam. Druides multa antiquæ ſapientiæ, πατροπαράδοτα, retinuiſſe certum eſt, ex iis, quæ de eorum doctrinâ & inſtitutis habet Cæſar, & qaæ ex aliis addunt Merula Coſmograph. P. 2. lib. 3. cap. 11. & imprimis Schedius de Diis Germanorum Syngramm. 2. cap. 1. &c. *Undè ergò veneratio tanta erga viſcum Quercinum?* Ex Judæorum *Cabbalâ*, undè & alia; quod quanquam primò negat Schedius pag. 257. tamen poſteà diſertè affirmat, pag. 411. *à Patribus accepiſſe primæ vis, Germen aliquod Jehovæ in ſalutem omnium gentium aliquando eſſe naſciturum. Nec mirum, hoc Celtis innotuiſſe, cùm etiam crederent Deum ex Virgine naſciturum,* ait: de quo tamen nihil dicam. Sic Camerarius in Emblem. - *Rara juvant.*

Robore ab annoſo viſcum, ſanare caducos,
Quod valet, eſt Chriſti viva figura DEI!

Conveniunt miracula naturæ. Nam 1. ſine ſemine naſcitur; & quanquam in baccis ſemen habet; tamen *non Propter generationem; itaque nec in ullâ terra ſatum provenit, neque in quâvis arbore, ut* docet Scaliger. 2. Quare de cœlo miſſum Dei munere recte putabatur. 3. Pendet ex arboribus, Quercu inprimis, antiquiſſimâ religione Deo ſacratâ: ut docui cap. præced. 4. ramuſculos omnes habet *cruciformes*, quod & obſervat Matthiolus. 5. Folia buxea ferè, *linguarum inſtar* oblonga habet, Idem. 6. Eaque per hiemem vernant, & virent, etiam in arboribus quibusdam perdifoliis, ut in Malis noſtratibus, Scaliger contra

ra Theophraſtum. In Quercu tamen decidua ſunt. Quaſi naturâ Magiſtrà, ſemel mori debuiſſe Salvatorem. 7. His adde Salutarem efficaciam, & quæ de avium cibo, aliaque jam dedimus. 8. Neque *glutinum* fruſtrâ: quo capiuntur aves; implicantur erucæ; ne primas vitium gemmas erodant, in Hetruriâ: ubi peſtes hæ frequentes: quod proſpiciens Natura, omnium rerum parens, viſci multum Hetruriæ largita eſt, ne ob hanc peſtem vino deſtitueretur, ut ait Matthiolus; quâ causâ ſylvæ viſci feraces magno ibi pretio locantur, iis qui viſcum, gluten conficiunt: nec ſine magno Vitæ periculo id ex arberibus decerpitur, ut petentes funibus alligati in aëre pendeant. Idem. Ita Crux Domini multis ſcandalo eſt, & implicat ingratos ac incredulos, Eſai. 53. v. 2. Matth. 11. v. 5. &c. Sanè contra *morbum caducum*, ex Adami caſu hæreditarium, quem verè *Sacrum* dixerimus, & *Herculeum*, Soli Herculi monſtrorum domitori vincibilem, una hæc medicina eſt θεόσδοτ☉. Mitto alia. Nec tam amens ſum, qui ſtatuam hæc Gallorum Magis perſpecta fuiſſe: id puto, accipiſſe παλαιῷ λόγῳ; Mundi ſalutem olim promiſſam; & Sapientibus Gentilium quoque obſcurâ ſpe exſpectatam, in Viſco Quercino quandam habere imaginem. Hinc cultus ille, ſacrique ritus in legendo viſco, ex Plinio citati, & poſteà ſuperſtitio ac abuſus. Sit ergò *Viſcum* Symbolum 1. Crucis; aut Chriſti crucifixi. - *Planta omnia ſanans!* 2. Ea mundâ fide decerpenda eſt. *Caſta placent ſuperis. - Purá cum veſte venite! Sancta Sanctis!* vide Acerr. Philolog. meam l. 1. num. 146.

146. Imago S. Euchariſtiæ. Falx aurea, fidei manus eſt. Sagum candidum pura conſcientia: Sacrificium Laus & gratiarum actio; addendæ preces: cavendum ne in terram dedicat. Nam & illud inter leges eſt, ne viſcum, cùm legitur ex arbore, terram attingat. 3. *Turdus ipſe ſibi malum cacat*, proverbium eſt. Sic qui fimo peccatorum arborem collutulant ſalutarem, glutine illo ligantur: Vogelleim dicimus: *quo avium ligantur pennæ: ſi libeat inſidias moliri*, Plinius l. cit. ſic molitur auceps infernalis; *blanditiæ* mundi, voluptates, & ſua cuique ſcelera, *viſcus merus!* ut ait Plautus. Eſt tamen 4. etiam *Aucupium* quoddam *DEI*, idque duplex: *juſtitiæ*, quo irretiuntur peccatores, Amos. 3. verſ. 5. & *gratiæ*, quo capiuntur Turdi, deliciæ Dei & Angelorum. Martialis:

Inter aves Turdus, ſi quis me judice certet,
Inter Quadrupedes, gloria prima, lepus.

Hi viſco amoris & fidei adhæreſcunt. Indè pingi ſolet Chriſtus cum virgâ viſcatâ aucupis inſtas, cum epigraphâ:

Ein Vogelfänger bin ich: reine Hertzen fahe ich!

Auceps ſum, viſco illaqueans, ſine crimine, mentes.

5. *In Palæſtina ferunt eſſe oleas, quæ rubentibus baccis viſcum ferant: addunt, illas eam ob cauſam ſterileſcere. Nos à noſtrati ſcimus arborum etiam vitam exhauriri*, Scaliger. Pulchrè: Crux Chriſti crucis mortisque noſtræ vim vitamq; omnem exhauſit. Sic *Matrem peremit ſua Proles!* Undè illud Vulgatum;

Mors

Mors mortis morti, mortem mors morte redemit.
ed tempus eſt digredi ad alia.

8. Pergamus igitur 6. ad AGARICUM. *Fungus ? candidus, odoratus, antidotis efficax, in ſummis rboribus naſcens, noctu relucens, quo ſigno in tene-ris decerpitur. Galliarum glandiferæ arbores ma-imè ferunt*, Plinius 16. cap. 8. Fabuloſè quæ-am, ut ſolet. Nam in coniferis naſcitur, ut in ;edris Ciliciæ, Dioſcorid. & in Ciſalpinâ Galliâ, ıontibusque Tridentinis, in Laricibus, nec for-: in aliis, Matthiol. undè noſtri vocant, *fungum ırignum*, Lerchenſchwamm/ ut Itali, *Fongo di lari-e.* Nec noctu relucet, ut ad Plinium Dale-hamp. quanquàm fieri poteſt, ut vetuſtior re-ıceat, ſicut putre lignum. Democritus *fami-'arem medicinam* dixit; contra omnes morbos :x obſtructione ortos, Cerebri præcipuè, ut ıorbum Comitialem, apoplexiam, vertigines, & d genus, Matthiolus. Puto hinc nomen habere, ;yriaco Arabicum, à radice גרע *Garà*, Ajin for-iori cum halitu expreſſo, quaſi d. medicamen-um, quod *diminuit, incidit, humores educit*, de quâ 'irtute Idem ex Dioſcor. & Galeno. Mauritani *Garich* vocant. Qui in cocciferis, ilice & Quercu, ıaſcuntur *fungi*, lethales perhibentur à Nican-dro: In larice præter agaricum, naſci ſolent *edu-les gratiſſimi, ſapore inamaro, colore aureo, ſæpè tri-ginta librarum pondere*, Matthiolus in Dioſcorid. 4. cap. 78. Verbum Crucis, *Medicina verè fami-liaris.*

Nocte nitens eſcam dat Agaricus, & medicinam:
Sic Verbum Crucis, eſt lux, medicina, cibus,

Super-

Supereſt 7. MEL, quod in Ilice apes conficiunt:
- *Examina condunt.*

Corticibusque cavis, vitioſæque ilicis alvo,
Virgil.

Et conſtat *melleos rores, è cœlo cadentes, non aliis magis inſidere frondibus*, Plin. l. cit. *In Hircaniâ frequens arbor faciem Quercus habet, cujus folia multo melle tinguntur: Sed niſi Solis ortum incolæ occupaverint, vel modico tempore ſuccus extinguitur*, Curtius l. 6. Hiſtor. Galenus de Simpl. Medicam. refert ſuo tempore aliquandò, in æſtate, in arborum herbarumque foliis, plurimum mellis fuiſſe repertum, ut gaudio exultantes ruſtici canerent. *Jupiter mella pluit*. Plura de melle aliàs. Sic aureum ſeculum deſcribunt Poëtæ, quod fuit olim, ut Tibullus: *Ipſæ mella dabant Quercus*: & quod exſpectabatur ex oraculis Sibyllinis:

Et duræ Quercus ſudabunt roſcia mella,
Virgil.

Sic Claudian. *Rorabant Querceta favis*. Et Ovidius:

Flavaque de Viridi ſtillabant ilice mella.

Ea Palæſtinæ felicitas fuit; 1. Sam. 14. v. 25. 26. & eſt Eccleſiæ Chriſtianæ; in quâ de Cruce perenne mel manat. - *Prævento Sole legendum*, Sap. 16. v. 28.

Aërium cupiens mel Solis prævenit ortum:
Maturato opus eſt, ſi ſacra mella petis.

9. De uvâ QUERCINA breviter: excrementum quoddam fungoſum eſt, ad radices naſcens, *foris purpureo, intùs candido colore* & q. lactifero: ſiccatum in pulverem redigitur, utiliſſimum contra dyſenteriam & ſanguinis fluxus: ſuccus illitu

Poda

'odagricos juvat. Uva dicitur, quia fungi iſti, figu-
à ferè cordis, velut acinatim cohærent. Depingit
auhinus in Dioſcorid. l. 1. c. 121. & deſcribit Ca-
ıerarius in Herbar. Sponſus noſter crucifixus
'andidus eſt & rubicundus, Cant. 5. v. 10. Inde Paſ-
o ejus Malo Punico comparatur, à Caſſiodoro,
ide quæ dixi Volum. 1. S. Analect. l. 5. c. 14.

Purpurea eſt Querna uva foris, quæ candicat intus:
Candida ſic crucis eſt uva, cruore rubens.

Iac ſiſtitur ſanguinis fluvius, Pſal. 51. v. 15. Luc. 8.
. 43. & genua debilia roborantur, Eſai. 35. v. 3.
Ieb. 12. v. 2. 4.

Adde quod *Pyra* per inſitionem Quercus tuliſſe
ona viſa ſit, Ruellius l. 1. c. 22. *In quodam Heræ
ıco Oleæ & Ilices erant, ex unâ eâdemque radice
rognatæ, nullo humano artificio,* Pauſanias in Arca-
icis. Mirum! cùm Quercus, juſtitiæ arbor, oleæ
acis adeò ſit inimica, ut juxta poſitam enecet. Ad-
e *Suber* natantibus utile, de quo ſupra c. 13. &c.
Quæ omnia ad crucem facile eſt transferre. Hæc
obis omnia eſt: cibus, ornatus, lumen, medicina:
'iſcum, quo Diabolus ligatur, qui ſibi ipſi malum
reavit: alveus apiculatum mellificum: mellis ju-
iter deſtillantes ſcatebra: fructuum ſuaviſſimo-
ım mater: Tabula, quâ naufragi enatamus ad li-
ıs æternæ ſecuritatis. In quâ, ut David canit,
uſtitia & Pax ſe oſculantur. Pſ. 85. v. 11. Miro
mperamento, divino artificio!

Quercus atque Oleæ ſtabili ſe fœdere jungunt:
Cerne crucem; Pax hic juſtitiæque rigor.

ıperſunt multa. Itaque ne caput hoc prolixitate
edio ſit, in ſequens rejiciemus.

CAPUT XVI.

Quercus Materia, uſus, cultus, antipathia.

1. PErtinet igitur hoc quoque ad Crucem Domini, quod Quercus eſt

3. Materiâ firmâ.

Cariem vetuſtatemque non ſentiens, durabilis etiam in undis, inque ipſo mari naſci ſueta; ut in Rubro, & *in Luſitaniâ glandiferæ, quibus Thunni*, porci quaſi marini, *paſcuntur*, Athenæus lib. 7. ex Polybii lib. 34. hiſtor. - *Quid non effreni Captus amore auſit?* Ovidius.

Aſt medio glandes venantur in æquore thunni;
Sic ruit in vetitum captus amore nefas.

Haud timet mortem: cupit ire in ipſos obvius enſes. Seneca Medeâ. Haud procul Cauchis, Germaniæ populis, *navigant Quercus cum inſulis*, marinis fluctibus avulſæ litoribus: territæ ſæpè Romanorum claſſes, prælium adverſus arbores navale inibant, Plinius lib. 16. cap. 1. - *ſors incerta vagatur!* Lucanus!

1. Ut Quercus, avulſa ſolo, fert inſula circum;
Sic natat inſtabili vita caduca ſalo.
2. Sic incerta ſui, rapidis ruit obvia fatis
Vita hominum, ut Quercus ſæva procella rapit;

Hinc ergò eſt quod æquè, *Quercus*, aut magis, quam alnus vel ulmus, inter *aquarum potatrices* recenſetur, Ezech. 31. v. 14. Et ut à robore nomen habet,

habet, ſic fortitudinis Symbolum habetur, ut dicam deinceps. Talem cuneis adactis fiſſam, cùm immiſſis manibus divellere conaretur *Milo Crotoniates*, lentus ipſe, excuſſis cuneis fiſſurâ cöeunte, hæſit, pabulumque lupis de ſe præbuit, A. Gellius & Valer. Max. Confiſus - *Viribus ipſe ſuis periit*, Vis conſilii expers mole ruit ſuâ.

Præda lupis ſit dira Milo, dùm findere Quercum
Tentat; ſic Domini qui ſacra ligna, perit.

Eccleſia eſt *Lapis Probationis*, in quo vires ſuas quotquot experti, dirupti ſunt, Zach. 12. v. 3. De quo ex Hieronymi Commentario dixi in Theologiâ Symbolicâ. Adde quod Quercui Vita immenſa, ut dixi lib. 1. & moles par, Plinius l. 16. cap. 44. Scilicet ſtat crux Domini æterna: neque folia defluunt, ſed ſemper virent, ut in Ilice. Et, ut verſibus Virgilianis dicam, 2. Georg. - *quantum vertice ad auras.*

Ætherias, tantùm radice in Tartara tendit.
Ergò non hiemes illam, non flabra, nec imbres
Convellunt, immota manet, &c. quæ ſequuntur.

Tale eſt Regnum Crucifixi. *Regnavit à Ligno Deus!*

Fixa ſolo, vicina Polo, ſtat Quercus in ævum:
Fruſtrà concutiunt flabra hiemesque Crucem.

In Luco Dianæ Tuſculano Ilex erat xxxv. pedum ambitu caudicis, decem arbores emittens, ſingulas magnitudinis viſendæ, Plinius l. cit. Crux - *Sola facit ſylvam!* emittens innumeras Quercus Juſtitiæ. Eſ. 61. v. 3. quæ nec aquis vinci poſſunt, nec in mari putrent, Cant. 8. v. 7.

Sola facit Sylvam Sobole, vaſtiſſima Quercus:
Sola facit Sylvam ſtirps generoſa crucis!

In eodem Luco arborem eximiam Paſſienus Criſpus, Orator, bis Conſul, amavit: Oſculari amplectique ſolitus, non modò ſub eâ cubare, vinumque illi affundere, Plinius l. cit. *Amor meus Crucifixus eſt!*

Hic recubare juvat, lacrymarum hîc fundere vina,
Et dare ſacratis oſcula corticibus.

Sic Aquila in Quercu pingitur, cum lemmate: *Requies tutiſſima.*

Sub crucis hîc umbrâ recubo, Chriſtique ſub alis:
An requies uſquàm tutior eſſe queat?

Solent autem Aquilæ in altiſſimis Quercubus nidulari: exemplum dedi in Acerrâ p. 182. Aquila exta rapiens è manu avo Galbæ, fulgur procuranti, eaque in frugiferam Quercum conferens credita fuit familiæ ejus ſummum ſed ſerum portendiſſe imperium, Sueton. in Galbâ c. 4. *Crux via ad Regnum!*

Corda Sacrata Deo Crucis altâ in ſtipite, Regna
Sera quidem ſpondent, ſed ſine fine data.

4. Uſu ad multa idoneâ:

2. Puta, ad habitacula, ſupellectilem, naves, pontes, trophæa, coronas, & alia. Dicam paucis 1. Primi mortalium in Quercubus habitabant. Durum genus. Unde *Silices & Quercus* tales dicti Propertio: quibus *robor & æs triplex circa pectus:* Horat. Hinc Homericum Proverbium;

Non etenim è Petrâ, nec duro es robore natus.

Habet

Habet autem Quercus umbram ſalubrem & gratiſſimam. Neque alia materia ædificantibus magis expetitur. *Habet enim, cum terrenis operibus obruitur, ignitam æternitatem*, Vitruvius lib. 2. cap. 11. De Cruce optimè dixerimus: *-hic habitare bonum!* Matth. 17. v. 4. & ex Cant. 2. verſ. 3.

1. Hic cubo dilectæ Quercus ſecura ſub umbra,
Et dulces condo gutture hiante cibos.
2. Prima cavâ Quercu ſtruxêre habitacula quondam;
Sub Cruce, Chriſte! tua nos habitare juvat.

2. Ex iligna & quernâ materiâ fiunt *axes* plauſtrorum, *mallei*, *dentalia* aratri, *Lyrarum juga*, Porta è pluribus. *Crucis ampla Suppellex!*

Hac vehor, hac durum tero cor, glebasque reſolvo:
ſuſtinet hæc grata fila canora lyræ.

Ex eâdem navium carinæ & tabulata in lacubus & fluviis: ex Quercubus Remi Tyriorum; Ezech. 27. v. 6. *-Per lignum Salus!* 1. Pet. 3. v. 20.

Hac navi reſidens, ſpe remige freta fideque
Ingredior certum læta ſalutis iter.

Sic in Arcâ Nohæ *per Lignum redemptio crucis figuratur*, Proſper 2. de Vocat. Gent. c. 14. Indè Gregorius Nazianz.

Quæro Nohæ navim, mortis quo flumina vitem, &c.

Ut *Ulyſſes, cùm in dulce* Sirenarum *naufragium incidiſſet, cerâ ſociorum auribus inſertâ, ſe ad malum navis religavit*, ut ſeque & illos ſervaret: Sic *omne hominum genus de mortis periculo crucis arbor eri-*

puit. Ex quo enim Chriſtus Dominus religatus in cruce eſt, ex eo nos mundi illecebroſa diſcrimina velut clausâ aure tranſimus. Arbor in navi, eſt Crux in Eccleſiâ. In hac navi, quisquis aut arbori crucis ſe religaverit, aures ſuas ſcripturis divinis clauſerit, dulcem procellam Luxuriæ non timebit, hæc & plura B. Maximus Taurin. de Paſs. & Cruce homil. 4. Hæc eſt crucis victoria! *Fides vincit mundum!* 1. Johann. 5.

In cruce qui religans ſe, ſurdâ præterit aure;
Illecebras Mundi naufragiumque cavet.

3. Romæ *ſublicius Pons* ex ilicis materiâ fuit; ſine ferro, ære, clavis, ſubſcudibus, ita compactus, ut trabes eximi poſſent. Sacer habitus, à Pontificibus factus & ſæpè reſtitutus fuit, Plutarch. in Numâ Dionyſ. Halicarn. l. 3. c. 9. Varro de LL. &c. Virtute Horatii Coclitis defenſus, *cùm iter penè hoſtibus dediſſet, ni unus vir fuiſſet,* ut ait Livius l. 2. *Hâc iter ad Cœli Capitolia!*

Unus homo pontem diâ virtute tuetur:
Hoc ponto ad ſuperos, hoc Duce, certa via eſt.

3. 4. *Cruces inteſtina fuerunt Trophæorum*, Tertullian. Ita enim Quercus - *deciſis undique ramis efformabatur*, ut Crucis præferret imaginem. Hinc *Crucis Trophæum* toties noſtris celebratum, è quo non hoſtium arma tantùm, ſed & ipſi ſimul ſuſpenſi, ut Joſuæ 10. v. 26. Coloſſ. 2. v. 15. Tale ſibi *Trophæum* in Carmelo, nam in montibus erigi ſolebant, fecit *Saul*, 1. Sam. 15. v. 12. Vulgatus habet

habet, *arcum Triumphalem*: Saxeam molem fuiſſe autumant Rangolius & Sanctius, ut 1. Sam. 7. v. 12. & 2. Sam. 18. v. 18. Hebræi *fornicem ex palmis, olivis & myrtis contextum*. Sed Quercus erant in promptu, truncarique aliqua ingens facilè potuit in tranſitu, quæ exuvias hoſtium ferret, titulumque Regis dedicantis: *Hæc eſt manus Saulis!* Nos dicamus:

Hæc manus eſt Chriſti cruce fixi! cerne trophæum,
Et memori grates concine corde DEO!

Orthyades Spartanus in morte erexit trophæum ſuoque ſanguine inſcripſit: *Lacedæmonii de Argivis!* narravi hiſtoriam in Acerrâ, p. 275. Sic - *JEſus de Morte !*

Sanguine ſubſcripſi Victor de Morte Trophæum!
Ne timeas: tutum carpe, fidelis, iter.

Finis Trophæorum fuit, ut ad poſteros eſſent monumenta victoriæ, gloriæque tam victorum, quàm Deorum, quorum beneficio viciſſent, ut docet Pauſanias in Arcad. Quare ne hoſtibus quidem, religione prohibitis fas fuit amovere, ut Vitruvius de Trophæo Artemiſiæ, quod captâ Rhodo conſtituit, lib. 2. cap. 10. *JEHOVA NISSI*, Exod. 17. v. 25.

Sacra Trophæa DEO vincenti nemo moveto!
Æternum vigeat gloria honosque Crucis.

Hinc inter finitimos ſæpè inimicitiæ immortales ut Exod. cit. v. 16. ita Victor noſter - *Ponam inimicitias*! Geneſ. 3. v. 15.

Erecto Chriſtus, victo ſerpente, Trophæo,
Dedicat æternæ ſignum inimicitiæ.

Macedones itaque nulla excitabant, ut hoſtibus ad reditum in gratiam locum relinquerent: admonito divinitus, ut ajebant, Carano, regni autore. *Nam cum victo Ciſſeo*, qui finitimis imperabat, *Trophæum erexiſſet*, *Leo ex Olympo monte erumpens illud evertit*, Pauſan. in Bæoticis. Cùm Chabrias Thebanos quosdam proſtraſſet, ac Trophæum erexiſſet, Epaminondas deridens; *Hic ſane*, inquit, *Hecatæum potiùs erigi decebat!* Sic Hecates ſtatua dicebatur in Triviis poſita, aut in gratiam ſepultorum. Tale erexit Dæmon de Adamo - *Non Trophæum, ſed Hecatæum.* Leo de Cœlo veniens evertit, Apoc. 5. v. 5.

Rex Erebi proſtrato Hecatæum erexit
Adamo;
Sed Leo de Cœlo proruit adveniens.

De Trophæis plura Alex. ab Alex. 1. Genial. cap. 22. & Tiraquellus ibid. Lacerda in Æneid. 11. &c.

3. Jam 5. notum eſt, quod habet Alciatus;

Servanti civem Querna corona datur.

De coronâ civicâ, quâ donabatur, *qui civem in prælio ſervâſſet, hoſtemque occidiſſet, locumque ſuum retinuiſſet*, Plinius l. 16. c. 4. & A. Gellius l. 5. cap. 6. multa quoque Pier. Valerian. in Hieroglyph. &c. Erat è foliis ilicis eſculi, quercus, cuſtodito honore glandis. Aberat aurum, ne Salus civis pretio mercabilis videretur. Putabant enim: *homi-*

hominem ſervari lucri causâ nefas eſſe. Magni tamen honores collati ſimul: acceptâ perpetuò uti licebat. Ludos ineunti aſſurgebat Senatus. Sedendi jus erat in proximo Senatui: Vocatio munerum omnium ipſi, Patrique & avo paterno. Nec dabatur, niſi ſervatus civis ipſe teſtimonium perhiberet; aliâs teſtes nil proderant. Mos laudatiſſimus, & æternitate dignus, è quo multa priſcæ Sapientiæ, frugalitatis, modeſtiæ, mutuæque Pietatis documenta libare liceat. Cauſæ cur fronde glandiferæ arboris conſtaret, variæ afferuntur, quas habet Plutarch. in Quæſt. Rom. & ex eo Porta quoque Neapolit. l. 3. Villæ cap. 5. Boxhornius ad Plutarch. l. cit. &c. Potiſſimâ tamen ac fortè ſola vera, ex antiquiſſimâ religione: quia Quercus credita fuit primorum hominum Parens & alumna, quæ vitam & dederit & ſuſtentârit: quâ causâ Italia, *numine Deorum electa, ut eſſet terrarum omnium alumna & parens,* ut ait Plinius, folio querno aſſimilari debuit. Indè A. Gellius hanc coronam dixit, *teſtem dari vitæ ſalutisque perceptæ.* Quæ fere omnia ad eum honorem, quem Crucis ſuæ merito nobis Salvator comparavit, venuſtè queant transferri. Qui Civem fratremque ſervat, qui periculo proximum eripit - *æternæ*

Allectus urbi municeps,
Geſtat Coronam civicam,

ut de S. Laurentio canit Prudentius hymn. 3. Periſteph. ſub fin. Ea tamen non aliundè, nec meritò noſtro, paratur; ſed ex Cruce venit Dei ac Domini noſtri. Hinc Lucanus:

Servati civis referens inſignia Quercus.

& Claudianus 2. de Laud. Stiliconis :

Mos erat in Veterum caſtris, ut tempora Quercu
Velaret, validis qui fuſo viribus hoſte,
Caſurum potuit morti ſubducere civem.

Hæc Regum *felicitas, multis ſalutem dare, & ad vitam ab ipsâ morte revocare, & mereri clementiâ Civicam, Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriusque eſt, quàm illa Corona : OB CIVES SERVATOS !* Seneca lib. 1. de Clement. extremo. Legitur hæc inſcriptio in nummis antiquis, in quibus ex una facie Imago Imperatoris, ex alterâ Corona Querna viſitur. Undè multa emblemata fingi poſſunt. 1. *Ob Cives ſervatos :* vel *Servati præmia Civis !*

Qui fratrem ſervat caſurum datque ſalutem,
Huic Crucis è folio Querna corona datur.

2. *Non nobis, Domine, non nobis !* Pſalm 115. v. 1. *Deus ſua coronat !*

Civica, ſervanti fratrem tribuenda corona,
Non noſtris meritis, de Cruce, Chriſte, venit.

3. *Gratis accepiſtis, gratis date !* Matth. 10. v. 8.

1. *Quisquis amat purè, pretium non quærit amoris :*
Gratis, à Domino quæ data, danda ſalus.

2. *Grande nefas, hominem lucri defendere causâ :*
Qui ſervat ; poterit perdere nonne, dato ?

4. Fa-

Facite vobis amicos! Luc. 19. v. 9.

1. Ut cœlo capias Servati præmia Civis?
Serva quos Teſtes tunc tibi adeſſe velis.
2. Præparat in terris felix opulentia Teſtes,
Queis ſine, de Cœlis Civica nulla datur, &c.

5. Leges coronæ civicæ.

Præmia vis; ſerva cives hoſtesque trucida,
Et poſitus fueris quâ ſtatione, mane.

Sed progredi oportet. Eſt Quercus

5. Religione Sacra.

4. Cœpit illa paulò poſt mundum è diluvio renatum. *Origo* fuit divina in Quercubus apparitio, dataque inde SS. Patribus Oracula. Jam tùm elegerat DEI Filius arborem, in quâ olim ſuam majeſtatem, in ſummâ humilitate paſſionis ſuæ, eſſet revelaturus: ubi, ut S. Paulinus canit,

In Cruce fixus homo eſt, DEUS è cruce terruit orbem:
Mortem homo, verùm mors ipſa Deum patitur.
In cruce pendet homo, Deus è cruce crimina donat;
Et moriens Vitam criminis interimit,

in Obit. Celſi. Hinc mos ad Gentes deditus, cauſâ tamen ignoratâ. Inde *Sacra Jovi Quercus, de Semine Dodonæo:* atque *habitæ Grais oracula Quercus.* Solebant enim Dodonam ire, ut Homerus habebat.

Ἐκ Δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βȣλὴν ἐπακȣ́σαι,
Ut Jovis acciperent de celſâ oracula Quercus.

Dabant

Dabant autem ibi reſponſa *Columbæ*, Pauſan. Achaicis. Sic dicebantur fœminæ *Sacerdotes*, fat dicæ: ex alluſione vocabulorum Syriacorum, docet Bochartus in Canaan p. 822. Nam במאם *hemam* Columbas, אמאם *Emam* Sacerdotes ſignificat. Unde *Semiramis* quaſi *Serimamis*, Columba montis, ibid. fuit hoc oraculum in Græci antiquiſſimum. Origo tamen è Phœniciâ, undè advolâſſe dicebantur iſtæ Columbæ. Nam Phœniciâ navi advectæ ſagæ, præſtigiis ſui perſuasêre, rudibus tùm & divinarum rerum ignaris, Pelasgis, propè Dodonæam Quercum juſſu divino, Jovis oraculum condendum eſſe, u multis Herodotus in Euterpe l. 2. *Columbæ* dictæ ſunt, non tàm quod eſſent barbaræ, Syræ quippè, ut putat Herodotus; neque quod alluſione nominis eſſent Sacerdotes, etſi non rejicio; aut quod Diabolicis artibus Columbis uterentur, reſponſa daturæ: quomodo Corvi quoque oracula edidiſſe leguntur apud Clement. Alex. Protrept. & Cornices prodigio locutæ, &c. Sed quod, Pater novi generis humani, Noha jam in diluvio, primum quaſi felixque augurium à Columbâ accepiſſet: quæ jam tùm Spir. Sanctum præfigurabat. Ita æmulante ſemper Dei gloriam Diabolo. Vide, quæ breviter dixi *de Columba Duce Argonautarum, & Ænea* in Acerrâ l. 2. n. 204. Pinge Columbam in Quercu, & adſcribe: - *Hinc vera oracula diſce!*

Non dubia è Cœlo quicunque oracula quæris:
Diſce, quid è Quercu ſacra Columba canat.

Nam, ut ait Auguſtinus in Johann. *Lignum cui affixa*

ſixa ſunt membra patientis, Cathedra fuit Magiſtri
ocentis. Contrà Diabolus ex nigrâ Ilice quaſi re-
pondet, ut homines in errores & ſcelera ſeducat.
linc illud:

Sæpè ſiniſtra cavâ prædixit ab ilice cornix.

t apud Horatium l. 3. oda 17. - *aquæ augur Anno-
ꞌ Cornix*, atque iterùm oda 27. *Imbrium divina
vis imminentium:* quam Euphorion ideò dixit
πομάντιν. Sanè cùm nigra iſta & garrula cornix,
er ſerpentem, cum Eva ſermones ſereret, potuiſ-
t hæc jam tùm prævidere ſecuturas tempeſtates.
i mens non læva fuiſſet.

1. *Eva cave! nigrâ reſponſa dat Ilice cornix:*
Decipit auguris illa ſiniſtra ſuis.
2. *Ah fuge! ne nigrâ te fallat ab ilice cornix:*
Hac tempeſtates voce ciere ſolet.

'oſſet quis piè cogitare, arborem vetitam Glan-
iferam fuiſſe: ut in eodem ligno expiatum ad-
niſſumque fuerit peccatum. Neque deeſſent
rgumenta. Non aliam elegit magis ſemper Dia-
olus, in quâ homines ſeduceret: neque alia
nagis placuit DEO, in quâ ſuos ab errore revo-
aret.

Sic ergò *religio Symbolica Quercus* in ſuperſti-
ionem vertit, & ex Oriente navigavit *in Græciam:*
ndè per orbem ſparſa, *ad Druides Gallorum* perve-
iit. *Nihil illi habebant robore ſacratius*, Plinius 16.
:ap. 44. Hæſitque diu poſteris Germanis: *Sanctiva
ırbor* dicebatur, adorabaturque: vix ut Zelo ſtu-
lioque ſummo Chriſtianorum doctorum exſcindi
ales arbores, evellique animis ſuperſtitio potuerit,
ride Serarii hiſtor. Mogunt. l. 3. in Vita S. Bonifa-
cii,

cii, & Miſcell. Vitam Kiliani. Multa de hac Sche dius de Diis Germanor. Syntagm. 2. cap. 24. inter alia hoc more dedicatam Sanctivam Quercum Luci pulcherrimam eligebant Druides: ramos utrinque duos extantiores ſurſùm religabant ad ſtipitem: ubi coibant illi, inſcribebant *Thau*, ſignum ſalutis, in ſummo ſtipite; in medio nomen *Thanmis*; in dextro *Heſi*, & in ſiniſtro ramo *Beleni*. Si ait, SS. Trinitatis Myſterium adumbrare voluiſſe. Non credo tàm fuiſſe catos & doctos: conficta Chriſtianis, veri videtur ſimilius. Non nego tamen ineffabile illud arcanum, Patribus quoque olim fuiſſe cognitum, potuiſſeque ad iſtum modum, viſibili quodam Symbolo, rudibus exponi. *Noſſe Deum via ſola ſalutis!* Epigramma dabit Proſper Aquitan.

Quod Pater, hoc verbum Patris eſt, ſimul hoc utriusque
Spiritus, hic Deus eſt, unus & una fides!

Hoc ante Evangelium prædicatum neſciviſſe Druidas, nemo puto negaverit. Plus tamen de primævâ Traditione retinuiſſe, ſuisque diſcipulis *in arcanis ſpecubus* tradidiſſe, per manus ad poſteros propagandum, ut docent Cæſar & Pomp. Mela, multa ſunt argumenta. Lucanus tàm celebres fuiſſe indicat, ut judicatum fuerit; *aut ſolis illis noſſe Deos & Cœli Numina* conceſſum; aut ſolis negatum fuiſſe. Adeò ſingularem ipſorum Theologiam fuiſſe oportet. Atque id primò certum habebant; *animas non interire*: deindè *Unum ſemper Deum inculcarunt*, ut Origenes docet in Ezechiel.

Di

ıic tamen diverſa indita nomina, & diſtributa mu- ia. Hinc *Taramis, Heſus, Belenus:* quæ nomina yriacæ Originis eſſe demonſtrat Bochartus in Ca- aan. p. 735. & ſeq. Quaſi his nominibus colo- e voluerint *Jehovam Tonantem*, à רעם tonitru ictum: *Fortem Bellatorem*, עזוז *Hizzuz* Pſalm. 4. v. 8. dictum, & *Belum*, Dominum, quem Galli έλιν, Lacones Βέλα, Cretenſes Ἀβέλιον dixere, ıpollinem interpretari. Quod Galli hodierni adunt: *Druidas in celebri Baſilicæ Carnutenſis rypta aut ſpecu, Aram ſacrâſſe olim Virgini, quæ eum paritura eſſet*, ut habet poſt alios Ægidius ucherius in Belgio Rom. lib. 5. cap. 3. mitto. Sa- rificia humana, quibus - *immiti placatus, San- uine diro, Teutates* ut cæteræ gentes, immani Diaboli fraude, ex corruptâ antiquâ fide, de Sa- crificio crucis, acceperunt. Sed in viam redeun- dum eſt.

8. Sed & *in Italiâ* antiquiſſima fuit Quercuum religio. *Vetuſtior urbe fuit Ilex in Vaticano: in quâ titulus, æreis literis Hetruſcis, religione jam tùm di- gnam fuiſſe ſignificabat. Titulus* ergò inſcriptus, ut aris, *Apud Tiburtes quoque, qui originem multò ante urbem Romam habent, tres exſtabant Ilices, etiam Tiburte conditore eorum vetuſtiores, apud quas in- auguratus traditur:* Ut Abimelechus ſub Quercu Sichemiticâ, dixi ſuprâ cap. 14. num. 1. hæc ex Plinii l. 16. cap. 44. Atque hac cauſâ fortè Socrates per Quercum jurare ſolebat, &c. nobis crux ſan- ctiva arbor eſt, non illa lignea, aut ad ejus exem- plum ficta; ſed quam Dominus ſanguine ſuo dedi- cavit: paſſio crucis, ſpes fidelium. Abſit ut Idolum

facia-

faciamus ex Trophæo, quod de Idolis eorumqu autore victo fixit Dominus, Zach. 13. v. 2. Pagana ſuperſtitio *ex Quercu, Ilice, ſubere prima feci ſimulachra*, Eſ. 44. v. 4. Pauſan. in Arcad. qui ibid retulit: in ſuburbanis Orchomeniorum, veneratione fuiſſe imaginem, Cedro arbori incluſam *Dianæ*, quam ideò *Cedreatin* dixerint. Quomodò hodiè *Divæ Foyenſis imago fictilis*, Virginis nempè θεοτόκυ puerulum Jeſum geſtantis, *colitur: quam in prægrandi & annosâ Quercu incluſam repertam, cum ſuccideretur*, ajunt, de quâ Nierembergius de Mirac. Europæ lib. 1. cap. 69. Longobardorum lex fuit: *Si quis ad Sanctivam Arborem adoraverit: componat medietatem pretii ſui in ſacro Palatio.* Qui ex lignea cruce ſanctivam facit arborem, medietatem pretii ſui, quo emptus eſt Domino, ligno tribuit. At ille aut totum poſcit, aut totum ſpernit. Sed hæc alius ſunt loci. Denique ut abſolvam, eſt Quercus

6. Virtute & Antipathiâ mirâ.

9. Nam ſi juxta *Nucem* ſeratur, enecatur Quercus; ſi juxta *oleam*, enecat ipſam. *Serpentem* injectis foliis quernis emori; *Leonem* iis calcatis torpeſcere, perhibent Pamphilus, Zoroaſter, alii apud Portam & Ruellium. Ilex multo flore fructuque gravis, hiemen diuturniorem ſignificat. Didymus & Caſſianus ex Arato: addunt ſerilitatem anni portendere. Eadem fulmine frequentiùs icitur, &c. *Nux juxta Quercum*, Judæorum perfidiam denotare poteſt, ut de Nuce dicam: hac perit crux

crux Domini in pereuntibus, perditque virtutem ſuam, 1. Cor. 1. v. 23. Matth. 11. v. 6. *Grande ſpectaculum!* ut ait Auguſtinus: *Sed, ſi ſpectet impietas, grande ludibrium!* hoc eſt *Scandalum crucis!*

Ut Quercus vicina Nuci deperdit honorem;
Sic crux ingratis nil niſi ludibrium eſt.

Quod *de ſerpente & leone* dictum, accipiat quisque ut volet. Chriſtus crucifixus, virtute Paſſionis ſuæ, Monſtrorum domitor, inferorum terror eſt.

Domuit crux omnia monſtra.

1. Attigit inferni ſimul ac crux antra Tyranni,
Mortuus eſt coluber, diriguitque leo.
2. Ut folio Quercus ſerpens perit, & leo torpet;
Sic perdunt Stygias Cruxque fidesque feras.

CAPUT XVII.

De Quercu Regiâ Danielis.

Babyloniorum Rex potentiſſimus Nabuchodonoſor Arbori proceræ comparatur Daniel 4. v. 8. 11. Ea in fontibus expreſſe vocatur אילן *ilan*, id eſt, *Elon*, à fortitudine, *Robur*, *Ilex*, Ratio comparationis ducitur 1. à deſcriptione 2. ab exciſione. Ac de hac quidem plura addere non eſt opus. Deſcribitur 1. *à ſitus conditione*; quod viſa fuerit *in medio terræ*, hoc eſt, *in civitate Babylonis, quæ juxta ſententiam Alfragani eſt in quarto climate. Coſmographi enim terram ſecundùm latitudinem in ſeptem partes diviſerunt, quæ appellantur climata: ex quo colliges,*

R *quar-*

quartum clima eſſe medium terræ habitabilis, ita He-
ctor Pintus h. l. ſubtiliùs, quàm veriùs. D. Lutheru
bene vertit: Mitten im Lande: in medio regioni
in Chaldææ meditullio. Nec enim credibile e
in ſomnio Regio oſtenſam terram habitabilem un
verſam: & medium, more S. Scripturæ, non ade
mathematice accipiendum eſt. Reges Mediu
occupant regni ſui, undè in omnia extrema pr
ſpiciant, ſuamque potentiam extendant. Sua
hoc Alexandro *Galanus Gymnoſophiſta:* nam pr
jecto in medium retorrido tauri corio, cùm
nunc has nunc illas oras calcaret, cæteræ ſen
per aſſurgebant: Sed cum medio inſiſteret, qu
evére omnes. Sic faciendum monebat; ſi m
dia regni teneret, extrema omnia pacata fore
quieta, *Zonaras* 1. Annal. 2. *à ſtatus altitudine*; n
miâ, ut ad cœlum pertingeret, & ſupra omn
alias emineret. De quâ in Cedro. Rex eni
in regno eſt, quod Deus in cœlo: hoc ſolo inf
rior. 3. *à roboris fortitudine*; erat enim amplit
dine immenſâ, *magna & fortis:* quales Que
cus jam vidimus. 4. *à ramorum latitudine*, q
terminos univerſæ regionis amplectebatur;
à foliorum, fructuumque multitudine, quâ reg
ſplendor, opesque ſignificabantur, quibus ſu
jecti omnis ordinis ſuſtentabantur. *Folia*, inq
Theodoretus *vocat decus illud, quod conſpiciet*
tur in paludamentis, throno, ſatellitibus, &c. Fr
ctus, tributa: animalia ſubtùs: homines, ferino m
viventes, barbari: aves ſuprà, qui acutiore & n
tiore ingenio. Hector Pintus; *poteris*, inquit, *p*
volucres adulatores intelligere, vel homines leves

m

endaces; vel qui, dediti vanitatibus, affectant opes & dignitates; vel eos, qui altà mente præditi, in ſub-me evolant. Et mox: *belluæ erant in terrâ aves in mis: quia apud Reges juſti & docti debent eſſe ſuprà nſtituti, in dignitatibus & honoribus; inſipientes utem & impii ab omni gubernatione & principatu parari.* Scite! hoc eſt - *Specimen florentis Reipubli-*, ut diſciplinarum profeſſoribus opulenta præ-ia pendantur, *Symmachus* l. 2. Epiſt. 21.

Si ramis volucres ſedeant, animalia humi ſtent;
Hæc erit imperii lausque decusque boni.

a Marbodeus vetus Poëta Gallus de Lapid. pre-os.

Rex Pyrrhus digito geſſiſſe refertur Achaten,
Cujus plana novem ſignabat pagina Muſas,
Et ſtans in medio Cytharam tangebat Apollo;
Naturæ, non artis opus --

eges erunt Nutritii tui! Eſ. 49. v. 23. vide Theo-g. Symbol. cap. 150.

Ille Deo ſimilis Rex eſt, quicunque Camœnas
Diligit, & digito fertque refertque ſuo.

2. *Origenis ſectatores* hanc viſionem, non de Na-uchdonoſore, ſed de *Diabolo* interpretabantur; unc poſt multa ſecula pœnitentiam acturum, pristinam dignitatem, ampliorem que recupe-aturum docebant. Argumenta erant 1. *Quod fieri equiverit, ut in deliciis educatus ſeptennio toto fœno eſceretur: 2. ut tot annis ſine corporis laceratione nter beſtias vixerit: 3. ut regnum amenti tamdiu ſervaretur, & interim absque rege fuerit: 4. aut ſi uis ſucceſſerit, quod adeò fuerit vecors, ut cederet*

imperio, quod tanto tempore poſſediſſet. Nugæ meræ, quas neque Hieronymus reſponſo dignatu eſt, ex quo hæc. Addebant 5. *Imperium Nabuchodonoſoris non extendiſſe ſuper univerſam terram: orientis tantùm tenuiſſe provincias, id eſt, Aſiam: non Europam & Libyam.* Reſp. Hieronymus, per hyperbolen deſcribi. At 6. inquiebant, *Chaldæorum hiſtorias nihil tale continere: nec potuiſſe fieri ut qui de minoribus ſcripſerant, majora reticerent.* Reſp. non tacuerunt. Meminit furoris hujus Abydenus apud Euſebium l. 9. Præparat. cap. ult. ubi & Megaſthenis fragmentum, & Vaticinium Regis enthei, *de Mulo Perſâ*, qui babylonem everſurus ſit: vide Joſephum & Theodoret. Juſtum fuit, ut hominis amitteret ſpeciem, qui Deo par aut ſuperior eſſe volebat, humanamque mentem ferinâ crudelitate exuerat: maximè ideò, quod Oraculum Danielis ſpreviſſet, Propheticasque literas ſusque deque haberet! *Quid enim eſt homo ſine literis? nunquid non bos vel aſinus?* Auguſtinus ad Fratr. in Eremo. *Bos Coronatus* ut Alphonſi celebre apophthegma habet. Quod de his literis veriſſimum.

Qui Sacra contempſit Supremi oracula Regis,
Non Regis præfert, ſed bovis effigiem.

Arrianus lib. 8. deſcribit Barbaros quosdam Indos, efferato huic Regi ferè ſimiles: *corpore hirſuto, capitibus, & unguibus ferinis. Nam cum ferro carerent, unguibus ſecare ligna & piſces exoſſare conſueviſſe, pellibus ferarum, grandiumve piſcium tergoribus veſtitos.*

3. *Reges* interim regnaque *proceris arboribus* com-

omparari non eſt novum. Laurum, Cedrum, item Ficumque ſuis locis videbimus. De Pompjo Lucani elegans emblema eſt - *ſtat magni minis umbra:*

Qualis frugifero Quercus ſublimis in agro,
Exuvias veteres populi, Sacrataque geſtans
Dona Ducum, nec jam validis radicibus hærens,
Pondere fixa ſuo eſt: nudosque per aëra ramos.
Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram
Ac quamvis primo nutet caſura ſub Euro,
Tot circum ſylvæ firmo ſe robore tollant,
Sola tamen colitur, &c. lib. 1.

rippus de laudibus Anaſtaſii Quæſtoris,

- - - - ſtat fertilis arbor,
Sacrorum in medio nemorum pulcherrima viſu.
Per mundi ſpacium ramos quæ tendit opacos,
Fructibus omnigenis, etiam ſine tempore plena,
& nova maturis admiſcens germina pomis.
Cujus apex ſummi contingit ſydera Cœli,
Et radix de fonte bibit, Sacrisq; fluentis
Expandit ſatiata comas, & nubila ſupra eſt,

Idem de Juſtiniano defuncto lib. 1. de Laud. Juſtini cap. 13.

Arbor uti mediis avibus gratiſſima campis,
Annis victa cadens, antiquum robur opacis
Servat adhuc foliis, & corpore fuſa ſupino.
Languida per latas expandit brachia terras:
At circum querulæ volitantque ſedentque volucres.

Mœrentesque dolent ſedem cecidiſſe priorem,
Et quærenda novis arbor placet altera nidis.

Scythæ graviter ad Alexandrum: *Quid tu? igno-ras arbores magnas diu creſcere, unâ horâ exſtirpari. Stultus eſt, qui fructus earum ſpectat altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen pervenire con-tendis, cum ipſis ramis, quos comprehenderis, deci-das!* Curtius lib 7. cap. 8. Indicat Quercus bre-viter, 1. *Regiæ dignitatis majeſtatem;* ſunt enim Sa-cræ quaſi & Sanctivæ arbores. Principibus ſum-mum rerum imperium Deus dedit. Subditis ob-ſequii gloria relicta eſt. 2. *Præcellentiæ ſublimita-tem;* nam à Deo ſunt ſecundi, poſt Deum primi, Tertull. Apologet. cap. 30. de tali Quercu no-tum illud - *Cætera tantum*

Sylva ſub hac omnis, quantum fuit herba ſub illâ,

3. *Potentiæ firmitatem*; non facile ſuccumbunt.

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animumque caſu, Horat. 4. od. 4.

Sacra Jovis Quercus validis radicibus hærens
Perſtat: ſicca Noti concutiunt folia.

Alciatus Emblem. 42. ubi vide Minoëm. Hinc Quercus fortitudinis & firmi imperii Symbolum Pier. Valerian. l. 51. Hieroglyphic. Ferè ſemper re-floreſcit & repullulat regnum majeſtas, ſalvâ ſtir-pe, ut Dan. 4. v. 11. Adde 4. *fructuum utilitatem* hinc Artemidorus ait in Onirocriticis l. 2. c. 2 *Quercum ſignificare viros opulentos, propter alimo-niæ copiam:* & 5. indè *debitam benignitatem.*

Quan

uare ſub Auguſto cæpit mos, ut ante palatii res *duæ* ſtarent *Laurus*, *è quibus Corona Querna*, vica nempè, *dependeret*; Is honor habitus Impe- tori, ὡς καὶ ἀεὶ τοὺς πολεμίους νικῶντι, καὶ τοὺς πολί- ς σώζοντι, ut quididiciſſet

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

ion 53. Hiſtor. Tertullia. Apologet. cap. 35. e lauru Ovidius

Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos,
Ante fores ſtabis, mediamque tuebere Quercum.

taret utinam ante fores omnium Palatiorum! ut gredientes monerentur, Rempublicam ſtare *Præmiis & Pœnis.*

Quid geminas inter laurus vult Civica Quercus?
Præmia danda bonis, ſupplicumque malis,

dde denique 6. *Periculorum gravitatem*; à ferro, entis, tempeſtatibus. *ex Decreto Vigilium Dei!* t apud Daniel. *Alta cadunt!* Maxime cuique For- unæ minimum fidendum eſt, Livius

Fulmine diſcutitur Quercus, ſtat tuta Myrica,
Abjectis parcit, ſternit & alta Deus.

ta veteres dicebant: *Jovem, feralem manubiam, uæ vaſtat, ſtatumque mutat publicum & privatum, on mittere, niſi adhibitis in conſilium Diis Superiori- us.* Seneca Quæſt. Nat. l. 2. cap. 41. ſic vocabant, uos Daniel *Vigiles*, & agnoſcebant eſſe Θεοῦ παῖ- ας, Max. Tyrius diſſert. 1. ut dicuntur Jobi c. 38. . 7. Ita apud Victor. Uticens. 2. Vandal. Perſecut. *Paulus Epiſcopus arborem vidit ad cœlos ramis flo- entibus extenſam, omnemque ferè Africam opacan- em: ſed cum univerſi ejus magnitudine & ſpecioſitate*

 gaude-

gauderent: ecce! ſubitò venit aſinus violentus, qui cervicem ſuam ſuper robur radicum ejus defricans, impulſu ſuo, mirabilem illam arborem, cum ingenti ſonitu, eliſit ad terram. Arbor fuit Eccleſia Africana; Onager, Hunnericus Tyrannus. *niſi Dominus cuſtodiat!* Pſ. 127. v. 1.

Quam Dominus ſevit, niſi cuſtodiverit idem,
Heu facili caſu ſternitur arbor humi!

4. Addam pro epithecâ alia quædam emblemata, deſinamque *de Quercu* plura dicere; ne quis dicat: ἄλις δρυός. 1. *Quercum Danielis* notant ſignificare lapſum Adami; *- tamen hinc ſucciſa reſurgam!*

Decreto Vigilum ſucciditur arbor Adami;
Sed ſtirps in melius cœlica reſtituit,

2. Eccleſia ſimilis eſt *Querceto natanti*, vide cap. præced. 16. num. 1. *Terribilis, ut Caſtrorum acies!* Cant. 6. v. 9.

Ut natat, ut ſævos agitat terroribus hoſtes,
Quercetum Domini! *vis tamen omnis abeſt.*

4. Northuſii cum *Henricus* Thuringiæ Landgravius, *Munificus* dictus, & alio nomine *Malleus*, Equeſtres Ludos ederet. Arborem in medio ſtatuit argenteam, foliis aureis & argenteis. Ex his dabatur vincentibus brabejum. Fuit non inferior Xerxis Platano - *Henrici argentea Quercus*, de quâ Georg. Fabricius in Marchionib. Miſnenſibus. Sic de Theophilo, Michaëlis Balbi filio, Græcorum Imp. Glucas p. 4. Annal. *Arbores*, ait, *aureas fecit, in quibus omnis generis aviculæ conſidentes, melleum quendam fundebant cantum:* addit & alia organa πνυματικὰ effeciſſe. Brabevtes no-

ſter, eſt, - *& clemens & juſtus!*

Malleus eſt durus adverſus Jova rebelles;
Dona auro contrà dans pretioſa ſuis.

.. Materies Ilicis facile ſe frangit & diſſilit ſponte ſua: ob id Pericles Bæotios Ilici ſimiles dixit, quod ſe ipſos inteſtinis diſſidiis conficerent, *Porta.* Ita vinciri ſalicibus ſolet annoſa, ne dirumpatur. Hinc illud Camerarii Embl. *ne rumperer.*

Conſilio moderato animos frenato furentes,
Ut rigidas Quercus vimina lenta ſolent.

Utinam Chriſtiana manſuetudo & pax diſſidentium animos vinciat; *Vincitur, niſi vincitur!*

En Quercus dirupta ruit! jam brachia nutant!
Victa Noto niſi pax vinciat alma, cadent.

Obſequium juvenum, vita ſenum.

Annoſas Quercus ceu vimina lenta tuentur;
Sic juvenum pietas obſequioſa, ſenes.

Nam *Quercus propter annoſitatem ſenes ſignificat*, Artemidorus.

5. Robur dulcibus aquis demerſum nullâ marcoris tabe conficitur; ſed mari maceratum, conditumque, putret: quaſi dulcibus gaudeat, & ſalſas horreat aquas; *Porta. - Vitam Sacra dulcia præſtant.*

Dulci gaudet aquâ Quercus, marcetque marinâ:
Sic Verbi vivit læta liquore fides.

Sed de Quercu ſatis, aut fortè nimis.

CAPUT XVIII.

De Beroſch, Abiete.

1. POſt glandiferas ſequuntur *Coniferæ*, & prima quidem *Abies*, crebrò memorata S. Literis. Nam alias, quarum rarior mentio eſt, jam dedimus ſuprà, ubi de *Brutâ, Pinu, Cupreſſo*. Eſſe *Beroſch Abietem* propriè, citatis præcipuis S. Scripturæ locis, oſtendi cap. 4. Singula excutiemus h. l. Ac de locis quidem Eſ. 41. v. 18. 19. & cap. 55. v. 13. & 60. v. 13. dictum citato c. 4. ſatis eſt: ubi *Beroſch* recenſetur inter eas, quæ in Libano, & deſertis aquoſis naſcuntur, proceritate ac pulchritudine præſtantes. Apud eundem Eſaiam cap. 37. v. 24. *μίμησις* eſt Aſſyrii Regis, de ſe gloriantis: *Adſcendi ſuper altitudinem montium, ad latera Libani, & ſuccidi electa* ברושיו *Beroſchav* abietum ejus: Lxx. *τὸ κάλλος τῆς κυπαρίσσου pulchritudinem Cupreſſi*: alii, *electas pinus*, aut *fraxinos*, *Quod*, inquit Hieronymus, *μεταφορικῶς de gentibus earumque principibus debemus accipere*. Vel de regionibus & urbibus munitis, ut mox v. 26. Reſpondet Deus etenim; id, *quicquid potuit, ſuo potuiſſe arbitrio & juſto decreto. Merebantur enim impiæ gentes & infructuoſæ arbores, ut per te quaſi ſecurim & ſerram meam ſucciderentur & caderent*, Hieron. ſunt enim - Iræ inſtrumenta Tyranni.


His veluti ſerris abies procumbit humi; cùm
Vindicat irati crimina dextra Dei.

Notandum autem, quod hic quoque, ut aliis pluribus

Pag. 266



ABIES. *Mas.*



ribus locis, *Beroſch*, ſivè *Abies Cedro* jungatur, tanquàm dignitate proxima. Sic de caſu Regis Babylonii, *lætatæ Beroſchim abietes cum Cedris Libani*, quaſi d. *ex quo tu jaces, jam non aſcendit, qui ſuccidat nos*, Eſai. 14. v. 8. Elegans Proſopopœja. Contrà Zachar. 11. v. 2. *Ulula Beroſch, quia cecidit Cedrus*. Lxx. ὀλολυξάτω πίτυς, quo vocabulo *Picea* intelligenda, non *Pinus*: hæc enim πεύκη, dicitur, ut Dodonæus probat, *de Piceâ* agens: eſtque ea arbor abieti non abſimilis, ut dicam. Qui Cedris non pepercit, non parcet abietibus: meritò tremunt trabes, cum ruunt columnæ.

2. Ezech. cap. 31. v. 8. dicitur quod *Cedro Aſſyriacæ neque aliæ Cedri, neque Beroſchim pares fuerint; neque etiam Armonim*: Lxx. habent neque πίτυες, neque ἐλάτας: Vulgatus, *neque abietes, neque platani*. Apud eundem deſcribitur *Navis Tyria*, quæ *malum* habuit *Cedrinum*, è Libano; *remos quercinos* è Baſan; *tranſtra*, Bäncke und köſtliche Geſtühl/ *ex buxis ebore obductis*, ex Italiâ petitis, de quo Bochartus in Phaleg. l. 3. cap. 5. alii aliter: mira enim varietas eſt, de quâ non libet hic agere. Inter alia ait Propheta, quod huc ſpectat; *Abietibus de Sanir ædificaverunt tibi cum omnibus tabulatis*: ut indicaret; Navem & omnia tabulata ejus fuiſſe abiegna. De Lxx. lege h. l. Hieronymum, quàm longè à frontibus receſſerint. Habent hic palum quaſi, ad quem ſe exerceant, qui hos rivulos fonti præferunt, ut nuper *Iſaacus Voſſius*, vide Ezech. 27. v. 5. & ſeqq. Apud Hoſeam cap. 14. v. 9. promiſſio eſt divina: *Ego*, inquit Dominus, *ut Beroſch virens*:

virens: ex me fructus tuus inventus eſt. Ubi videtur & perennis viror, & fructus aliquis tribui huic arbori: Lxx. ὡς ἄρκευθος, *ut juniperus*, Vulgatus ut ferè ſemper *ut abies*, & cæteri ſimiliter. Pſal. 104. v. 17. *Ciconia*, Chaſida, *Beroſchim domus ejus.* Ubi Lxx. & Vulgatus ex iis mirè: τῶ ἐρωδιῶ ἡ κατοικία ἡγεῖται αὐτῶν, *Herodii domus dux eſt eorum*, vel *præſidet illis*, quaſi d. altior eſt omnium avium nidis, quaſi ſedeat *in capitibus illarum*, uti videntur legiſſe. *Herodium* Heſychius ait eſſe εἶδος ὀρνέυ Tirinus in Idiotiſm. num. 11. aliâs *milvum* converti, ut Zachar. 4. v. 9. aliâs *ciconiam*, ut hic & Job. 39. v. 13. Subindè *upupam*, ait. Janſenius: *Suidas Ciconiam putat, aut avem ſimilem: alii Ardeam: Auguſtinus, fulicam legit, id eſt, mergum.* Quæ ut omnia ſit Chaſida, quomodò fieri poterit? In fontibus limpida omnia. Nam etſi dubitet quis quænam ſit hæc *Pia avis*, *pietati - cultrix*, quæ agnomina. Ciconiæ propria? tamen alia eſſe nequit, quam quæ & laudem habeat pietatis, & nidum in abietibus. Quæ ſuperſunt S. Scripturæ loca *de Beroſch*, agunt de Materiâ ligni & uſu, ſuo mox loco explicanda.

3. Ex his apparet, 1. *Beròſch* omnium optimè *Abieti* convenire, quod res mox ipſa docebit: atque ita vulgatum ferè conſtanter poſuiſſe. Secuti ſunt plerique Latini & noſtri Interpp. Nam qui *Fraxinum* malunt, & refutari facilè poſſunt, ſi quis dicta dicendaque applicet, & non magnis moventur rationibus. *Avenarius* cùm ita diſputat: eſt *fraxinus utilis haſtis*: eſt quoque *Beròſch*, ut

ut audiemus : Ergô Beróſch eſt Fraxinus : Ex puris particularibus infert concluſionem. *Marinus:* Ego *Beróſch fraxinum* dicerem, *conſentiente voce latinâ.* Sed qui fraxinum à *Beróſch* Hebraico derivaverit, ridebitur. A montibus *confragoſis* dici ait Iſidorus : verius à *fragore.* Illud, 2. miror, qui Lxx. eandem vocem tot modis reddiderint, *Cupreſſum, Piceam, Juniperum, quin &* ξύλον ſimpliciter Eſai. 14. v. 8. Nam quod dicunt, qui hanc verſionem quaſi θεόπνευςον adorant : *Videri, apud Hebræos pauca eſſe diſtincta arborum nomina, eaque ſignificationes habere genericas, & includere multas ſpecies, etiam æquivocas,* ut ait Bonfrerius in Præloq. S. Scr. præfixo Commentario in Pentateuchum, pag. 62. id facili reſponſo refellitur: *non videri.* Contrarium paſſim toto hoc libro apparet. Neque dubium eſſe poteſt, cùm Deus de arboribus tàm ſæpè doctrinarum exempla acceperit, de notis & certis locutum eſſe. Et quis credat adeò rudes fuiſſe hujus Philoſophiæ, viros omnium, quotquot Sol adſpexit, ſapientiſſimos, ut *de cepis* fortè locuti, *de alliis* poſſunt intelligi ? Cum tot diſtincta extent plantarum nomina, non dubium eſt, quin plura in vernaculo uſu fuerint, quæ in S. Codice non extant. Quid ergò ? Lxx. Interpp. adeò vel patriæ linguæ, reique ruſticæ & arborariæ ; vel Græcanici ſermonis fuiſſe rudes ? an, quod illi admiratores illorum contendunt, *Spiritum Sanctum, hæc dictantem,* veram notionem nominum, tam quotidiano uſu familiarium, *vel non potuiſſe inſpirare,* quod cogitatu quoque blaſphemum eſt ; *vel noluiſſe,* ut crucem no-

nobis ſigeret, & objectâ ambiguitate, hiante nos dimitteret? quod annon æquè blaſphemiæ ſit affine dicere, ipſi viderint. An, quod veriſimillimum eſt, dicemus potiùs, *hanc*, quæ ab aliquo retro, & quidem multis, extat ſeculis, *Verſionem Græcam, non Lxx. Interpretum*; *nec unius, ſed diverſorum operâ confectam, paſſim vitiatam, corruptamque eſſe?* Quod etiam Vulgatæ verſioni, imò & noſtræ Germanicæ, accidit alicubi. Hinc tanta varietas. 3. Denique illud tamen non negabo *cognatis arboribus & parum differentibus, unum eſſe Hebraicum nomen in S. literis.* Quamobrem, ut nomine *Erez* variæ Cedrorum ſpecies, *Elon* aut *Allon* omnes glandiferæ continentur; ſic non negabo, *Beroſch Abietem & Piceam* poſſe complecti: quæ *adeò inter ſe ſunt ſimiles, ut ſæpè etiam fabros lignarios fallant*, ut docet Matthiolus. Noſtri *abietem* weiſſe Tannen/ *Piceam* rothe Tannen appellant.

4. Ut *Abies* ab eundo? ſic ἐλάτη ab ἐλάω: eſt enim ὑπερανομήκης: creſcendo in altum *progreditur* & cœlum petit recto ſtipite. *Cedrum*, ut ait Bellonius, *adeò æmulatur, ut dicere poſſimus Cedrum Abietis eſſe genus, aut Abietem Cedri*, l. 2. Obſerv. cap. 10. quod & utriusque ibi picta facies indicat. Quare Rabbini quoque Cedris annumerant: qui nomine *Erez* omnes Coniferas comprehendunt. *Unde nomen Beróſch ductum ſit?* incertum eſt. In Thargum abietes dicuntur ברזין *Berazin*. *Beraz* autem Arabicè ſignificat, *progreſſus eſt, proceſſit.* Adeò in nominis hujus notione cardinales linguæ conſpirant. Sed & vernaculum Tanne

dan

ἀπὸ τοῦ τείνεσθαι, *protendendo*, Tenen/ oder Dähnen/ eſſe videtur: unde & *area* Tenne/ locus planus & protenſus.

Species Abietis duæ ſunt; maſcula & fœminea, illa flore croceo, conifera: Coni quàm aliarum, longiores: in quibus κόκκαλοι incluſi, parvi, nucleo oſſis occaſi non majores, ut ait Dodonæus: fœminarum nuces non habent nucleos, Porta ex Theophraſto & Plinio. Corpus, cepæ inſtar, multiplici cortice tunicatur, totaque materia his tunicis contexitur. *Pars inferior, à terra, enodis eſt & Sapinus dicitur: ſuperior nodoſa duriorque, fuſterna*, Plinius 16. cap. 39. Varro tamen *abietes & ſapinos* diſtinguit. Et quam Galli vocant *Sapin*, Bellonio abies fœmina eſt. Stolones non emittit, negataque ei à naturâ nepotum procreatio, tum ſiccitate radicis, cùm quod toto impetu ſuo ſursùm contendat, Porta. Idem Picæ ingenium. Alciatus:

At picea, emittat nullos quod ſtirpe ſtolones,
Illius eſt index, qui ſine prole perit.

Reſina abieti vitium; undè fructus unus piceæ: exiguumque ſudat aliquandò contactu Solis. E diverſò materies, quæ abieti pulcherrima, piceæ ad fiſſiles ſcandulas, cupasque, & alia pauca ſecamenta, Plinius lib. cit. cap. 10. *Situs, in excelſo montium, ceu maria fugerit:* materia tamen *expetita navigiis*, Ibid. Undè - *abies caſu viſura marinos*, Virgil. Eadem *navium malis antennisque, propter levitatem, præfertur*, Plin. cap. 39. Eſt & bonitatis à ſitu differentia. *Romæ infernas abietes ſupernati præfertur.* Ibid. *infernas*, quæ in eâ parte Apennini, quæ ad Hetruriam

riam vergit, mareque Thuſcum, quod & inferun reſpicit: ubi quia perpetuos ſoles habet, ſiccita tibus exſucta ſolidatur, & in ædificiis ad vetuſta tem perdurat. *Supernâs* ad mare Adriaticum ſpe ctans, ſeptentrionali regioni ſubjecta, perpetui umbris augetur magnitudine, ſed venæ humor ſaturantur, &c. Vitruvius. Hoc quoque habe abies, quod *aſpernatur culturam*, hominumque di ligentiâ degenerat: & ut quibusque ſatis *umbr* aut nutrix eſt, aut noverca; ita abietis, quæcun que attigerit non dubiè *venenum*. Indè Caſto Durantes:

Effugias umbram, nocet Abietis umbra, venen Inſtar.

Moritur denique decorticatione, decacuminatio ne, & cùm medulla aufertur, de quibus multa Por ta. Quin & *procreat atque alit termitem, ab eoqu vitiatur*, Vitruv. Sed *de Abiete* quantum ſatis.

5. Ex abiegnâ materiâ ſtructæ *ædes*: eum i uſum, de Libano miſit Hiram Salomoni *Ligni Arazim & ligna Beroſchim*, 1. Reg. cap. 5. v. 8. 10 LXX. κέδρους καὶ πεύκας & ante κέδρινα καὶ πεύκινα Ubi *Beroſch* πεύκη *Pinus*, ut & 1. Reg. cap. 9. v. 11 Romæ abies infernâs electa, ut dixi. Et in Libanc differentia fuit materiei. Hinc *electæ abietes* dicun tur, 2. Reg. 19. v. 23. Eſai. 37. v. 24. *Navibus* ex petitas quoque vidimus, ex Ezech. cap. 27. v. 5 Inde Claudiano,

Apta fretis abies, bellis accommoda cornus.

Ennius, Argo navim *ex abiegnis trabibus* compa ctam fuiſſe retulit; Euripides eam quoque, quâ Pa ris Helenam rapuit. De Malis navium abiegnis

vid

ride Plin. l. 16. cap. 40. ubi in Navi Ægyptiâ arbor *raſſitudine quatuor hominum ulnas complectentium mplebat. In Ægypto tamen & Syriâ Reges, inopiâ bietis, Cedro ad Claſſes fruuntur uſi*, Idem l. c. Hinc yriorum *malus Cedrinus*. Non puto tamen inpiâ abietum, ſed luxu, quod Propheta indicat. *Iaſtilia abiegna*, ex Nahum. cap. 2. v. 4. colliuntur; de apparatu bellico inter alia; *habberohim* הרעלו *haralu*, *abietes concutiuntur*, velut rias Mont. *venenatæ fuerunt*: Lutherus, ihre Spieſſe beben: puto optimè: quaſi dicat manius geſtantium vibratæ, agitatæ, tremuerunt, um horrore. Lxx. οἱ ἱππεῖς θορυβηθήσονται. Legiſ: videntur *happaraſchim* Equites, ut notat chindlerus, &c. vide Corn. à Lap: ibid. Abies ro haſtâ etiam apud Poëtas: - *Longa transvererat abiete pectus*. Supereſt locus de inſtruientis Muſicis. *Ludebant coram Domino omnius lignis abietum*. 2. Sam. 6. v. 5. Lxx. ἐν ὀργάνοις ρμοσμένοις. Vulgatus: *in omnibus lignis fabreactis*: at mox v. 14. *David percutiebat in organis rmigatis*, ubi Lxx. eadem repetunt: ἀνεκρούετο ἐν γάνοις ἡρμοσμένοις. In fontibus nihil tale appaet. *quæ ſint organa armigata?* diſputent qui ulgati verſionem tuendam ſuſceperunt: *ex rmis* ſive humeris *ſuſpenſa* interpretatur Sanius. Mihi nomen Latinum è Græco fictum detur; *Armigare*, ex ἁρμόζειν, ἁρμογὴ, aptè cogmentare. Sed quæ fuerint illa organa Muca abiegna, allerley Seitenſpiel von Tennen Holtz/ . Lutherus ex textu l. cit. conſtat, de quibus lichaël Prætorius Tom. 1. Syntagm. Muſici.

S

Hinc

Hinc *de Abiete in Chelyn mutatâ epigramma illud*:

Vivebam nemori quondam ſine murmure vocis:
At mihi nunc vox eſt: ſic ego vivo chelys,

Simile illud *de Teſtudine* ænigma Sympoſii:

Viva nihil dixi, quæ ſic modò mortua canto.

6. Varia hinc Symbolorum & emblematum ſeges. Inprimis diligentius expendendus locus Oſeæ cit. cap. 14. v. 9. Sic dicet *Ephraim*; *Quid mihi porrò cùm Idolis? Reſpondebo*, inquit Deus, *& dirigam eum*, vel reſpiciam, κατισχύσω LXX. D. Lutherus: ich will ihn führen: *Ani Kiberoſch raanan:* Vulgatus; *Ego ut abietem virentem:* alii *Ego* ſcilicet ero illi *abies virens.* Quæritur; *Quem cum abiete comparet Deus?* ſene ipſum? an populum ſuum? *ſeipſum*, putant plures. Quo-modo? *Inclinabo me quaſi, ut manu me ſuâ poſſit comprehendere*; *ſicut abies frondoſa in terram inclinatur, ut homo prehendat ramos ejus*, R. Salomo: & non multò aliter Kimchi; *ſicut abietis caput incurvant ad radices ejus*; *ſic ego qui excelſum & Sanctum inhabito, cum eo qui humilis eſt Spiritu*, ex Eſai. 57. *Et ne timeas, quia abies fructu caret, ex me fructus tuus inventetur*, Aben Eſra. ὐδὲν ὑγιὲς: nam neque abies fructu caret, ut docui; & ramos non emittit à terrâ, ut apprehendi poſſint, ſed in parte ſuperiori, & circa cacumen, vide Dodonæum & quæ dixi num. 4. *de ſapino & fuſternâ.* Itaque LXX. non de vulgari abiete hæc acceperunt, ſed *de Arceutho. Ego ero ei ut Arceuthus*, πυκάζουσα, *denſitate frondium contegens.* Si dicitur *Juniperus*, ſed hoc loco *major illa*; qualem deſcribit frequentem ſibi viſam, Bel-

loni

onius, *in Tauromonte: altitudine Cupreſſi, fructu* *ulci, nucis ferè magnitudine, gallæ quodammodò* *mili, quo veſcuntur indigenæ: quod ex nucleis*, in- uit, *hinc indè collectis obſervavimus, quos qui pul-* *am exederant, abjecerunt: ii ſunt longitudine &* *aſſitie nuclei olivæ, adeò duri, ut niſi mallei ictu* *angi nequeant* l. 2. obſervat. cap. 110. *Vaſta hæc* *Hiſpaniâ, maximaq; ejus baccæ*, ait Plinius. Quæ men quantum à noſtrate differat, vide apud luſium in Hiſpan. Stirp. lib. 1. cap. 27. & ea ipſa *iſpanica*, non convenit cum hac *Aſiatica* Bel- nii. Inter notha Dioſcoridis hæc eſt deſcri- io: *Arceuthus magna, quæ Cupreſſus Sylveſtris, ut* *neſitheus*, medicus ſcil. Athenienſis, qui περὶ τῶν ...σῶν ſæpiùs ac Athenæo citatur, *Romanis Juni-* *rus, Cupreſſo ſimilis, naſcitur locis aſperis & mari-* *nis.* Quare Juniperus aliqua tantum ſimilitu- ne dicta, ut & Cupreſſus. Ad abietum genus, ex nipero confuſum, fortè referri poſſit, dictaque oprio nomine *Kiberòſch*, & indè Græcis ſylveſtris upreſſus, videatur. Hoc ſi eſſet, rectè vertiſſent ræci ἄρκευθον. Sanè deſcriptio Prophetica con- uit; nam & ſemper viret hæc arbor, & fructu lcamaro non ingrata eſt palato. Neque obeſt, od Virgilius habet; *Juniperi gravis umbra*, quod jicit Ribera. Nam neque ſimpliciter gra- n dicit Poëta, ſed *cantantibus*, vel ut alii ma- t, *cunctantibus*; & quod addit - *nocent &* *gibus umbra*, de Abietis umbrâ cumprimis rum eſſe audivimus, Ecl. 10. circa fin. Cre- ur tamen *Juniperi umbra caput gravare, &* *ucere ſomnos*, ut habet Porta: Inde *Letheum*

 dici

dici *ramum*, à Valerio Flacco, lib. ſcil. 8. v. 84. quem Apollonius 4. Argonaut. ἀρκεύθινον fuiſſe ait, quo Draco aurei velleris cuſtos ſoporatus fuerit, v. 156. Ubi Scholiaſtes notat, eſſe ἄρκευθον *arborem aculeatam*, *Apollini propriam*. Verum alia ratio fuit, cur Juniperi ramo uti voluerit Medea contra Draconem? non quia venenatus ſit, aut ſoporifer; ſed *quia venenis obſiſtat*, ut Hölzlinus notat in Apollon. & ſi *Lethæum* de juniperi ramo dixit Flaccus; fortè id quoque credidit, quod in quibusdam codicibus Dioſcoridis legitur; *ramenta hujus ligni devorata, aut epota homines interimere*. Quod falſum eſſe docet Matthiolus. Verum hæc nihil ad ἄρκευθον *Syriæ* bacciferam de quâ Lxx.

7. Hoc ſenſu itaque ad Meſſiam Dei filium pulchrè applicatur hæc promiſſio: *Ego ero quaſi Juniperus condenſa, ut ſub umbrâ mea requieſcat.* De *hoc ligno*, ait Hieronymus, *factas a Salomone Templi januas*, ex 1. Reg. 6. v. 32. ad quem & Hiram miſiſſe legitur *ligna arceuthina*, juxta Lxx. & Vulgatum, 2. Paralipom. 2. v. 8. *Materies* enim *æterna* habetur: ita *Sagunthi Templum Dianæ e trabibus Juniperi*, Plinius l. 16. cap. 40. Cur ergo de hoc ligno Templi Salomonii oſtia: *Quia*, pergit Hieronymus, *Chriſtus, per quem ad Patrem accedimus, hanc habet naturam, ut ſemper floreat, ſemper novos afferas fructus, & nunquam deponat virorem ſuum*, in Hoſeæ l. cit. addit Cyrillus; *ita eſt condenſam hanc arborem, ut ſit quaſi manufacta contignatio*; & Theodoretus; *aculeis arcere beſtias*

Der

)enique *dat fruges, & non ſolùm ſedentibus requiem* ·*d & ſaturitatem veſcentibus præbet.* Hieronym. Iæc huic loco pulchrè convenire nemo negave-it. *Omnia nobis Chriſtus eſt*, ut ait Ambroſ. de Vir-inibus.

Commoda Juniperi ſunt plurima; at omnia Chri-ſtus,
Janua, menſa, quies, vis, medicina, ſalus.

8. Verùm cùm totum locum Prophetæ inſpi-io, Vulgatum interpretem ſequendum duco, ui *cum Abiete Eccleſiam* comparat. 1. Quia ver-t præced. v. 6. 7. 8. eandem confert aliis arbo-bus. 2. Quia Deus commodiſſimè dicere po-uit: *Ego*, qui modò me pollicitus ſum *rore cœ-ſti irrigaturum Iſraëlem*, v. 6. *Ego reſpiciam, di-gam, educam*, ut rectâ in Cœlum tendat, ſpretis ım abjectisque humi idolis: *Ego*, inquam, *ſic rigam faciamque, ut ſit quaſi abies ſemper virens*, : poſteà iterum ad idola deficiat; *nec deerunt uctus; ex me dabit uberes;* quia ſine me nullos, ›hann. 15. v. 5. 3. Quià de ea loquitur, in quâ t *iri inventum fructus:* non ait autem in ſe, ſed x ſe in Eccleſiâ: Ergò non de ſe, ſed de hac quitur. Eſt autem *Abies* pulcherrimum *Ec-eſiæ Catholicæ electorum Symbolum:* maximè, de ſingulari accipias illâ, quæ baccifera quo-ıe eſt ut Juniperus: *ſemper viret* Eccleſia fide, *lum rectà petit* ſanctâ purâque intentione, *uctus parit dulcamaros* juſtitiæ; *rami perpetuo dine, uſque ad cacumen crucis formam exhibent, mper quaterni, ex totidem caudicis lateribus, de-ſſatim ſibi oppoſiti*, vide Bellonii obſerv. l. c. &

 Dodo-

Dodonæum, &c. Hæ notæ ſunt veræ Eccleſiæ. Vaticinium hoc agit de Eccleſiæ per Chriſtum reſtitutione: Decem Tribus, quæ Iſraël & Ephraim dicuntur, propter idololatriam & ἀποστασίαν à Deo rejectæ, & diſperſæ, ut jam eſſent, *Lo-Ammi*, Non Populus Dei, cap. 1. Hoſeæ v. 2. & 9. degenerârant in mores gentium, oblitæ avitæ religionis gentiles evaſerant: Per Evangelium vocatæ cum cœteris gentibus, reſtituuntur, ac mirandâ mutatione redeunt in priſtinam dignitatem. Cauſa efficiens Deus eſt: *Ego*, inquit v. 5. *Quaſi Ros ero:* Chald. *Verbum meum quaſi ros erit.* Hoc enim Chriſti beneficium eſt, qui eſt VERBUM Patris. *Similitudine roris è cœlo ſignificat, omnia nobis à Patre miſericorde contingere propter Filium*, Dn. Lutherus in Comment. *Gratia ſuperabundans pinguefaciet, & irrigabit eos cœleſtibus ſolatiis, per Spiritum Sanctum, ἄνωθεν*, Cyrillus ibid. Hinc tam miranda effecta. *Germinat* Eccleſia *ut lilium*, aut roſa, *propter fragrantiam bonæ converſationis*, Cyrill. & ſplendorem, qui in candidiſſimo lilio eſt. *Huic comparatur anima ſordibus peccatorum expiata, & ſplendidiſſima Baptiſmi ſtola ornata*, ut ait Theodoretus. Per hanc regenerationem, fidei *radices agit* profundas; *ſicut arbores Libani*: quæ *quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nullâ tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole conſiſtant*, Hieronymus. Sunt autem arbores Libani, non thuris arbuſculæ; ſed ingentes Cedri, de quibus plerique accipiunt, & abietes, omnis generis. Indicaturque Eccleſiæ *conſtantia*, quod

non

ion ſit, ἀνκατάσεισ©, Cyrill. *ſtetque contra omnes Inferorum portas, quia radicata in Petrâ Chriſto*, D. Lutherus. Sequitur *propagatio* & diffuſio per orbem terrarum, v. 6. *Ibunt rami ejus; creſcent filiis & filiabus*, Chald. ſcil. ex Deo natis. *Creſcet occulto velut arbor ævo!* ſignificatur *fidelium multitudo*, Theodoret. Adde *fructificationem:* non enim erit velut arbor vilis, ſed quaſi oliva, ἀειθαλὴς καὶ ἔυκαρ-π©, Cyrill. & indè *nominis celebritatem:* odorem diffundet *ut Libanus*, mons odoratis Cedris & aromatibus plenus. Ita erit εὐώδης *vocatorum fructus*, Cyrlli.

Qualis odor Libani celſis in ſaltibus halat,
Talem etiam Iſraël paſſim ſpirabit odorem.

Rittershuſius in Paraphraſi. Tum vero *convertentur*, recreabuntur, & ad ſe redibunt, ſpiritum recipient, ut D. Lutherus, D. Tarnovius, Sanctius, &c. *Sedentes in umbrâ ejus*. Eccleſiæ v. i. qui hactenùs ſub umbrâ Idolorum & legis maledictione contabuerunt, animamque egebunt; uti

-- Arboribus certis gravis umbra tributa eſt,
Uſque adeò, capiti faciant ut ſæpe dolores:
Si quis eas ſubter jacuit proſtratus in herbis.

Lucretius l. 6. Plinius l. 17. cap. 12. illi jam ſub umbrâ Chriſti, & Eccleſiæ refocillabuntur. *Sola enim Eccleſia contra peccatum, mortem & Sathanam veram habet conſolationem*, D. Lutherus. Tunc *vivent tritico; habitabunt in umbrâ Meſſiæ, & vivent, qui prius mortui*, Chald. *vivent in mandatis ei, quæ roborabunt eos ut triticum: idque* ut Ve-

tus habet traditio, *in morem vitis perenne erit, ut non ſit neceſſe quotannis ſeri, cùm venerit Redemptor*, R. Kimhi. Adeoque *floreſcent ut vitis, quæ poſt vindemiam non exareſcit, ſed & alterô floret annô*, Idem, ac putatione fœcundior redditur, ut & Eccleſia perſecutionibus creſcit. Atque, ut *vitis Libani vinum fert præſtantiſſimum, odore, ſapore, medicinâ*, ut Idem Rabbinus ex Medico Aſaph docet: quale fuit *Byblinum*, ad radices Libani, de quo Cornel. à Lap. h. l. Sic *Memoria* μνημόσυνον LXX. laus & fama, *ejus*, uniuscujusque fidelium, *erit in benedictione*, Pſálm. 112. v. 6. *Sicut Vinum Libani*. Tot bonis cumulantur, qui ad Chriſtum ſe recipiunt. *Quid ergò mihi cum idolis?* ubi contraria omnia? pereant, æternùm conculcentur: ita *Ephraim*. Benè, inquit Dominus! Diſcite à me, à gratiâ meâ, hæc eſſe omnia. *Ego reſpondi, ego dirigam*, gratioſo adſpectu: *ego vos quaſi abietem virentem!* cujus 1. *radix* ſingularis & ſimplex tantum deſcendit, quantum adſcendit arbor: radix autem Davidis & Eccleſiæ Chriſtus eſt: 2. *folia* ſemper virent; folia autem doctrina fidei: 3. *medulla* vitalis, quâ detractâ moriendum eſt; medulla hæc gratia Spiritus Chriſti eſt: 4. *cortex* multiplex tunicis, ut bulbus cepæ, quo in orbem undique detracto necantur abietes, quædam citiùs, quædam tardiùs; cortex & tunicæ chariſmata virtutum ſunt. 5. *Situs*, in montibus; nam

Fraxinus in Sylvis pulcherrima, Pinus in hortis:
Populus in fluviis, Abies in montibus altis:

Mons

Mons iſte Libanus eſt Eccleſiæ, 6. *Ingenium* hoc, ut Soli expoſita abies, æſtu & ſiccitatibus exucta, ſolidetur; æſtus, tribulationes ſunt: quin & culturam ac hominum curam reſpuit, eâque ſit deterior; ut Eccleſia hominum doctrinis & inventis, quàm de Cœlo curat Deus Solus reſpiciens. 7. Hinc *materiæ æternitas;* perdurat enim Electorum cœtus immobili Dei decreto: & 8. *uſus multiplex:* nam electi per caſus marinos alios transvehunt in Portum æternæ ſecuritatis, ut *navigia*; inhabitantur à Deo, ut *templa;* pugnant, ut *haſta;* laudant, ut *citharæ* & organa πνευματικά. Atque his quidem & aliis, quæ apud ſolum Portam legi poſſunt, Villæ ſuæ lib. 2. cap. 8. Abieti vulgari pulcherrimè. Similis apparet eſſe Populus Dei. Singulare eſt, quod *de fructu* additur. Nam etſi abietis quoque aliquis fructus eſt, tamen non expetitus adeò in cibum. Quare, quod huic Propheticæ fructus peculiaris, DEO hominibusque gratus, tribuitur; vel miraculo par eſt, undè & Deus ſibi adſcribit: *ex me*, præter naturæ vim & ordinem, *fructus: donum hoc erit benignitatis meæ, non opus naturæ: Quemadmodum ſi quis in abiete fructus inveniat, quales ipſa non ſolet parturire, beneficium id agnoſceret alienum eſſe, non vim naturæ*, Sanctius optimè, de viribus naturalibus: confer h. l. D. Lutherum: vel certè, de ſingulari aliquo genere abietis accipiendum eſt, qualem deſcripſimus Junipero quodammodò ſimilem. Atque hæc de dulciſſimo hoc vaticinio paulò plenius & copioſios.

9. Sit ergo 1. *Abies*, verum fructibus omnigenis onerata, *hieroglyphicum* Eccleſiæ & *fidelium*.

- Reſpiciente DEO

Fructibus omnigenis, quos nunquam parturit ipſa,
Stat fœcunda Abies, reſpiciente Deo.


Sic, ut habet Lauretus in Sylvâ Allegor. ex PP. abies ſignificat, *viros perfectos, in Domini ſervitute ſublimes, & fortes: mentes electorum, quorum converſatio in cœlis*, &c. 2. Quo pertinet abietis quaſi ſoror *Picea*. *Ea feralis arbor eſt, & funebri indicio ad fores poni ſolita, ac rogis virens: jam tamen & in domos recepta: quæ plurimam tamen fundit reſinam, lacrymæque ejus unicus ferè fructus, & intervenit candida gemma, tam ſimilis thuris, ut miſta viſu diſcerni non queat, & indè fraus Seplaſiæ.* Plinius lib. 16. cap. 10. Thus illud piceæ memoratur quoque à Trago in Herbario, & in Sylvis frequens colligi ſolet, Waldrauch vocant noſtrates. Imago Peccatoris Pœnitentis. *Lacryma Peccatorum, deliciæ Angelorum!*

Lacryma, quam Picea, Morti Sacra, fundit arbos,
Quis dubitet? gemma eſt thurea, grata Deo.

3. Abies non contenta terrenis radicibus, atque aërio vertice, etiam Caſus maritimos tuto ſubitura navigio, nec ſolum ventis, ſed etiam fluctibus certatura proceſſit, Ambroſius in Hexaëm. -- *Conſtantia victrix.*

Montibus Oceanas Abies deſcendit in undas:
Non horret fluctus mens animoſa fide.

Sic



IUNIPERUS.

ſic ferè Alciatus.

Apta fretis abies in montibus editur altis;
Eſt & in adverſis maxima commoditas.

.. Sic Chelys abiegna

- - *Vivens muta eſt, at mortua cantat.*
Quæ tacet in Sylvis vivens, ea mortua cantat:
Sic quoque mens Mundo mortua, viva Deo.

. *Picea,* quæ olim ante ædes ſtabat funeſtas, indi-io funeris; (quod exciſa non repullulet, ut alibi lixi in S. Analect.) noſtris moribus ibi poſita *vinum* venale indicat; ut hedera ſuſpenſa. - *non mortis,* ſed *nuncia Vitæ.*

Ante Domum Chriſti Picea quæ ponitur arbos;
Vitæ, non mœſti funeris indicium eſt.

. *Juniperi ramus* manu cœleſti protenſus, ſuper Draconem humi ſtratum, Chriſti de Diabolo vi-toriam ſignificare poteſt; - *æterno clauduntur lu-mina ſomno:*

Velleris aurati cuſtodem hæc Virga ſoporat;
Occubuit ſerpens: gloria parte cruce eſt.

. *Serpens*, hyberno ſitu marcidus fœniculi ſucco xuvias deponit, membranamque exuit, à capite xorſus: viſuque obſcurato hibernâ latebrâ, oculos narathro ungit, eique ſe affricat: *& ſi Squamæ ob-orpuêre, ut difficiliùs ſeparentur, ſpinis juniperi ſe cabit,* Plinius l. 8. cap. 27. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes!* Matth. 10. Epheſ. 4. v. 24.

Juniperi ſpinis Squamas ſcabit anguis, & aufert:
Sic nitidas mentes ſpina moleſta facit.

Vide Pſalm. 120. v. 4. Ezech. 2. v. 6. ſed de Juni-pero in *Rothem.*

8. *Ci-*

8. *Ciconia in Abiete* nidulans, pietatis imago eſt, vide Alciati Emblem. 30. *Pietas homini tutiſſima virtus!*

1. *Abjete ceu celsâ Pietate Ciconia nota,*
Sic habitat ſummo mens pia tuta polo,
2. *Nidulus in Chriſto eſt tutiſſimus: indè procellas*
Deſpicit, & Stygias Mens fugat alta feras.

9. Abies alta petens ſemper, *ſuperbiam* denotat: hujus umbra ſatis omnibus venenum eſt, ut nulla creſcere poſſit virtus, Lauretus ex Ezechiel. 27. l. cit. - - - - *Nocet & necat umbra.*

Ut terra natis eſt abjetis umbra venenum;
Faſtus Virtutum ſic ſata cuncta necat.

10. Abies ramis ſuis *cruciformibus*, crucem ſignificat, quæ Navis Eccleſiæ malus eſt & antenna, - - *Lætum velificantibus omen!* Undè Artemidorus in Onirocriticis notat, hoc genus arborum navigantibus bonum eſſe, quod indè naves ſtruantur: cæteris torporem & timorem ſignificare, quod ſolitudine gaudeant.

1. *Carbaſa votorum geſtat Crucis omnia malus:*
Hac visâ; ſpes eſt, omnia ſalva fore,
2. *Qui crucis adſpectat malum, neque navigat; illi*
Infandâ torpent pectora deſidiâ.

11. *Pityocampæ in piceis naſcuntur*, Plinius lib. 29. cap. 4. circa fin. Erucæ ſunt ruſeſcentes & piloſæ: circa cacumina in extremis frondibus nidificant miro artificio. Nidi, qui tenuiſſimis in volucris, ſeri-

ͅerica ſtamina imitantibus, conſtant, tam ampli ͅunt, ut ſinguli millia vermiculorum emittant, ͅatthiolus in 2. Dioſcorid. cap. 55. Hinc πίτυς à ͅheophraſto φθειρόποιος dicta. Imago curarum ͅrumnarumque, quibus vita hæc mortalis ſcatet ͅirac. 41. v. 1. 2. *Omnia habent Vermem ſuum*, ait ͅuguſtinus.

Ut Piceam Campæ; ſic Vitam millia diris
Curarum infeſtant ſollicitudinibus.

2. *Picea* ſepulchrali feretro appicta, id ſignifiat, quod dici ſolet: *non eſt ſpes ulla ſepultis!*

Nec picea abs radice exciſa repullulat;
& nos
Sola poteſt vitæ reddere dextra Dei.

ͅed hæc ſufficiant. Poſſem addere in ſuperponͅium, quod in orgiis Bacchicis δρυὸς ἢ ἐλάτης κλᾴη: *Quercus aut abietis frondes* geſtarentur, in ͅonorem Bacchi, docet Meurſius in Arboreto ͅb. 1. cap. 1. &c. *Quercus* fœcunditatis, *Abie*, ſteriͅtatis ſymbolum eſt. *Bacchus & armiger Veneris ͅt & hoſtis.*

Fœcundos faciunt moderato vina calore;
Immodice vires frangere ſumta ſolent.

ͅunc ad alia.

CAPUT

CAPUT XIX.


De Erez, Cedro, inprimis Ezechielis cap. 31. toto.

1. EREZ, quod vocabulum plerique *Cedrum* interpretantur, Hebræi omne coniferarum arborum genus continere ajunt: *Hebræorum alii ſeptem, alii decem, alii viginti quatuor numerant ſpecies Erez*, Bochartus in Canaan lib. 1. cap. 35. neque aliter Arias Montan. in Natur. Obſervat. & Buxtorff. in Lexico. Sunt autem coniferæ 1. *Cedrus Major*, quæ & ideò Græcis κεδρελάτη, ac *minores*: 2. *Abies*; 3. *Cupreſſus*; 4. *Pinus*, cum *Pinaſtro*; 5. *Picea*, cui affinis 6. *Sapinus*; 7. hæ ſemper virent, perdifoliæ ſequuntur; ut *Larix*: & quæ reſiniferæ, non & coniferæ, ut *Terebinthus Juniperus*, *Lentiſcus*, *Betula*. Singulas hoc ordine deſcripſit Porta Neapolitan. l. 2. Villæ ſuæ. Coniferarum, quantum colligi poteſt, hæc extant nomina in S. literis: *Beroth*, quam dixi *Brutam* eſſe, Cupreſſo ſimilem, cap. 5. 2. *Beròſch*, quo nomine proprie *Abies* dicitur, forte etiam πίτυς *Picea* Abieti ſimilis; & genus quoddam ſingulare, mixtæ naturæ è Junipero & Abiete fortaſſis, de quibus cap. præced. 3. *Thirza*, *Cupreſſus*, ut docui cap. 7. Item forte 4. *Thidhar*, fagus abiegna, *oxya* Græcis; *Tæda* aliis: ut cap. 8. Tum 5. annumerant quidam *Oren*, quam *Ornum*, *aut Acerem* eſſe putabam, cap. 6. quæ ad Coniferas non ſpectant.

6. In-



CEDRUS Magna.



Inprimis *Erez*, Cedrus propriè dicta, & 7. *Go-*
er, ac 8. *Sitta*, de quibus deinceps. Cum igi-
: quædam hujus generis arborum, proprium
men in S. Codice non videantur habere, ut
nus, *Pinaſter*, *Sappinus*, *Larix*; non abſimile
ro eſt tales generali nomine *Ez Erez* compre-
ndi potuiſſe. *Pinum* ſane ſic Hebræis, Thal-
ıdicis, Arabibus appellatam; & inde Ebu-
n, quæ *Pityuſarum*, ſivè *Piniferarum* Inſularum
ajor eſt, *Ereſum* quoque dictam ſatis probat
chartus l. cit. An verò Erez S. Scripturæ alia
àm Cedrus εἰδικῶς dicta, & nomen hoc, pro alia
bore coniferâ in eâ poſitum ſit? ſingulorum
corum inſpectio docebit. Præcipua, ſunt e-
n perquam multa, videbimus. Exorſi *à loco*
echielis.

2. Si quis arborem laudare velit, *præcepta* da-
nt Rhetores, ut Voſſius lib. 1. Inſtit. cap. 5.
ct. 37. *Exemplum* h. l. Propheta abſolutiſſimum.
gumentum totius capitis conſtat enthyme-
ate unico, ducto ab exemplo impari majori.
on potuit ſtare Cedrus Aſſyriaca, Ergò multò
nus Ægyptia. Antecedens amplificatur expo-
one, juxta artem. Eſt autem *Parabola*; cujus 1.
lebimus *Cordicem*, 2. *medullam*.

Arbor quam laudat Propheta eſt *Erez* & qui-
m *Libani*, ut præſtantiſſima ſui generis intelli-
tur: *Cedrus major*, quæ & *Cedrabies*, Plin. l. 13.
5. Nominis etymologias, quas Græci af-
runt, quibus hæc arbor non fuit vernacula,
tto. Quis non rideat dictam κέδρον, quaſi καυο-
νης δρυὸς ὀπὸν *arboris humorem ardentis*? Iſidor.
l. 17.

l. 17. cap. 7. Similes habes apud Autorem Etymolog. M. Ipſe ſonus vocabuli Hebræam originem indicat. *Kadàr* eſt nigreſcere, tenebreſcere. Hinc propè Hieroſolymam, urbem inter & montem Oliveti, *Vallis ac torrens Cedron.* Joſephus vocat κεδρῶνα, ut Græcia ἐλαιῶνα, δαφνῶνα, πλατανῶνα, loca his arboribus conſita. S. Johannes Torrentem τῶν Κέδρων, ut omnes Græci codices. Corruptos affirmare nulla cogit ratio, nec pium videtur, aut tutum. Margines vallis & torrentis Cedris conſitos fuiſſe nihil prohibet in quo Grotio puto aſſentiendum: diſſentiant licet doctiſſimi viri, Beza, Druſius, Franciſcus Lucas Brugenſis, &c. vide Dn. Dilherri Diſp. Acad. 2. Tom. 2. *At Cedri* inquiunt, *magis gaudent montibus, quàm torrentibus.* Reſp. his quoque ac locis aquoſis, ut audiemus. *Sed Cedri nomen proprium eſt Erez.* Reſp. γενικὸν, ut dictum. Nam ſpecierum alia etiam fuêre nomina: Neque quia Erez magis uſitatum, ideo Kedron, unde Græci & Latini mutati, nullum, vide Grotium in Johan. 18. v. 1. *At Torrens iſte ab obſcuritate magis apparet dictus.* Reſp. opponuntur componenda. Sic Sylva Hercynia ex parte Nigra; der Hartz- und Schwartzwald/ ab umbrarum denſitate. *Sed nulla hodiè ibi Cedri.* Reſp. eſto! neque mirum. *Sativæ* erant olim ſtante Templo & urbe, *non nativæ.* Ex quo coli deſierunt, defecerunt. Sic & in Libano hodiè raræ, oſtenſæ à Calojeris in ſummo vertice, ubi Monaſterium habent, Bellonio l. 2. obſervat. cap. 94. viſasque Rhauwolff in Itinerar. At in Tauro frequentes.

3. Hanc

3. Hanc arborem laudat Propheta *ab ornatu*,
.3. & iterum, 7. 8. à *ſitu*, v. 4. ab *uſu*, verſ. 6. ab
rtu, v. 9. deſcribitque tandem *interitum*, v. 10.
t ſeqq. In quibus præcipui loci Inventionis, ab
djunctis, ab effectis, à ſubjecto, à causâ efficien-
, additis contrariis & comparatis. Adeo Diale-
icæ & Rhetoricæ Autor eſt Deus, inventores
rophetæ! videbimus ſingula, ſed breviter 1. *ad
natum* ſpectant pulchritudo ramorum, denſi-
s frondium, altitudo ſtipitis & cacuminis. *Pul-
ritudo* apparet *ex coma* ſemper virenti & inde-
duâ: *ex cortice*, cujus pars infima, usque ad
mos aſperior; reliquus totus glaber & lævis,
ter ramos elucet, *colore jucundiſſimo*, qualis
oti arboris in cœruleum nigreſcens, ut nulla
culos blandius excipiat & alliciat, apud Mat-
iol. Accedit *ordo ramorum* mire concinnus.
am non altè à terrâ incipientes, caudicem
beunt orbiculariter, quantoque ſurgunt al-
is, tantò decreſcunt, ut procul intuentibus
yramidum formam exhibeant, perque inferio-
s ad ſummos, quaſi per ſcalas, facilis ſit ad-
enſus. Hinc & *Cedri DEI* Pſalm. 89. verſ. 11.
ropter eximium decus, quaſi DEO dignæ,
ondes denſitate umbram faciunt, fragrantiâ
atum odorem adſpirant: *fructus* in iis, conis
ietum non abſimiles, læviores tamen, brevio-
sque, nec deorſum penduli, ſed ſubrecti in cœ-
m. *Amplitudo & altitudo* incredibilis. In Cy-
o CXXX. pedum longitudinis, craſſitudinis
l quinûm hominum complexum: in Syriâ vix

 terni

terni homines complecti caudicem queunt. Pul-
chriores & ampliores hortenſes & ſativæ. Hinc
illud; *Quaſi Cedrus exaltata ſum!* Sirach. 24. v.
17. de quo deinceps. Quin & *radicis* v. 7. me-
minit Propheta, quam Cedrus longè maximam
habet, ſpatio & plenitudine, Ruell. hæc & alia
ex Plinio & Theophraſto. Denique reſpectu hu-
jus ornatus hanc Cedrum ſuam omnibus arbo-
ribus præfert Propheta in Paradiſo DEI, *v.* 8.
ipſis etiam *Arazim* Cedris aliis. Supra quas emi-
nuerit,

Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi.
Eſt autem *Cedrus alia*, ut dixi, *majôr*; aliæ mino-
res, ut *Phœnicia*, quæ & *oxycedros* à foliis acutis,
& *Lycia*, foliis obtuſioribus: illa Junipero ſi-
milis; hæc Tamarici, aut Sabinæ: baccas fert
utraque, illa tamen majores, nucis Ponticæ ali-
cubi, aut myrti magnitudine: edules ſunt, pri-
mò virides, mox flaveſcunt, & demum rubent,
Dodonæus & Plinius l. 13. cap. 5. aliique. Se-
quitur. 2.

4. *Situs* 1. *in Libano*, ubi olim celebratiſſi-
mæ, quà Sacris, quà profanis Literis. Inde Pro-
verbium; *Cedrus Libani*, Pſalm. 92. v. 13. &c. Ho-
die paucæ ſuperſtites, & ſi recte numerarunt,
qui narraverant Rhauwolffen in Itinerario, vix
XXIV. Sivè quod curâ & culturâ neglectâ de-
generarint; ſive DEI maledictione, ut Jerem.
cap. 4. v. 23. Deinde 2. *ad aquas*, ut ait Propheta.
Nam etſi gaudet locis frigidis & ſaxoſis; tamen ut
alimentum habeat moli ſuæ ſufficiens, humore
multo opus eſt. Eum itaque tam copioſum attra-
hit,

nit, ut & vicinia impertiat, quantum ſatis eſt. Verba Prophetæ penitam ejus naturæ peritiam oſtendunt. *Aquæ*, inquit, *nutrierant illam*: non Nili, ut Cornel. à Lap. ubi nullæ Cedri celebrantur. Nam *maximæ Cretæ, & Africæ, & nonnullis Syriæ regionibus naſcuntur*, Vitruvius 2. de Architect. cap. 11. & montibus gaudent, ut Tauro hodiè & Amano: quomodo etiam *Citrus*, quæ & ipſa *Cedri ſpecies*, de quâ *in Thyjâ*, expetita menſis, olim in monte Mauritaniæ Anchorario laudatiſſima. Sed jam Plinii ævo exhauſto; lib. 13. cap. 15. Aquæ ergò nutrices hujus Cedri, utique ibi, ubi illa: in Libano. Unde autem ibi? Reſpondet Propheta: *Abyſſus exaltavit illam*: iſta ſcilicet ſubterranea, ex quâ omnes fluvii & fontes, occultis è mari meatibus, Eccl. 1. v. 7. Nam *Abyſſum Scriptura vocat omnem aquarum congeriem profundam, quæque in fundo maris, & inter abditos terræ receſſus latet*, Pineda ex Auguſtino, in Job. 28. v. 14. Hinc, ut Propheta, Cedrus hæc tantum hauſit aquarum, *ut flumina ambirent plantationem radicum ejus ampliſſimarum, ipſaque emitteret occultos rivos ad omnia ligna regionis*. Hinc origo tot fluviorum ex ſylvoſis montibus: qui & *in locis deſertis, & ubi terra coli deſiit, ſubſiſtunt: ac cum nemora exſcinduntur, humor, qui deſiit in arbuſta conſumi, ſuperfuſus, lacus facit*, ut Seneca ex Theophraſto l. 3. Quæſt. Nat. cap. 11. Sic Eſaias: *Arida erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum*, cap. 35. v. 7. *inducto ſcilicet in deſerta Gentium vomere Evangelii, & ſarculo Dominico*, excíſis Tyrannis, Amos 2. v. 9. *eruperunt*

torrentes divinorum chariſmatum, *& fontes quos Cervus deſiderat*, Hieronym. & Cyrillus ibid. Jam, 3. ut pergamus.

5. *Uſus*, ad habitacula avium ferarumque v. 6. vide Quercum Danielis, de qua modo cap. 17. num. 1. Quod addit Propheta, *ſub umbrâ hujus Cedri magnas conſediſſe gentes*, hyperbole eſt, quâ innuit, ſe non loqui de Arbore propriè dictâ: alludit tamen ad ædificia Cedrina, & ad illas arbores, quarum una Sylvam facit, ut *Ficus Indica*, de quâ in Acerrâ Philologicâ dixi lib. 1. num. 80. & 81. Denique 4. *Ortus* à DEO eſt, verſ. 9. qui hanc tam invidendâ ſpecioſitate educavit. Ubi eleganti Prophetæ Proſopopœjâ, *arbores invidere* dicuntur: ut mox *luxiſſe caſum*, & *ad Inferos cum gaudio & conſolatione ſpectaviſſe*, v. 15. 16. De hoc caſu & interitu, non eſt cur plura addam. Non ſunt hujus loci. Satis *de Cortice*.

6. *De Medullâ* Parabola quæritur; 1. *Quis per Cedrum hanc intelligi debeat?* Ecce *Aſſur!* reſpondet Propheta: nec ab uſitato ſignificatu diſcedendum. Fallitur Cornel. à Lap. *Aſſurem dici Pharaonem Ægyptium*: nec id rationes, quas adducit, conficiunt. Verum 2. *quandonam ita exciſa Aſſyriacæ Monarchiæ Cedrus?* Reſp. Bis ante hæc tempora captâ Nineve, Regni Metropoli, translatoq; ad alios imperio. Nam & *Arbaces Medus*, *& Phul Belochus*, *Sardanapalo* ad incitas redacto, everterant olim; & nuper *Nabopollaſarus Nabuchdonoſoris Pater* auxilio Cyaxaris, aut filii ejus Aſtyagis, Medorum Regis, ceperat Nineven, novam-

novamque everſus erat Babylone Monarchiam. vide quæ dixi in Iſagogâ Hiſtoricâ pag. 159. 170. Hanc ruinam ſpectavit Propheta. *Nec de Rege Babylonio ulla ſit mentio à Prophetâ, ne in captivum Populum Dominorum provocaret iracundiam: ſed de Rege Aſſyriorum dicitur, qui eo jam tempore captus fuerat à Chaldæis, & omne Aſſyriorum robur Babylonio ſubjacebat imperio*, ut Hieronymus optime. Quanquàm tectè Babyloniis excidium venturum etiam potuerit inſinuare, à Dario Medo & Cyro, Daniel. 5. cap. 3. *Veteres*, ante Hieronymum, ut docet ipſe, *hoc retulerunt ad finem mundi, quando poſt Aſſyrium Antichriſtum, Pharao quoque infernalis, in Abyſſum deturbabitur*, ut Apocal. cap. 20. v. 10.

CAPUT XX.

De Cedro Ænigma, Ezech. cap. 17.

ELegantiſſimum, plenam omnibus ſuis partibus *Parabolam* continens. *Proparabola* eſt v. 2. ſequitur *Parabola* ipſa v. 3. & ſeqq. *Epiparabola* v. 12. &c. Agit de Davidicæ Proſapiæ *excidio*, & novo deinceps *exordio*. *De Excidio* nota ex hiſtoria. 2. Reg. 24. v. 8. & ſeqq. & cap. 25. toto. 1. *Aquila grandis* Nabuchdonoſor eſt. Multa hic de Aquila Cornel. à Lap. elegantia. Sed quia ad S. ὀρνιθολογίαν ſpectant, præterimus. vide Ravanell. in Aquilâ, & adagia: *Aquila in nubibus*, *Aquilam*

lam delegit ſibi Jupiter, Aquila cum eſſe poſſis, ne primas inter graculos habere cupias,&c. Itaque Avium Regina, & miro gentium conſenſu Regiæ dignitatis Symbolum fuit habita: etiam in oſtentis, apud Pier. Valerian. lib. 19. Hieroglyph. & in ſomniis, Artemidorus l. 2. Onirocrit. cap. 20. Hæc Aquila 2. *Venit in Libanum*, quem Salomon Davidis filius Cedris conſevit: Ut facilè intelligi poſſit Hieroſolyma, Regni ſedes, Regumque domus & Patria. Hinc 3. *abſtulit* eth-Zammeret *ſurculum tenerum & lanuginoſum*, qui avelli ſolet, ut pungatur aut inſeratur, ein Propffzweig: nimirùm Regem Jechoniam cum principibus. 4. *Eumque tranſtulit in Terram Negotiatorum*, Chaldæam. Emblema totalis excidii Regiæ domus; *perit enim Cedrus decacuminata*; ut & *homo gratiâ ſpirituali ἄνωθεν ſubtractâ*. Hieronymus. Nam *cùm Cedrus rectiſſimo ſit caudice, ac meatum venarum habeat ſimplicem & inobliquum, facile vulnus in cacumine ad radicem pervenit. Sic palmæ quoque cerebro vulnerato pereunt, in quo vis vitalis & germinatrix ſita*, ut Theophraſtus l. 5. cap. 23. & 24. de Cauſ. Plant. -- *hoc tota peribit adempto!* Pinge, manu cœleſti auferri Cacumen Cedri.

Ut moritur Cedrus ſi fortè Cacumina tollas;
Sic homo totus obit deficiente fide.

4. Non potuit igitur Cedrus hæc niſi miraculo regerminare. Ejus ἀναγεννήσεως deſcribit Propheta v. 22. & ſeqq. 1. *Cauſam efficientem!* Ego, inquit Jehova, Ego iterùm ponam & plantabo: 2. *Subjectum quod*; cacumen & quaſi medullam illius: de capite ramorum ejus, & quaſi de corde, LXX.

tene-


Hoc tota peribit adempto



enerum ſurculum, ein zartes Reiß. *3. In quo:* ſuper nontem excelſum Iſraëlis: *4. Conſequens effectum*; rumpet in germen, ramosque emittet, fructum aciet, in Cedrum ingentem evadet, ſub cujus umorâ omnes volucres ſecuræ nidulabuntur. *Finis*, gloria Dei v. 24.

3. *Quæritur*; de quonam agat hoc oraculum? *Quidam Judaicè*, ait Hieronymus, *referunt ad Iſraël: quod primo Domini adventu humiliatus & arefactus: ſecundo reſtituetur in priſtinum ſtatum: impleto illo, quod dicit Apoſtolus Paulus: cùm intraverit plenitudo Gentium, tunc omnis Iſraël ſalvus fiet*, Rom. 11. Neque ad ſolum Zorobabelem tàm magnificum Vaticinium ſpectat. Quare *de Chriſto* meritò exponitur, qui è regiâ ſtirpe Davidis prodiit, ut docet S. Matthæus cap. 1. Parallelum eſt Eſai. 11. verſ. 1. 2. Sic Hieronymus è Pſalm. 2. v. 6. Gen. 49. v. 10. Matth. 13. v. 31. Sic contra Judæos ex profeſſo Theodoretus. Sic Chaldæus & ex eo R. Salomon. *Accipiam Regem Meſſiam, & plantabo eum ſupra montem excelſum.*

4. Eſt enim *Chriſtus Cedrus* 1. dignitate *Regia*; ſtirpis Davidicæ ſecundùm carnem; ampliſſimum habens regnum, Pſal. 72. v. 8. & ſeqq. Eſa. 9. v. 6. 7. Dan. 7. v. 14. & 9. v. 24. In Americâ ajunt Cedros eſſe tantæ amplitudinis, ut ex iis trabes fiant CXX. pedes longæ, & XII. latæ, Stengel. in Pomonâ cap. 12. Hæc immenſa eſt finemque non habet. *Nullum hic jumentum, nullum reptile, nihil abjectum aut humile: ſed ſi quid alatum eſt, & ad ſublimia naturalem habet impetum. Tales enim ſunt fidei alumni & cæleſtia cogitantes*, Theodoretus

tus h. l. Nam hi ſoli vera & viva Eccleſiæ membra, Cant. 2. v. 4. contrà, quàm in regnis fit mundanis, ubi jumenta & feræ, ut Ezech. 31. v. 6. Dan. 4. v. 9.

5. Eſt 2. Situ *Sionia*, in monte Iſraëlis. Eſai. 2. v. 4. *Radix* ejus David, Apoc. 5. v. 5. *Cacumen* & caput, Deitas ejus, 1. Cor. 11. v. 3. *Rami* Verbum gratiæ, Eſai. 57. v. 19. vide Buxtorff. Lex. in ניב Nubh. *Fructus* beneficia. Cornel. à Lap. minorem Cedrum cum majore confundit. Illa baccas fert, non hæc: de quibus Dioſcorides & Plinius cap. præced. Propheta cum fructus tribuit huic ſuæ, non de *conis* loquitur, ſed de edulibus *baccis*: neque genera confundit, ſed hanc ἐξαίρετον & ſingularem fore indicat, eandem maximam, & fructu ſuaviſſimo, ut de Abiete dixi ex Oſeæ cap. 14.

6. Eſt Cedrus, 3. ſtatu duplici *miranda*; humilis eadem & mox ſublimis: arida & ſemper virens: ubi duplex Salvatoris *ſtatus*, Philip. 2. v. 7. 9. & *adventus*, Tit. 2. v. 11. 12. Ad *humilitatem* pertinent 1. *ortus*, ex arido ſtipite, Eſa. 53. v. 2. 3. deindè 2. *paſſiones*. Nam & cortex Cedri ab imo aſper, donec incipiat brachia quaſi in formam crucis expandere. Eò pertinet *ſudor ſanguineus*. Nam & Cedri materies ſudare ſolet, & indè Deorum ſtatuæ è Cedro, Baptiſta Porta ex Plinio. *Crux* ipſa videtur indicata: nam LXX, eorumque Interpres Theodoretus ſic habent: *Suſpendam ipſum in monte Iſraël. Prædicit Propheta ſupplicium quod ſubiturus eſſet Chriſtus: DEI enim permiſſu hoc paſſus eſt: hîc fructum fecit, quem orbis Terrarum vindemians & depaſcens vitam ſperat æternam.* Hic quoque

Deo

eo ſe obtulit *in odorem ſuavitatis.* Nam olim in
cris Cedri tantùm Citrique fumo convolutum
dorem potiùs quàm odorem noverant , nec
ure ſupplicabatur, Plin. l. 13. c. 1. Epheſ. 5. v. 2.
ic *rubuit Cor Domini* amore , ſed & ſanguine.
am Cedri cor rubet & odoratiſſimum eſt , Ruel-
us. Hic *manibus pedibusque clavo perfoſſis*, etiam
mam accepit ſuâ ſponte in Sanctiſſimo latere.
uanquàm Cedrus aliâs nec rimam fiſſuramque
onte capiat , & clavum adactum non teneat ,
lin. l. 16. cap. 40. *Sanguis* effuſus *Cedria* eſt ſalu-
errima. Sic dicitur reſina ſponte manans ; liqui-
primò, mox in grumos concreſcens , Solis fer-
ore. At *Cedrium* pix eſt, è Cedro elicita, ut in Eu-
pâ è tædâ, Plin. l. 16. cap. 11. *Hoc eleo peruncta*
ateries, nec tineam ſentit, nec cariem. Corpora de-
ncta ſervantur incorrupta : viventia corrumpun-
r : mirâ differentiâ, cùm vitam auferat ſpiranti-
s , & defunctis pro vitâ ſit, Idem. *Cedrio liquo-*
, quem tædæ ſudant admoto igni, ovium vulnera li-
nt ruſtici, ut parti, quam forfice deglubunt, mede-
tur. Columella. Idem oculis perunctis clarita-
m conciliat. Scobe Cedri fugantur ſerpentes.
uo fine ſolebant - - *Odoratam ſtabulis accendere*
drum.

Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.

uin & - *odoratæ nocturna in lumina Cedri* ute-
ntur. *Cedrides quoque* , ita fructus dicuntur ,
tidotis miſcentur : earum ſucco delibuta cor-
ra , cum cervinâ medullâ , fugiunt ſerpentes.
uæ omnia Sanguini Salvatoris aptari facilè poſ-
nt.

1. Qui fluit ex Vita roſeus liquor arbore Chriſto;
Vermem, qui lacerat triſtia Corda, necat.
2. Cedria viva necat, defunctaque corpora ſervat:
Vivere vis ſemper? fac moriare prius.

Numæ libri Cedrati, ſub terrâ defoſſi, durarunt annis IↃ XXXV. Plin. l. 13. cap. 13. Hinc illa - *Cedro digna locutus:* & - *carmina linenda Cedro.* Quare V. D. M. I. Æ; quia

Omnia de Chriſto, per Chriſtum cuncta loquuntur.

Pinge librum reſperſum Crucifixi ſanguine.

Cur Sacri nunquam poſſint aboleſcere libri,
Sanguinis in cauſâ eſt Cedria, Chriſte, tui.

Hæc ad *Exinanitionem* pertinent: *de Exaltatione* nihil opus eſt addere, Epheſ. 1. v. 21. nihil adſpectu jucundius, Pſal. 43. v. 3. nihil odore ſuavius Cant. 1. v. 2. nihil oleo ſalubrius, Sap. 16. v. 12.

4. Denique 4. Chriſtus Cedrus eſt duratione *æterna.* Nam *& opera, quæ ex Cedro fiunt, permanent in æternam diuturnitatem. Arbores ſimiles ſunt Cupreſſeæ foliaturæ: materiei vena directa. Epheſi in æde ſimulacrum Dianæ, & lacunaria ex eâ; & ibi, ac in cæteris nobilibus fanis, propter æternitatem ſunt facta,* Vitruvius l. 2. cap. 11. de his plura in Lignis *Sittim.* Atque hæc præcipua ſunt, quæ de Cedro dici poſſunt: ex quibus alia quoque S. Scripturæ loca explicatu facilia. Addam tamen plura.

CAPUT

CAPUT XXI.

De Cedro paralipomena.

COmparantur Cedro Pii & Impii. *Pii:* Sic Bileam Populum DEI confert *Cedris ad aquas natis*, Num. 24. verſ. 6. *Decori &* [c]*elebres ſunt, quaſi Cedri juxta aquas, quæ creſcendo* [e]*xtolluntur.* Thargum Hieroſolym. ibid. ut ante-[c]ant gloriâ & diuturnitate imperii omnes gentes. [I]ta *Vitis Domini operuit arbuſtis ſuis Cedros Dei*, cel-[ſ]iſſimas mundi poteſtates, Pſalm. 80. v. 11. Sub Da-[v]idis ſceptro inprimis & Salomonis, ut notat Baſi-[l]ius in Scholiis. Ita *Arbores Domini*, excelſæ, *ſucco* [ſ]*aturantur, ut Cedri Libani quas plantavit*, Pſalm. [1]04. v. 18. *Abietes*, Gentium principes, *& Cedri* [L]*ibani* populi Dei, *lætantur*, quod jacente Senna-[c]heribo, non ampliùs metuant lignatoris ſecurim, [E]ſ. 14. v. 8. ubi Sarcaſmus, cum pulcherrimâ pro-[ſ]opopœjâ: pertinet eodem Eſ. 41. v. 19. de quo [ſ]uprà cap. 4.

2. Pulcherrimus locus eſt Pſalm. 92. v. 13. *Juſtus* [ſ]*icut Cedrus Libani creſcet*, multiplicabitur, Vulgat.

Omnis enim, quicunque Deo nil fertile nutrit,
Ceu ſterilis truncus, lignis æquabitur uſtis.
At Juſtus palmæ ſimilis florebit amœna,
Semper habens frondes, & tanquàm Libana Ce-drus
Multiplicandus adeſt, & vertice ſidera tangit.

Ita Sedulius lib. 4. eleganter. *Arbores hæ longævæ ſunt,*

ſunt, ſed tempore opus habent, ut creſcant: Sic vi tutis plantatio multo & labore & tempore naſcitu verùm ubi in ſublime fuerit ſublata, maturum ac j cundiſſimum affert fructum, poſſeſſoresque ſunt abu de ſatis protegit, Baſilius in Scholiis. *Sicut Cedr non putreſcit, ita nec majorum gloria ullâ vetuſta corrumpitur,* Ambroſius citato hoc loco, Serm. in Pſalm. 118. Hieronymus in Expoſit. parva n tat; *Cedrum eſſe lignum bene olens, unde templi lac naria contecta, lignum imputribile.* Janſenius Paraphraſi: *Pii ſemper in bono proficiunt ſe ipſis ſe per altiores, donec Cœlos ipſos attingant, ad quos C drorum more ſemper nituntur.* Beza ſimiliter:

At juſti ad usq; nubila,
Ceu palma, tollent verticem:
Et celſa, tanquam Libani
Cedros, gravant [an levánt potius?] *acc*
mina.

Havmo quoque non malè: *Juſtus multiplicabit ineffabili gloriâ æternitatis: ſicut Cedrus Libani, qu altior creſcit alias Cedris, & eſt imputribilis, &c.*

3. Ego pios cum Cedris comparo, reſpect *1. Naturæ, 2. Figuræ, 3. Culturæ,* populariter & Mi nervâ craſſiore.

Naturâ Cedrus *calidæ ſiccaque temperaturæ eſt, i ordine tertio: vim habet ſepticam, ut & Cedria quæ exſiccando cadavera à corruptione tuetur: at i viventibus calorem incedens teneres partes carniun depaſcitur,* Galenus in ſimpl. Hinc neq; nives ſu

pe

r Cedro durant, argumento caloris, *Theophra-*
r. Caſtor Durantes:

Cedrus & exſiccat & calfacit, ordine terno,
Major. Reſina illius, quæ Cedria dicta eſt,
Corpora conſervat defuncta putredine; viva
Conficit infuſa: eſt oculis medicamine miſta
Auxilio magno, vermesque interficit au-
ris, &c.

bor ea & ſimiles *in vetuſtatem ſine vitiis conſer-* *ntur: quod is liquor, qui ineſt penitus in corpo-* *us earum, habet amarum ſaporem, qui propter* *itudinem non patitur penetrare cariem. neque eas* *iolas, quæ ſunt nocentes*, Vitruvius l. cit. Itaque hiemem ferè ſentit, nec amittit folia, propter ci lentorem, & tenax quaſi glutinum. Nobi- s eſt ex materiei perpetuitate, & amplitudine oris, de quibus ſatis. David ſuam fœcundis ctu annumerare videtur. *Etiam in ſenectâ uberi* *ida erunt*, inquit, *& bene patientes*, Vulgat. chtbar und friſch / D. Lutherus; *Succulentæ,* *virentes*, Pagninus: *Succo divini Spiritus pin-* *s. & fœcunda*, Janſeni. Græci εὐπαθοῦντες, cor- re quaſi bene habito. Videtur autem Regius tes *Oxycedrum*, ſeu *Phœniciam* præ oculis ha- ſſe. 1. Quia Magnæ Cedro dignitate proxima ; 2. Inter ſpinas & aculeata folia baccas fert les, ut dictum: 3. Alia non floret, & tamen fructum; alia floret, & non fert, Plinius: 4. cades eodem tempore ternos in eâ fructus eriri ajunt: anniculos acerbos; bimos, matu- quidem, ſed qui guſtu reſpuantur; & trimos mandi poſſint. 5.

Illius

Illius at fructus capiti infert ſæpè dolorem,

Ut ait Durantes: *Si liberalius eò utare*, Matthio. Materies Sacris profaniſque fabricis expetita, in *Sittim* dicam:

3. *Pii* quoque Spiritu fervent Rom. 12. v. 11 & charitate, Gal. 5. v. 6. pleni ſucco ſpiritual 1. Johann. 2. v. 20. qui & vivificat & mortificat Rom. 6. v. 12. 2. Cor. 4. v. 16. Coloſſ. 3. v. 5 cariem vetuſti hominis arcet, Rom. 6. v. 12. Ve rè νεκρῶν ζωή, ut Cedria dicta Dioſcoridi. Sic Ce drio ſucco perfuſa cadavera in Ægypto ſerva bantur, Plinius l. 16. c. 11. hinc ſpes incorruptio nis, Apocal. 22. v. 2. Hinc gaudent æquè frigidis virentque hieme, Jac. 1. v. 3. Ex aculeatis ſpinis fru ctus odoratus, Ezech. 28. v. 24. Philipp. 1. v. 1 cap. 4. v. 18. Semperque antecedentem no vus occupat, 2. Petr. 1. v. 5. 6. quamvis flor non promittant, Matth. 7. v. 20. 21. at qui flo rent nec fructum faciunt hypocritæ, aut πρόσκαι ροι, Luc. 8. v. 13. 14. Denique hic fructus quo que ſerotinus eſt, nec edulis niſi trimus, plen arbore charitatis percoctus. Tunc frui licet alimentum virtutis, & ruminare ad gratias agen das Deo: ſed ne caput gravetur ſuperbiâ, Lu 17. v. 10. &c. Unde varia emblemata. 1. *Num quid à ſpinis uvæ?* Matth. 7. v, 16. Quod tam hic fit:

Ut minor ſpinis baccas fert Cedrus edules:
Fructum ex adverſis ſic generoſa fides.

2. Carpe fructus, cave ſpinas.

Sanctorum volvis quicunque volumina Patru
Dulcia poma legens, ſpinea texta cave.

3. Mit

Mitte, non promitte. *Oſtende fidem tuam factis,* ic. 2. v. 18.

> *Verborum ſteriles fruſtra eſt profundere flores:*
> *Oſtendat factis ſeſe operoſa fides.*

Nunquam ſine fructu !

> *Anniculum, & bimum, & trimum, Phœnicia Cedrus,*
> *Fert fructum: nunquam eſt deſidioſa fides.*

5. Ad *figuram* Cedri pertinent partes, earumque ſpoſitio. Hujus noſtræ *radix* unica eſt Chriſtus : *audex* recta aſſurgit, ut & fructus, in cœlum, latth. 6. v. 20. 22. Philipp. 3. v. 20. *Cor* & medul-, rubet fide, ac ſanguine Domini, Hebr. 10. 20. 22. *Cortex* ab imo ſcaber & aſper: mox ut ımos extulit, fit lævis, adſpectu jucundiſſimo. irtutis - *aſpera prima via eſt*: Sed - *fine ſui pulcherma.* *Cacumen* gratia Dei & fides eſt, Epheſ. 2. 8. Eo ablato perit, nec regerminare poteſt, niſi ovo gratiæ miraculo, Hebr. 6. v. 4. 8. Errat, d ut ſolent Calviniani, Grynæus, cum lib. 2. piſt. Theolog. 16. & 24. ubi juſtos Cedro comarat, ſic diſputat: *Juſtum hominem ſanctificatios ſua honeſtamentum & decus NUNQUAM omni parte amittere. Nam & Cedrus decacuminatione terit.*

6. Ad *culturam* ſpectat cura plantantis Dei, in udem gratiæ ſuæ glorioſæ, Eſa. 41. v. 19. Pſalm. 04. v. 6. & 148. v. 9. ac Salomonis noſtri, Matt. 2. v. 42. 1. Reg. 10. v. 27. 2. Paralipom. 1. v. 15. ocus, mons Dei, Libanus & Sion, hortusque & aradiſus, ubi pulchrius proveniunt Cedri. Nutri-

men,

mentum, aqua Spiritus, Pſalm. 1. v. 3. Johan. 4. v. 14. *An in Atriis domus DEI Cedri & palmæ conſitæ* dixi de Quercu, & dicam de Lucis infrà: hæ ſufficiant.

8. Eadem Cedrus *mundi potentes & ſuperbo* ſignificat. Succidere *Cedrorum excelſa & electa abietes*, 2. Reg. 19. v. 23. & Eſa. 37. v. 24. eſt *tolle re potentes & optimates populi* Hieronym.

Pſalm. 29. v. 5. *Vox Domini*, id eſt, tonitru cur fulmine, *confringit Cedros Libani*, *facitque ut* terr movente cõcuſſæ, *ſubſiliant quaſi vituli & pulli uni cornium* ראמים *Reemim*, Urorum Aurochſen propriè ut docet Boetius lib. 3. S. Animadver. cap. 1. Sunt autem pulli ejus generis timidi, u facilè terrore exagitentur. Agitur autem hi πρώτως de efficaciâ Verbi Divini. *Eo comminut. ſunt ſimulachrorum Delubra, Cedris Libani ſimi lia; quæ & ſublimes ſunt, & veſcum fractum non ſo lent ferrè*, Baſilius ibid. Theodoretus ad literan putat agi, *de Victoria Dei contra Sennacheribun & Aſſyrios*; myſticè *de victoriâ Chriſti contra idol. Gentium* Auguſtinus: *vox Domini contritione cor dis humilians ſuperbos, conteret elatos nitore terren. nobilitatis.* Arnobius Junior. *Quicunque rebel lis extiterit & elatus, confringetur & comminuetur ſicut Cedrus Libani. In Libano Sacrificantes usqu hodie turpiſſimæ Veneri, Vitulorum virilia ampu tant, & in ejus Sacrificio hujusmodi incenſa ſuppo nunt: mercedem erroris ſui, quam oportuit, Deæ ſu exhibent meretrici. Ita comminuetur quaſi vitulu Libani, qui caſtitatem Chriſti contempſerit.* De Ve ner

eris Sacrificio notandum, nec recordor alibi leiſſe.

8. Vulgatus Pſalm. 36. v. 35. *Vidi impium exltatum ſicut Cedros Libani.* Ibi Ambroſius: *vides edrum in monte altiſſimo ſuperexaltatam, ſed vento angitur, ſed igni exuritur, ſed vetuſtate diſſolvitur: a eſt dives in ſeculo; fulget quidem ſplendore quoam gratiæ ſecularis, ut Libanus: nixus eſt mundi poentiâ, opibus & divitiis exultat: Videtur tibi aliuid eſſe, antequàm* dicas; *Tranſiens videbo!* ſed de . l. in *Lauru.*

Eſai. 2. v. 13. *Dies Domini ſuper omnes Cedros ibani ſublimes, & exaltatas, & ſuper omnes Querus Baſan.* Expolitio eſt ejus, quod verſu præceente 12. propriis verbis dixerat, Baſilius fusè exlanat. Senſus eſt: *intelligi hypocritas faſtu Phariaico tumentes, ſuperbosque omnes, nullius bonæ fruis; ipſos etiam Dæmones.* Hieronymus: *Domini indicta conſurget, ſuper omnes qui eriguntur in ſuerbiam, & faciunt opera ignominiæ, atque in cœno bidinum volutantur: qui per Quercus indicentur, uæ etſi faciant fructus, tamen porcorum alimenta int, non hominum: Baſan autem Arabiæ regio interretatur αἰσχύνη ignominia, &c.*

9. Sic Jeremiæ cap. 22. v. 7. comminatur Deus, contra Hieroſolymam, & domum Regiam, uam antonomaſticè vocat *Galaad caput Libani,* iiſſurum *lignatores*, armatos ſecuribus, *qui Cedros ius lectiſſimas ſuccidant, & in ignem conjiciant* Coner v. 8. 9. Nunquàm in ſolido ſtetit ſuperba felitas, *Seneca.* Nam

U *Sequi-*

Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus!
Sic apud Ezechiel. cap. 31. *Cedrus* imago eſt ſuperbi ruentis in exitium: *Securis ad arborem* poſita hieroglyphicum Divinæ vindictæ, Matth. 3 ut exſcindatur - *telluris inutile pondus*. Sunt enim ſuperbi, 1. infrugiferi, Tob. 4. v. 14. Sirac. 10. v. 14. 2. inflexibiles, Eſa. 48. v. 4. 3. Clavum non tenent, Eccleſ. 12. v 11. & alta appetunt, Eſai. 14. v. 2. Maccab. 9. v. 8. 5. modum non tenent, ſemper creſcit faſtus, & 6. quò altior eſt, eò ruinæ proximior. Indè fortè *Cedrum Eumenidibus, ſivè Furiis, conſecravit antiquitas*, ex Orphei Argonaut. Natal. Comes lib. 3. Mytholog. cap. 10. Sed de his ſatis.

10. Superſunt S. adagia quædam: 1. *Sicut Cedri juxta aquas.* Num. 24. v. 6. *Quàm pulchra ſunt tentoria tua Jacob? Quemadmodum torrentes extenduntur*, wie ſich die Bäche ausbreiten/ D. Luther. *Ut valles nemoroſæ*, vulgat. *Sicut horti ad flumina, ſicut Ahalim*, tentoria, tabernacula, vel potiùs *Aloë*, Pagnin. *Santali*, Tremell. *Arbores Paradiſi* dictæ, *quas plantavit Jehova, & ſicut Cedri ſuper aquas.* Torrentes longè latèque diffunduntu & obvia ſternunt; horti irrigui ſemper vernant & feliciter propagant ſe; ligna aromatica odorem ſpargunt; Cedri in alta conſurgunt, hiemem no metuunt, perenniter virent, & creſcunt ad aqua conſitæ. Sic Galatea.

Floridior prato, longâ procerior alno,
Nobilior pomis, platano conſpectior altâ,

Et - *riguo formoſior horto.* Sic Cedro comparatu *cauda Elephanti*, Job. 40. v. 12. quod de obſcæn

intei

iterpretantur quidam : quaſi dicatur, libidine
ùm fervet, ſurrigit pudendum ad inſtar Cedri,
occejus. Memini rem ridiculam : viderat hac
ormâ elephantum, cùm ſpectandus daretur co-
onæ circumſtantium, muliercula : quæſivit ex
omitore ; an hæc bellua quinque pedes habe-
et ; magnus coortus eſt riſus & adſtabam ipſe
uoque inter alios. Sed vocabulum זנב *Zanab*,
ix puto hoc ſignificatu legi. Caudam, quæ ca-
iti, ut extremorum alterum, opponitur, ſæpius
enotat. *Quandò volet*, inquit, *cauda ejus erit quaſi*
edrus protenſa. Habet autem Elephas caudam
rboris inſtar ramoſam. Breviorem tamen,
uam ut præſidium ſit, abigendo muſcarum tæ-
io, Plinius l. 8. cap. 10. Eam, ut cætera caudata
nimalium, pro deſiderio agitant, Idem l. 11. cap.
1. ut Leo, *ſe ſævæ ſtimulavit verbere caudæ, Erexit-
que jubas.* Simili hyperbolâ dixit Oppianus 2. Cy-
eget. *radices dentium*, ſivè cornuum elephanti
ſſe *inſtar fagorum.*

11. Cant. 5. v. 15. Cùm ſponſa Salomonem ſu-
m per partes laudâſſet; tota tandem, inquit, *ſpe-
cies ejus ut adſpectus Libani, electus ut Cedri.* Quod
lanè ποιμενικὸν ſchema eſt. Nihil in Judæâ amœ-
ius Libano, nihil magis eximium Cedris. Quæ
e his hucusque dicta ſunt, ad Chriſtum facilè ap-
licabis - *Cunctis altior extat.* Ita altior Cedris.
mos. 2. v. 9. vel ut Hebraicè eſt : *altitudo ejus,
cut altitudo Cedrorum.* Apud Siracidem ſimilia
abes : ut c. 24. v. 17. & ſeqq. ubi *Sapientia*, illa per
egem Moſis revelata, id eſt S. Scriptura, *exalta-
a* dicitur, *ut Cedrus Libani*, *ut Cupreſſus Hermo-*

nis, ut palma Engaddi, ut Roſa Hierichuntis, ut olea in campo, ut platanus ad aquas: dareque εὐωδίαν ſuam, ut *Cinnamomum*, gratos odores diffundit, ut πάλαθ☉ ἀρωμάτων vel ut alii legunt ὡς ἀσπάλαθ☉, uti *myrrha electa, & galbanum*, & quæ ſequuntur tàm in Græcis, quàm in Latinis codicibus, *Storax, onyx, ſtacte, thuris vapor, balſamum.* Denique ramorum copiâ *Terebintho* confertur, & fructuum *viti.* Ergò Paradiſus eſt cœleſtis. Si per partes ſingula velis exequi, volumen integrum conficies. Nullus Heſperidum, aut Alcinoi, aut alibi uſpiam æquè, ut dicam cum Virgilio,

Oblectat hortus, advocat, paſcit, tenet,
Animoque mœſto demit angores graves;
Refert labori pleniorem gratiam,
Tribuit colenti multiforme gaudium,
Omnia ſylvarum decora, omnes unus odores.
Umbraſque & fructus hic Paradiſus habet.

Cedro Libani, inter palmas circumſtantes, eminenti, comparatus ſummus Sacerdos in coronâ fratrum, Sacerdotum minorum. Sirac. 50. verſ. 24. velut inter ignes Luna minores. - *Super eminet una!*

Eminet ut Cedrus, palmarum ambita coronâ;
Sic inter Sanctos gloria, Chriſte, tua!
Sic inter proceres Regius extat honor!
Virtutum Pietas altior una choro eſt.

12. Videamus & alia. Judic. 9. v. 15. *Ignis è Rhamno devorat Cedros Libani.* Pro Rhamno eſt *Atad*, de quo in ſpinoſis.

Maxima de minimis venêre pericula cauſis.

De Dracone Tiberii à formicis conſumpto, & alia dix

xi in Acerrâ lib. 2. num. 289. *A cane non magno* *pè tenetur aper.* Elephas minimo ſuis ſtridore *r*retur, Plin. 8. c. 9. Leonem, ut in fabulis eſt, vi- & culex, *Parva ſæpè ſcintilla neglecta, magnum rit incendium*, ut eſt apud Curtium. Ignis, à pec- tis populi exortus ſæpè graſſatur usq; ad perni- em potentum, reique publicæ ruinam. Plura ali- . Eſa 9. v. 10. *Sycomoros ſucciderunt, ſed in Cedros utabimus.* Proverbium eſt, quo adverſus clades λάτες inſoleſcentes utebantur Iſraëlitæ. Ortum detur à Salomonis ſtudio, quo curavit, ut *tot* iſſim creſcerent *Cedri*, *quot per plana Camporum viæ erant Sycomori*, 1. Regum. 10. v. 27. Eodem nſu jactabatur ab induratis illud alterum: *La- res ceciderunt, ſed quadris ædificabimus.* Ita Au- ſtus dixit; *ſe Romam accepiſſe lateritiam, marmo- am relinquere.* Nunc Cedri vix aliquæ in Libano, c adeo multæ Sycomori, in damnata æterno ex- dio regione ſuperſunt. *Ne erretis! Deus non irride- r*, Gal. 6. v. 7.

Jerem. 22. v. 23. *Sedere in Libano, & nidificare in edris*, de felicibus & ſecuris dicitur: & alluſio t ad ædes Cedrinas Hieroſolymæ. *Arrogantia everat de rerum omnium abundantiâ*, Hieronym.

Nil adeo excelſum eſt, ſupraque pericula tendit;
Non ſit ut inferius ſuppoſitumque DEO.

achar. 11. v. 2. *Ulula abies, quia cecidit Cedrus*, caſus majorum, tremor minorum. *De nuptiis Cardui cum Cedro* dicam ſuo loco, 2. Reg. c. 14. v. 9. Atque hæc de Cedro, puto ſatis.

CAPUT XXII.

De Ligno Gopher & Sittim.

1. DE lignis גפר *Gopher*, ex quibus Arcam ſuam juſſus fuit fabricare Noha, varias Interpretum ſententias expoſui ſupra in Nomenclatura: Duas recentiſſimorum hic breviter examinabimus; *Samuelis Bocharti, & Iſaaci Voſſii.* Ac *Bochartus* quidem Fullerum, ut fatetur, ſecutus, *Gopher eſſe Cupreſſum* diſputat, in Phaleg. lib. 1. cap. 4. Argumento. 1. *nominis*; nam demta terminatione in nomine κυπάρισσος, Gopher & κυπὰρ ſono parum diſcrepant: 2. *materiei*; quia Cupreſſo pro omnibus diuturnior; neque alia minùs longæ cariem timet ſenectæ: 3. *Uſus*, quia ad contexenda navigia maximè expetita hæc arbor, quod pluribus probat teſtimoniis. Verùm hæc nondum conficiunt, quod debeant. Etymologia Cupreſſi incerta eſt, & videor dediſſe certiorem, cap. 7. num. 5. Materies illi cum cæteris ἀσήπτοις communis eſt, ut & uſus ad naves: quod iiſdem, quibus utitur, teſtimoniis conſtat. Ingenioſius igitur excogitavit argumentum vir doctiſſimus. Ponit, *Arcam extructam in Aſſyria:* Subjicit, *in eâ regione ſolam navibus conſtruendis aptam reperiri Cupreſſum, aliarum arborum, ἐς ναυπηγίαν eſſe inopiam ibi*; quod probat teſtibus Arriano ac Strabone. Denique conjicit; *quod Gopher ſit nomen loci, à Cupreſſis dicti*, qui Straboni κυπαρισσὼν, in Adiabene, circ

Cap

apri trajectum. Sic enim quoque dici à uercubus *Elon*, à moris *Baca*, à ſpinis Arabicis *ttim vel* Setin, è palmis *Tamar*, & *Dicla*, à malis unicis *Rimmon*. Sed neque quod ponit, imotum eſt: potuit enim arcæ architectus, pau- remotiùs habitare à Babylone & Aſſyriâ, ubi Amano ac Tauro montibus ad manum erant edri, Juniperi majores, Piceæ & aliæ naupegis iles, viſæ Bellonio ibi, & fortè quædam non ſæ: & quod in Aſſyriâ, olim ante Alexandri mpora, ullæ abietes, pini, ſimilesque fuerint, eque ullæ omnino poſteà, non affirmat Arrianus: ἐυπορίαν fuiſſe negat. Rerum de hac ſenntiâ judicabit quisque, quod arbitrabitur vero ropius.

1. *Voſſius* in nupero Scripto, quod *de Lxx. Inrpp. Translatione* edidit anno proximè præterito 661. de quo nunc quidem dicere nihil attinet, 12. notat, quæ Lxx. *pro lignis Gopher* poſuerunt ύλα τετράγωνα, *arbores eſſe quadrangulas*: itaque ici *Pinum, Abietem, Cedrum, Pinaſtrum, Piceam & apinum: quod earum rami quaterni ſimul explicenur, paribusque à terra intervallis, inſtar quatuor rachiorum, pares quoque conficiant angulos, veramue crucis formam ipſo ſtatim adſpectu deſignent*. Deide *Gopher* bitumen in S. Literis non ſtrictè accii, ſed etiam picem & reſinam continere. Quare *lina Gopher & reſinifera* eſſe, & *quadrangulari* ramoum *diſpoſitione*. Denique concludit, *non ex uno arorum genere arcam fuiſſe ædificatam*. Cætera, quæ uc non ſpectant, omitto.

3. Mihi quoque vero videtur ſimilius, non ex

uno genere lignorum extructam tam immenſæ molis arcam: 1. Quia vocabulum *Gopher* propriè videtur ſignificare reſinam, & picem. Sunt enim rerum cognatarum cognata nomina; quodque in arboribus eſt *reſina*, aut pix excocta; hoc in aquis eſt *bitumen*, quod Hebræis *Copher*; in terrâ *Sulphur*, quod illis *Gophrit*, Chaldæis *Cuphrit*, aut & *Cubrit*, ut literæ ejusdem organi ſæpiſſimè permutantur. Reſina magis aëreæ, bitumen aqueæ, ſulphur terreæ naturæ eſt. 2. Quia hac ratione omnium interpp. conciliantur ſententiæ, de quibus ſuprà cap. 3. num. 14. 3. Quia *Argo* ſuam, quæ prima extitit in Gentilium memoriâ navis, alii compactam æquè ſtatuebant - *trabibus abiegnis, cæſis è Pelio nemore*, ut Ennius: alii pineis, ut Catullus:

Pinea conjungens inflexa texta carinæ.

& Valer. Flaccus-*non hanc ſine Numine pinum dirigimus*, &c. 4. Quia absque dubio ad naupegiam aptiores, ac in frequentiori uſu-*nautica pinus*, & *caſus abies viſura marinos*, quam Cupreſſus. Hanc tamen, non negandum eſt, aptam eſſe conſtruendis navibus, ut videtur negare Voſſius. Neque utar ejus ratione: *ideo non potuiſſe Arcam conſtare uno arborum genere, quod tantæ moli fabricandæ omnes Meſopotamiæ Syriæque pini vel abietes ſufficere nequiviſſent*. Fuiſſe enim vaſtiſſimas, ante cultam habitatamque terram, ſylvas nemo negaverit. Et apparet Noham navim ſuam, non uno fixum loco ædificâſſe; ſed materiam nudique convexiſſe, ut quæ miraculo ante-dilu-

iluvianis & oſtento eſſe debuerit. Verùm hæc iis cenſenda relinquo.

4. Per *Quadrata ligna, quæ nulla parte vacillant, ſed quocunque verteris, fixa ſtabilitate conſiſtunt, Eccleſiæ Doctores intelligit* Origenes hom. 2. in Gen. *Hi enim quaſi murus quæ intra ſunt defendunt, & quaſi obſtaculum fluctus ac procellas foris impediunt.* Idem mox ait: *ſi quis arcam ſalutis in corde ſuo ædificare, Sacramque ibi quandam Bibliothecam dedicare velit, ei non rudibus & impolitis, ſed quadratis lignis, teſtimoniis ſcil. non profanis ſed Propheticis & Apoſtolicis eſſe utendum.* Sic Alcinus Avitus de Diluvio ſub fin.

Arca vetus Noha Chriſti eſt Eccleſia: per quam,
Extra etiam quam nemo, poteſt ſalvarier.

Qui & anteà v. 323. cecinit, neminem in fine Mundi ſalvum fore, niſi

Praduri validam ædificarit tegminis arcam,
Per lignum vitale CRUCIS, ſervatus ab undis.

Sed & idem *ex varia lignorum genere* conſtructam fuiſſe cenſuit, v. 298. & ſeqq. Auguſtinus; *arca hæc procul dubio figura eſt, peregrinantis in hoc ſeculo Civitatis DEI, hoc eſt, Eccleſiæ: quæ fit ſalva per lignum, in quo pependit Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus,* l. 15. de Civit. Dei cap. 26. Plura non vacat addere.

5. Videamus jam quoque *Ligna Sittim.* Fagius in Paraphr. Chald. ad Ex. c. 25. v. 5. *Diſcordes,* inquit, *Hebræorum ſunt ſententiæ ſuper hoc ligno. Alii*

enim Cedrum, alii piceam, alii buxum eſſe dicun
Kimhi ſcribit optimam ſpeciem eſſe Cedri. Nec a
ſunt, qui ſentiunt hoc genus ligni à filiis Iſrael
Ægypto in deſertum aſportatum fuiſſe. [ſic eni
fabulatur R. Salomon: *Jacobum prævidiſſe, qu*
filii ejus DEO erecturi eſſent tabernaculum: & id
ſemina radiceſque Sittim ſecum in Ægyptum tuliſ
atque ibi plantaſſe, juſſiſſeque, ut Ægypto exeuntes h
ligna ſecum aſportarent; meminit l. cit. Exod. Cor
nel. à Lap.] *Probabilior eſt ſententia Aben Eſræ, q*
conjicit hoc genus ligni circa montem Sinay creviſſ
Cui adſtipulatur & autor Hizkuni, qui ſcribit, in de
ſerto Sylvas fuiſſe, in quibus hoc lignum creverit: fui
ſeque lignum leve & pulchrum, ex quo & filii Iſra
ſua tabernacula fecerunt, juxta illud: habitavit vero
Iſraël in Sittim. Num 25. *Septuaginta tranſtulerun*
ξύλα ἄσηπτα ligna imputribilia, hæc Fagius. Ex
Hieronymo deſcripſi ſuprà cap. 3. num. 35. qu
ſpinæ albæ ſimilem arborem fuiſſe cenſuit, in cap. 41
Eſai. v. 18. ubi Lxx. habent πύξον *buxum*: Aquila
& Symmachus, σῆτταν: Theodotion, ἄκανθαν. Idem
Hieronymus in cap. 3. Joëlis, ubi *Nabal Sittim*
Vallis ab his arboribus dicta v. 18. *Eſt genus arbo-*
ris in Eremo ſpinæ albæ ſimile: colore & foliis, non ma-
gnitudine: alioquin tam grandes arbores ſunt, ut latiſ-
ſima ex iis tabulata cædantur: lignumque fortiſſi-
mum eſt, incredibilis levitatis & pulchritudinis: ita ut
ex his etiam vaſa torcularium, quæ ἄῤῥενας & θήλυας
vocant ditiſſimi faciant. Addit nuſpiam niſi in Ara-
biæ ſolitudine reperiri. Ex recentioribus alii, ut
Lemnius in Herb. Bibl. *Citrum* ſic dici opinantur:
cap. 37. alii *Laricem* optimam, quæ inter alias natu-

ra

: dotes, hanc quoque habeat, *quod flammam non* *ucipiat, & ægrè comburatur*, ut Danæus, Tract. 3. hyſicæ Chriſt. cap. 76. Plerique R. Kimhium ſe- iti, *Cedrum lectiſſimam*,

6. Hic ut omnia incerta ſunt, ita nec illud cla- m; *cui ſpinæ albæ Sitta arborem ſimilem dixerit* *ieronymus*, *colore & foliis?* Nam quod Corne- ıs à Lap. putat eam intellexiſſe, quæ apud ioſcoridem lib. 3. cap. 12. deſcribitur, nomine ανθα λευκή; falli videtur: quia ea *Carduo* ſimi- videtur, aut *Chamæleoni*, ut deſcribit Idem. uæ an ulli arbori poſſint convenire; ipſe vi- erit. Quare eorum ſecutus ſententiam Hie- onymus fortè eſt, qui *Acaciam*, quæ & *ſpinæ* *gyptia*, pro albâ ſpinâ habuêre: illam ſcilicet teram, quàm in Cappadociâ Pontoque pro- enire ait Diſcorides lib. 1. cap. 115. Deindè in- r *Rhamnos* quoque genus eſt, λευκάκανθα di- um, cujus meminit Dodonæus Pempt. 6. lib. 1. ıp. 16. Denique ex S. literis hæc tantùm certa ha- entur, arcam fœderis, vectes, menſam, tabulas, id genus, ex hoc ligno facta eſſe; ut Exodi ıpp. 25. & 26. Deut. 10. v. 3. &c. Eſaias pro- imo poſt Cedrum loco recenſuit שטה *Sit-* *ıh* cap. 41. cit. Ab hac arbore locus dictus eſt *ittim*, Num. 25. v. 1. Ioſ. 2. v. 1. & 3. v. 1. bi ultima fuit Iſraëlitarum manſio, in campe- ribus Moab. ὁμώνυμος *arboribus, quæ per ere-* *um montis Sina hodiè quoque gignuntur, & ſi-* *ilitudinem habent arboris, quam nos vulgò ſpinam* *lbam dicimus*. Hieronym. in Michæ cap. 6. v. 5. undem locum Moſes *Abelſittim* vocat Num. 33. v. 49.

v. 49. *Abilam* Joſephus: Neque alius apparet, qu à Joële *Nahal Sittim* dicitur, cap. 3. v. 18. tran Jordanem & mare mortuum, vide Hieronymu ibid. & ſi vis, quæ ante viginti duos annos, in hun Prophetam annotavi.

7. Ex quibus colligitur 1. *Sittah, non eſſe Ce drum:* quamvis præter Kimhium & citatos ita au tument quoque Philo de Vitâ Moſis l. 3. poſt prin Arias Montan. Villalpandus, Emanuel Sà & ali Philo tamen de Inſomniis, *Sethim* interpretatu *ſpinas.* Ratio, quæ videtur perſuaſiſſe, à ligr præſtantiâ & dignitate, non cogit. Neque dubi um, quin ſi Cedri in deſerto fuiſſent ad manum iis hic honor præ aliis debitus fuiſſe cenſendu ſit. Sed neque Cedri erant ibi, & alia Deum fort movit ratio, cur hanc arborem prætulerit? Ta bernaculum, *è ſpinoſo ligno,* Templum *è Cedrin* condi placuit, 2. Sam. 7. v. 7. 1. Reg. 5. v. 6. 8. 10 & cap. 6. v. 9. &c. Peregrinabatur Deus cum Po pulo ſuo, ut 2. Sam. l. cit. ſprevitque ſuperba Regum palatia Cedrina, *vide Ravanell. in Cedro, num. 5.* Per anguſta itur ad auguſta! Porticus Salomonis contabulata fuit Cedris à pavimento uſque ad ſummitatem, 1. Reg. 7. v. 7. Tabulæ Tabernacul ſpinâ ex Arabicâ erant. Quæ cogitatio pulchras parere poteſt Meditationes. Sed nobis progrediendum eſt.

8. Nam 2. *neque Laricem eſſe Sittah* facilè probatur, quodque ferunt Vitruvius & Plinius, laricem non accendi ignibus, refutavit pluribus Matthio-

lus

s lib. 4. Epiſtol. 1. ad Ulyſſ. Aldrovand. 3. uod Lxx. modò *Buxum*, modo etiam ξύλον *ntiſcum*, ut Mich. 6. v. 5. legit Hieronymus: uodque alii *piceam* Föhrenholtz/ &c. interpretati nt, fecit defectus nominis proprii: cum Græ- ; Latinisque fortè ignota fuerit Arabiæ pecu- ris arbor. *De Citro*, dicam *Almugim*, ſive *Thyi- ſ.* Mihi Sittah quoddam *Acaciæ genus* eſſe vi- tur. Rationes habeo, 1. *à Nomine*: שטה, Ara- bus ſignificat *Longus fuit*, ut D. Hottingerus otat. Indè Rabbinis *Sittah linea*; ſeu *verſus ri*, Schindler. & Hebraicum שוטט *Schotet*, *ba- lus, virga*, fortè *ſtimulus*, quo tardos boves, la- ra pungendo, incitant agricolæ; Joſuæ 23. erſ. 13. *baculus exactoris*, Eſai. 9. v. 4. *Acaciam* ἀκάζω derivant, quod eſt *acuo*. Meminit Bel- nius, *Calojeros montis Sinay, ſe comitesque ſuos, nâſſe baculis oblongis, teretibus, lævigatis, & ſatis avibus: quos dixerint, ex eâdem arbore revul- s, ex quâ Moſis virga, quâ ſaxo percuſſo, aquam icuit:* additque: *videretur hæc arbor Acacia, niſi odis eſſet*, l. 2. obſerv. cap. 66. Talem fuiſſe Sit- h, vectes illi, ex eâ facti, indicant, de quibus xod. l. cit.

9. Pergamus: altera ratio 2. eſt *à deſcriptio- e*: Theophraſtus & Matthiolus ex eo ita deſcri- unt Acaciam: *ſpina ex eo dicitur, quod tota arbor inis horret, excepto caudice. Magnitudine excel- t: materies quippè duodenorum cubitorum, tectis donea, cæditur. Ejus duo ſunt genera: alia enim andida, alia nigra eſt: Illa facile putreſcit! hæc*

incor-

incorrupta manet; ob id ad navium coſtas, ventris que compagines eâ utuntur. Fructum fert in ſili quâ, leguminum modo, quo incolæ coria perficiun vice gallæ. Flos adſpectu jucundo, ut & corollæ ex e fierent, & utilis ad medicinam. Manat & gummi tùm ex percuſsâ, cum ſine plagâ ſponte. Non multò aliter Proſper. Alpinus, & Veslingius in eund Obſervat. c. 4. depingunt Ægyptiam: *hic quidem caudicem ſe non raro ait deprehendiſſe ampliorem quam ut brachio circumdare potuerit: eſſeque & foliorum virore, & intermicante ſpiſſo floſculorum auro, quo horridos aculeos inumbrat, oculis gratiſſimam.* Accedit 3. *à ſitu loci:* Bellonius refert: *per ſterilem Arabiæ ſolitudinem, nullas ſe ſtirpes reperiſſe præter Acaciam, cujus gummi diligenter ab Arabibus colligatur; id eſſe, quod Arabicum veteres nuncupârint: folia adeò tenuia, ut eorum ala pollice tegi queat: decuſſa pecori pro pabulo eſſe,* lib. 2. cap. 56. & cap. 80. alteram Acaciæ ſpeciem propè Ramam copiosè provenire.

10. Supereſt, 4. *à ſimilitudine ſpinæ albæ:* Sic puto Hieronymum cum vulgo appellâſſe, quæ Græcis *oxyacantha*, aut *oxyacanthus*, Italis & Gallis hodiè quoque *Spinus albus:* Columellæ *ſpina alba, inter pomiferas Sylveſtres*, cujus baccæ Suibus gratæ: noſtris Hagedorn. Dioſcorides, *pyraſtro ſimilem deſcribit, ſed minorem; baccasque ferre myrti rubras: utiles in cibo aut potu, ſiſtendo alvi profluvio, & fœminarum abundantiæ.* Hæc ſpina nuptiarum facibus auſpicatiſſima habebatur, quod indè fecerint paſtores, qui rapuerunt Sabinas, autore Maſſu-

P. 319



ACACIA *Veslingij.*

ſſuria, & pro amuleto contra noxas ac malefi-
. Ovidius:

Sic fatus, ſpinam, quæ triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

que defuêre, qui traderent *hanc lauri inſtar* *nquàm de cœlo tangi.* Quæ & alia referunt Ruel- lib. 3. cap. 12. Porta lib. 3. cap. 20. Sunt autem *aciæ diverſæ*, aliasque aliter depictas exhibet atthiolus, aliter Bellonius, aliter Veslingius. *Pri-* Matthioli *folia habet rotunda*, *pyri magni- dine*, *flores ex albo purpuraſcentes*, cujus ima- nem Conſtantinopoli attulerit Augerius Busbe- ius. Quæ deſcriptio ſimilitudinem cum ſpinâ pâ ſatis oſtendit. Et tales per eremum Sinay fre- entes puto dixit Hieronymus, nec alibi notas aut tas. Nam *Ægyptiæ* colore, flore, & foliis multum ferunt. Quanquàm hujus quoque generis in de- tis Arabiæ viſas ſibi narrârit Bellonius. Hæc mi- ſuper *Sittah* meditanti in mentem venêre. Si uid noviſti rectius, candidus imperti. Nec diutiùs orari libet. Acaciam noſtrates Herbarii Schot- ndorn/ à fructu & ſiliquis vocant.

SECTIO III.

De Spinoſis Arboribus & Fru- ticibus.

ADmonuit me Acacia, ut cæteras aculeatis ſpinis horrentes adderem. Ejus generis unt *1. Atadim*, *2. Barkanim*, *3. Chedek*, *4. Choach*,

5. Naa-

5. Naazuz, 6. Sillon, 7. Seneh, 8. Sirim, 9. Sirphaā 10. Zeælim, 11. Koz, 12. Schaith, 13. Schamir, 14. Rothem. Egit de ſpinoſis fruticibus diligenter Dodonæus Penit. VI. lib. 1. præcipui ſunt. *1. Rubi, 2. Cappares, 3. Oxyacanthæ, 4. Tragacanthæ, 5. Pruni ſylveſtres, 6. Rhamni, 7. Paliuri, 8. Lycium,* vel *Pyxacantha, 9. Geniſtæ, 10. Ruſcum, 11. Anonis.* Rhauwolf viſas ſibi quaſdam peregrinas ſpecies obſervat, ut 1. *Agul,* vel *Algul* dictam Arabibus, pag. 94. & 173 2. *Tragacanthæ* alteram, pag. 281. *3. Lycium,* pag 285. 460. 4. *Bellan* Arabicè dictam, pag. 287. &c Bellonius in Arabiæ deſertis & in Syriâ reperit *Rhamnos, Paliuros, Cappares, Geniſtas, Lycii frutices, Prunos, Tragacanthum:* arbores etiam ſpinoſas, fructu eduli, *Napecas* aut *Oenoplias* dictas, quarum deſcriptiones vide pag. 329. & 349. meminerunt etiam P. Alpinus & Veslingius. Per ſpinas itaque incedendum nobis eſt, gradu ſuſpenſo, & calceatis pedibus.

CAPUT XXIII.

De Atadim, Rhamno, Lycio, Cynosbatho.

1. TRibus locis legitur, hoc vocabulum: *Bi* Geneſ. 50. v. 10. & 11. *Area Atad,* nomen loci, quem celebrem fecit luctus Ægyptiorum, Tribu Benjamin, non procul à Bethabara Nomen habuit, ut putant, à Rhamnis quibus ſeptu fuit: *Ter* Judic. 9. v. 14. 15. *Dixerunt omnia ligna a*

Rham

P. 320



RHAMNUS.

amnum, veni, & impera ſuper nos. Egrediatur nis de Rhamno & devoret Cedros Libani, ita Vulgat. cx. etiam vocant τὴν ῥάμνον. Vatablus notat: *e genus rubi odorati ferentis roſas; Gallice Englanr.* Et Tremellius vertit, *Cynosbaton;* Pagnis, *Dumum:* D. Lutherus Dornbuſch. Denique *mel* Pſalm. 58. v. 10. loco perquam obſcuro, & quo mire interpp. variant. Ad verbum ſic hat; *priusquam intelligant*, aut ſentiant *Sirothem* ſpinæ veſtræ, alii ollæ, vel lebetes, ut 2. Palip. 4. v. 11. *At ad* Rhamnum, Cynosbaton: *ut vivum, ſic & ambuſtum*, Hebr. *Kemo chai Kemo aron*, quod alii vertunt; ſicut viventem ſic ira dens, *turbine abripiet eum*, quemcunque Senſus poſitus duplex maxime videtur. 1. *Antequam inæ veſtræ adoleverint in Rhamnum*, ehe eure Dorn reiff werden am Dornſtrauch/D. Luther. *ſicut ventes ſic ira repente auferet.* Hæc quidem comunior expoſitio eſt. Mihi tamen altera mas arridet, 2. *antequam ollæ veſtræ ſenſerint ſuppoum Rhamnum cæperintque incaleſcere, tam vivum uam ambuſtum quemque turbine abripiet.* Nam 1. *iroth* fœmininum plurale, ollas lebetes ſignificat. *Kemo* bis repetitum idem volet, quod qualis, lis, ut Judic. 8. v. 18. tam, quam: pariter hos tque illos 3. *Charon*, flamma eſt propriè, & per etaphoram ita, ut Exod. 15. v. 7. Neque aliune nomen eſt Charontis, - *cui ſtant lumina flamâ*, totumque corpus fumo & flammis tetrum & uaſi ambuſtum 4. ſenſus denique hinc emergit ulcherrimus: Die Gottloſe hencken ein groſſen Keſſel über/ ehe das Feuer in den Dornen recht an-

X gehet/

gehet/ kommt ein Windwirbel/ und führet einen mit dem andern hin. Antequam ferveſcat ahenum illud, in quo impii mala ſua coquunt conſilia, & antequam ſpinæ ignem planè concipiant, tam vivæ quam flagrantes jam & aduſtæ celerrimè auferuntur non aliter atque turbine. Solent autem impii ſpinis ardentibus comparari, ut videbimus.

3. Serarius acerbè, ut ſolet, in Novatores invehitur, quod *Atad* non *Rhamnum*, ſed *Cynosbaton* verterint. Verum præter Joſephi & Suidæ teſtimonia, qui LXX. ſecuti videntur, nihil adfert novi: niſi quod addit: Radak, *Hebræum Atad Carduum* interpretari. Autor additionum ad Dioſcoridem, notat *Rhamnum Afris*, è Phœnicia ſcil. oriundis, *ἀτάδιμ dici*: Sed cujus ille autoritatis ſit non liquet. Leonh. Rhauwolff. Itiner. p. 460. ait *Lycium Arabibus dici Hadad*, & ſic ſanè Serapion vocat, *atque hoc eſſe id genus rubi, cujus meminerit David*, Pſalm. cit. Loca S. Scripturæ *Atadim* his nobis indiciis deſcribunt; quod Dumi ſint ſpinoſi, aculeati, ſepibus utiles & ad ignem in foco; quo facile conflagrent; & quia huic generi regnum defertur, ab arboribus in fabulâ Jothami, veriſimile apparet, aliqua habuiſſe regiæ dignitatis, præ cæteris ſpinoſis fruticibus inſignia. Adde, quod & nonnulli colligant ex eadem fabulâ: *Atadim*, ſi quandò validâ ventorum vi agitentur, ignem concipere, quod ſylvæ ſæpe comburantur. *Sic ignis ex attritu quorundam lignorum excitatur; quæ nota ſunt in hunc uſum paſtoribus, ut lauri, hederæ & alia*, Sen. 2. Queſt. Nat. c. 22.

4. Quæramus jam *utrum hæ notæ Cynosbato, an Lycio,*

icio, an Rhamno magis conveniant? CYNOSBAos, rubus canis, aliter à Theophraſto deſcribir, aliter à Dioſcoride, aliter à Plinio: Interpres hoc loco, *Cynorrhodon* roſam caninam, vel lveſtrem intellexere, quam Galli, ut Ruellius otat, *Englenterii* nomine appellant. Plinius ocat *rubum, in quo roſa naſcitur: gignit pilulam ſtaneæ ſimilem,* ſpongiolam, *præcipuo remedio calloſis,* lib. 24. cap. 13. Aliam tamen roſam ſylveſrem deſcribit lib. 25. cap. 2. quæ ſpongiolas quoue ferat, de quâ hiſtoriolam narrat. *Militis prærianì mater in quiete vidit, ut radicem ſylveſtris ro-, quam Cynorrhodon vocant, blanditam ſibi aſpectu idie in frutecto, mitteret filio bibendam. In Laceniâ res gerebatur, Hiſpaniæ proximâ parte: Caſuscidit, ut milite à morſu canis incipiente aquas exveſcere, ſuperveniret epiſtola orantis, ut pareret ligioni: ſervatusque eſt ex inſperato, & poſteà quisuis auxilium ſimile tentavit,* vide eundem lib. 8. ap. 41. Cynosbaton Dioſcoridis parum aut nil differre ait Dodonæus Pempt. 2. lib. 1. cap. 8. negat Matthiolus. Sed deſcriptio ipſa pro loquatur. *Frutex eſt,* ait Dioſcorides, *arboreens, rubo multò major folia myrto latiora, ſpinæ rca ramos robuſtæ, flos candidus, fructus oblongus, ucleo olivæ ſimilis, qui cum maturuit, rubeſcit, intus nt* ἐριώδη *lanugo & flocculi: fructus exemptis inraneis arefactus alvum ſiſtit.* Hæc noſtræ Cynorhodo ſatis conveniunt, quam dicimus Heckroſen uctum Hanbutten/ & à pruritu, quem ſemina inuſa excitant, Kitzeln/ ſpongiolam Schlaffkuntzen. arias ſpecies recenſet Tragus. *An ergò hæc roſa*

Atad? Cætera ſanè apte quadrant, quæ dixi modò num. 3. & hoc forte proprium huic, quod ut *Roſa florum* hortenſium; ſic hæc ruborum florumque è ſpinis prodeuntium *Regina*, ut illius conſanguinea & quaſi ſoror, merito habeatur. Adde quod *Tyranni elegans emblema* eſſe poſſit: 1. propter mordentes aculeos. Hinc Pythia *canem ligneam* appellavit, cùm Locrum urbem juberet condere; ubi à ligneâ cane morſus, vulnus in crure accepiſſet; quod accidit crure Cynosbati aculeis compunċto, ut ex Didymo Grammaticò refert Athenæus lib. 2. extremo. 2. propter fruċtum aureolum, qui ut adſpeċtu blanditur, ſic floccis & ſemine incluſo arteriæ nocet, vocem aufert, animæque viam præfocat. Talia ſunt aurea Tyrannorum munera. Hæc *Argentangina* eſt.

Ut roſa ſenta Canis præcludit guttura fruċtu;
Præfocant multis munera vocis iter.

3. Adde quod flos ſive candidus, ſive purpuraſcens, regiæ veſtis imaginem præferat, dignitatisque ſpecioſæ, ſed mox evanidæ. Quo pertinet pulchrum Germanorum ænigma:

Es hat ſein Buſem voll Steine/
Wird gefunden ſelten alleine:
Hat ein rohtes Röcklein an/
Thåt manchem nichts/ ließ er es ſtahn.

1. *Vix caret hæc ſociis, gremio fert condita Saxa,*
Purpura quam veſtit, nec niſi taċta nocet.
2. *Per loca ſenta ſitu graderis quicunq;, caveto*
Ne noceat ſævo Lignea *dente* Canis.

Poteſt Cynosbatus Vitæ ruſticæ & ſolitariæ hieroglyphicum

oglyphicum eſſe. Nam etſi ſpinis riget, tamen mediis naſcitur ſpongiola, ut ait Plinius lib. 25. ap. 2. quæ capiti ſuppoſita ſomnifera creditur, ndè & vernaculum nomen habet, quod obſervat ragus.

- - *Somnos dabit herba ſalubres.*

1. *Conciliat ſomnos è ſpinis ſpongia nata;*
Ruſtica dura quidem eſt vita, quieta tamen:
2. *Securus placidos cupies ſi carpere ſomnos,*
Regum aulas fugiens rura quieta colas.

atis pro Cynosbato dixi.

5. LYCIUM, quod & *Pyxacantham Chironiam* ppellant, non tantùm in Indiâ, verùm etiam Lyciâ & Cappadociâ, alibi naſcitur. Buxea olia habet, fructum piperis ſimilitudine, aut accis liguſtri. Pinxit è Palæſtinâ Rhauwolff/ & eſpondet effigies apud Matthiolum, Lycii Itali-. E ſucco coquitur, quod vocant medicamen-um Lycium, vide Dioſcorid. lib. 1. cap. 114. Pli-ium lib. 12. cap. 7. & l. 24. cap. 14. Verùm præ-r nominis concentum nulla adferri poteſt, cur *tad* haberi debeat, ratio. Quanquàm *Hadad* Ara-um & *Atad* noſtrum non plenè conſonent. Ly-um Indi hodiè *Cate* vocant, ut notat Acoſta. anè vix ulla Atadi notarum reſpondere videtur. Quare ſupereſt RHAMNUS. Ejus duo genera eſcribit Theophraſtus & ex eo Plinius: *inter ge-era ruborum*, inquit, *eſt Rhamnus appellatus à Græ-s, candidior & fruticoſior: is floret, ramos ſpargens ectis aculeis, non ut cæteri aduncis, foliis majoribus. Alterum genus eſt ſylveſtre, nigrius & quadantenus ubens: fert veluti folliculos: hujus radice decoctâ in*

 aquâ

aquâ fit medicamentum, quod vocatur Lycium, lib. 24. cap. 14. Tertium genus adjecit Dioſcorides, quod tamen aliqui ad Paliurum referunt. Nobis notior eſt *Rhamnus*, qui *ſolutivus*, *ſpina infectoria ſpina cervina*, & Germanicè Creutzdorn dicitur. Ex ſucco baccarum color viridis ſaturatus fit Safftgrün. Et huic Rhamno ſatis conveniunt notæ *Atadim* poſitæ. Rami ſubrectis ſpinis Regum haſtas: flores, qui circum ſparſi eos rediminunt, coronas præferunt. Ac ferè in eam venio ſententiam; omnes rubos, qui rectos aculeos è ramis inſtar haſtarum erigunt, *Atadim* Syris, Græcis *Rhamnos & oxyacanthas* dictos, differre foliis floribus, fructibus: ita Lycium ſive pyxacantha quaſi *ſpinam buxiformem* dicas; & qui nobis Hagedorn appellatur, quaſi ſpina ſepium quam ſupra *ſpinam albam*, in Acaciâ, diximus, quamque Tragus credit eſſe veram Cynosbaton, *ſenten Canis* appellatam Columellæ; &c. huc ſpectabunt. Et ut in Palæſtinâ locus fuit *Atad* dictus ſic in Atticâ *Rhamnus* pagus, ubi Deæ Nemaſi fanum, Pauſan. in Attic. Pompon. Mela, l. 2 cap. 3. Ad iſtum modum conciliari poſſunt de *Atad* diverſæ ſententiæ, poſſisque hoc vocabulum vertere, Hagedorn / Creutzdorn / Hundsdorn.

6. De Nomine *Atad* ejusque origine nihil habeo, quod dicam. Transpoſitis literis emergit nomen *Tæda*: nec multum abludunt Græca, Δαὶς Δαίτς, quæ facem ſignificant; aut Syriacum נארא *thada*, quod pinguedinem, apud Hottinger. *Nuptiales ſanè faces ex ſpinâ albâ* olim, primitùs facta

teſtan

ſtantur Maſſurius apud Plinium l. 16. cap. 18. c Feſtus in Patrimi. Neque obſtat, quod Scager in Catulli Epithalam. notat: *qui ſpineam tæam ponebant, dicant mihi, ubi viderint tædam in inu quæ propria eſt reſiniferarum arborum?* Non oſteà *Romanis facibus carpinus etiam & corylus fa- iliariſſimæ fuerunt*, ut lib. cit. Plinius. Nempè, uod auſpicatiores haberentur. Et ſi ſpina alba eſt uæ Græcis ῥάμνος, ut ad Tiraquell. obſervat Coerus Alex. ab Alex. l. 2. cap. 5. facilè arida ignem omprehendere potuit, neque defuit fortè igni ircumlitum alimentum, ut noſtris facibus. Quin tiam Barnab. Briſſonius, de ritu Nuptiar. tàm pium quam ſpinam albam huic uſui ſolitam accomnodari exiſtimavit, cui Delrio in Senecæ Medeam, . 38. aſſentitur. Hinc Rhamnum Nicander ἀλε- ιάρην Lycophron & Euphorion ἀλεξίκακον appelàrunt:

Virgaque Janalis de ſpinâ ſumitur albâ,

It & in Faſtis Ovid. quæ averruncandis malefiiis, Lemuribus, Strigibus, præ foribus aut è feeſtris ſuſpendebatur, ut ex Cœlo Rhodig. Dachampius ad Plin. 24. cap. 14. Meminit ſuperitionis etiam Tragus in ſpinâ infectoriâ. Inter ntidota recenſet Nicander in Theriacâ *Rhanum*,

Circa quam niveos eſt ſemper cernere flores.

nterprete Euricio Cordo. Sed illa eſt, quam Dioſcorides & Plinius lib. 25. cap. 6. *Polemoniam & Philetærin vocant à Regum inventorum nominius: Cappadoces Chiliodynamam, cujus inter alia ſus eſt ad antidota.* Neque facilè quis dixerit, cur

Rhamnus credita fuerit ἀλεξίκακος, aut maleficiorum averrunca? *Eumenidibus Sacram* fuiſſe, earumque Sacrificio non quovis ligno, ſed Cedri, & alni, & Juniperi, & Rhamni, incendi ſolita, docet ex Orpheo Natalis Comes lib. 3. Mytholog. cap. 10.

7. Nobis Rhamnus *ſpineæ Chriſti coronæ* contra omnes noxas ſalutare amuletum eſt. Narrat enim Bellonius, lib. 2. obſervat. cap. 88. Se circa Hieroſolymitana mœnia examinatis ſpinarum generibus, tandem ex Rhamno contextam fuiſſe ſpineam illam coronam arbitratum: 1. quod nullum ibi ſpinoſum fruticem frequentiorem reperiſſet: 2. quod Itali Rhamnum *ſpinam Sanctam* appellent, præſertim circa Maceratam & Piſaurum, ubi ſepes eo conſtent, quemadmodum & Hieroſolymis. 3. Quod veteres Arabes ſpinoſum fruticem *Alhan ſegi* vocent, id eſt, coronam ſpineam. Rhodiginus *ex Philetari Rhamno confectam quosdam ait putaſſe*, quod Serarius repetit, in Judic. 9. Quæſt. 23. Serapion abjecto articulo Arabico, *Al*, Rhamnum *Hauſig*, Mauritani, ut apud Matthiolum, *Nauſegi* vocant. Puto vocabula eſſe corrupta. Hebræis נסג *Naſag* eſt *apprehendere*, quod ſpinis competit. Autor Etymologici *Rhamnum* dici putat inter alia, quaſi ῥάμμον, a ῥάπτεσθαι quod eſt *conſuere*, & quia hoc ſine acu & ictu fieri nequit, *pungere, ferire.* Mihi ab eâdem radice Hebraicum videtur, à quâ רמן *Rhimmon*, Malus Punica, quæ & ipſa ſpinoſus frutex eſt, foliis Myrti æmulis: & à Rabbinis *Attadim*, inter Myrti ſpecies referuntur, ut notat Schindlerus. Quin & Lycii quædam ſpecies folia myrti

yrti quodammodo æmulatur, Cluſius in Hiſpan. l. 1. cap. 17. Iſidorus: *Rhamnus genus eſt ruborum, quem vulgò ſenticem Urſinam appellant, &c. Majores autem noſtri omnem arborem ſpinoſam Veprem dicebant, quod vi prendat*, l. 17. cap. 7. Hieronymus in Aggæum: *Rhamnus ſpinoſus eſt frutex, & arbuſcula ſentibus uncinisque contexta, quæ teneat, quicquid attigerit, & retentum vulneret, & vulneratorum ſanguine delectetur.* Indè *Hauſig*, aut *Hauſegi*, nomen Syro Arabicum, & fabellæ Æſopeæ *de Vulpe & Rubo*, 8. de *Veſpertilione, Rubo & Mergo*, 42.

8. Rhamnus rubique cæteri, homines ſignificant 1. humili ſuâ conditione ſecuros, 2. animo malignos, 3. ingenio rapaces, ſævos, iracundos &c. vide Pier. Valerian. Hieroglyph. l. 55. de Vepribus: *curas item, & triſtitiam, & amorem, & injurias ab improbis hominibus*, Artemidorus in Onirocrit. l. 3. cap. 33. &c. Hinc varia emblemata: Ut 1. ex fabellâ Æſopi de Rubo & Abiete. *Paupertatis aſylum.*

Ne me, Abies ſpernas inquit rubus. Ecce ſecuris!
Quàm velles ſpinas nunc habuiſſe meas.

2. Prava ſodalitia vitanda. *Noli me tangere!*

Qui Rhamnum ſociam adſciſcit, ſibi vulnera quærit:
Cum queat illæsâ tangere nemo manu.

3. Ab improbis ſtultum eſt ſperare auxilia. *A malis nil niſi mala!*

Prendere vult Rhamnum, quæ cunctos prendere ſuevit,
Sperat ab infidis qui maleſanus opem.

4. Ex Pſalm. 68. l. cit. *Irrita malorum conſilia.*

Ut Rhamnum turbo diſpergit in igne crepantem;
Sic mala pravorum conſilia ira DEI.

5. Aliud ex eod. - *Cohibenda juventus!*
Ne teneri in dumis poſſint adoleſcere Rhamnos;
Feſtinâ par eſt cædere falce rubos,

6. Ex Judic. 9. l. cit. *Suſtine vel abſtine!*
Qui Rhamno applicuit ſe ſpinas ſperet & ignes:
Vel fuge, vel tolera quæ metuenda malis.

7. Hoſtes Eccleſiæ - *Cadmæi fratres.*
Spinarum attritu Rhamnus ſuccenſa crematur:
Colliſique ruunt in ſua damna mali.

Verùm ne Rhamnus apprehenſos teneat, progrediendum eſt.

CAPUT XXIV.
De Barkanim, & Koz.

1. BIs tantùm occurrunt Judic. 8. v. 7. & 16. priores: *Koz* ſæpiùs ut mox. Verba de illis ſic habent: *triturabo carnem veſtram eth-Koze,* ſpinis deſerti, *veeth - habarkanim,* v. 7. & v. 16. *Cepitque Seniores civitatis, fecitque eos cognoſcere ſpinas deſerti & habarkanim,* id eſt, *contrivit cum eis, atque comminuit,* Vulgatus: qui vocabulum hoc reddidit, *Tribulos:* Tremellius: *Oxyacanthas:* Lxx. Hebraicum retinuerunt, βαρκηνείμ &c. quod alias expoſitum legitur, τοῖς τριβόλοις. D. Lutherus habet, Dorn und Hecken. Aquila, ut Serarius notat, habet, *Tragacanthas.* Ut hoc ſupplicium, dirum ſanè & atrox, novique & rari exempli, melius intelligatur. Quæro 1. *Quale fuerit?* an flagellationis

is tantùm, & fuſtigationis, ſed circa necem? putat Cajetanus cum aliis. Sed necem illatam hiſtoriæ circumſtantiæ indicant, & verbum דוש *Duſch*, triturare pro quo Græci habent ἀλοᾷν & καταξαίνειν, quod eſt propriè *carpere* aut *carminare* lanam, & indè diſcerpere, dilacerare. 2. *Quæ inſtrumenta?* ſpinæ deſerti & tribuli, de quibus ſtatim. Nam quod aliqui putant, ferreis carpentis contritos fuiſſe ut 2. Sam. 12. ult. quod non diſplicet Saliano, repugnat textui. 3. *Quæ cauſa tàm atrocis exempli?* Non dubito, quin Gedeon in Succhothæos ſic voluerit animadvertere, quomodò in *Parricidas* ſolebant Ægypti: *Nam calamis præacutis fruſtillatim conciſſos, viventes adhuc ſuper ſpinis cremabant*, Diodorus Sicul. l. 1. cap. 77. Sic Vitellius *minutiſſimis ictibus excarnificatus, unco tractus eſt in Tiberim*, Sueton. cap. 17. & qui hoſtilia in Remp. eſſent moliti, per vicos & compita nudi circumducti, virgis ad necem cædebantur. Undè & ſupplicii tàm ſeveri patet æquitas; *Per quod quis peccat, per idem punitur & idem.* Similes erant ingrati & rebelles ſpinis pungentibus & ſterilibus. Quare ſpinis puniendi videbantur, Simile ſupplicium videtur fuiſſe, *Scorpionibus lacerari:* ſic virgæ dicebantur *aculeatæ*, Iſidorus lib. 5. cap. 27. quarum mentio fit 2. Paralipom. 10. verſ. 11. vide Baronii Martyrolog. prid. Idus Junii. Sic Genſerychus Vandalorum Tyrannus, Martyres, *ligatis pedibus poſt terga currentium quadrigarum, inter ſpinoſa ſylvarum loca interire juſſit, ut ducta atque reducta innocentum corpora dumoſis lignorum aculeis carperentur*, Victor Uticenſ. lib. 1. Perſecut. Vandal. Eorum aliquis conſola-

ſolatus alterum; *ſic*, inquit, *pervenitur ad regnu[m] cœlorum!* ſcil. per multas tribulationes.

Per ſpinas mundo trahimur rapiente maligno:
Non eſt à terrâ mollis ad aſtra via.

2. De Barkanim nihil habere certi po[ſ]ſumus. Aliquid aculeati fuiſſe oportet, quod corus[c]caret inſtar lanceæ, aut aciei enſis, ut Nahum. 3. v. 3. Hab. 3. v. 10. Deut. 32. v. 41. Spinas nativa[s] fuiſſe non eſt neceſſe. Imò cum ſpinis deſerti tri[]turandos dicat rebelles ſuos Gedeon, & *Habar[]kanim*, præfixo *He demonſtrativo*; veriſimile e[ſt] clavas ſuas præferratas, & acuminatas oſtendiſ[]ſe, quales deſcribuntur *Aclides*, apud Virgil. 7. Æneid. v. 730. & teli genus, quod vernaculè vocatur ein Morgenſterne. Cui fortè, quod Græcum nomen non reperirent, Lxx. Hebræorum retinuerunt. Neque de tribulis è terra natis videtur loquutus interpres Latinus; ſed de ferreo inſtrumento, quod *tribulis ferreis* aliquâ parte reſponderet, quorum Vegetius meminit. Itaque triturationis modum in hoc ſupplicio obſervatum patet: ut *pro areâ* eſſent damnatorum corpora, *pro frugibus* ſpinæ deſerti, *pro perticis* aut flagellis hæ clavæ ferreis acuminibus, tribulorum inſtar, præfixæ. Ne tamen quid deſideretur, paucis quoque de Tribulis, oxyacanthâ & Tragacanthâ agemus.

3. Tribulus, Græcâ origine, *tricuſpidem* ſignificat: quales ſunt Romanorum *murices* τρίβολοι dicti Græcis, & qui frænis lupatisque adduntur. Plantæ hoc nomine duæ veniunt: altera τρίβολος χερσαῖος *tribulus terreſtris*; altera ἔνυδρος *lacuſtris* dicitur.

citur. Prior hortulanis infeſtus, quatuor erigit culeos; poſterior niger, Caſtaneæ magnitudine, triplici armatur mucrone: hic Venetiis in foro venalis habetur, & toſtus ſub cineribus, inter bellaria, ut Matthiolus. Noſtri vocant Waſſernüſ, Galli *caſtaneas aquaticas*, Arabes apud Serapionem *Haſach:* חסך *chaſach* Arabicè eſt aſper fuit, Samaritanis ſpinæ, סוכין *Suchin.* Dioſcorides 4. c. commendat uſum ejus *inter oculorum medicinas & antidota: ictos à viperâ potu recreare* ait, *decoctum ſparſum necare pulices: Thraces qui ad Strymona habitant, viridi tribulo ſaginare equos, panemque conficere è nucleo aut medullâ ſicca & in farinam redactâ.* Addit Plinius, *eum eſſe prædulcem, qui contrahat ventrem: radicem verò caſte pureque collectam diſcutere ſtrumas*, vide lib. 21. cap. 16. & 22. cap. 10. Pulchra imago tribulationum, quas terra & mare multas pariunt. *dolor hic tibi proderit olim!*

Abſcondit nucleos tribulorum ſpina ſalubres:
Fer bene! crux olim proderit illa tibi.

Sed hos tribulos nihil ad hunc locum facere, nemo negabit. Ἀπὸ τριβόλων σῦκα συλλέγειν Proverbium eſt Matth. 7. v. 16. de quo Zehner. Cent. 3. adag. 16. *At ſemen nata reſpondent*, ait Seneca:

Nec Tribulus ficus, nec ſpinus parturit uvas:
Naturæ ſequitur ſemina quisque ſuæ.

Terra ſpinas & tribulos proferens maledicta, Hebr. 6. v. 8. ex Gen. 3. v. 18. ubi pro tribulo eſt Dardar, de quo in Herbis.

4. DE OXYACANTHA nonnihil cap. præced. diximus: quidam diſtingunt *oxyacantham* ab eâ

Appa-

apparet varias fuiſſe ſpecies, comprehenditque hoc nomine 1. Quam *Pyrinam & Pyracantham* vocant, Hagedorn; *Crespinum*, ſive *ſpinam acidam*, Arabice dictam *Amirberin*, officinis inde corruptè *Berberim*, Saurach; *3. Uvam criſpam* Kruſſelbeer/ & ſimiles. TRAGACANTHA, cujus lacryma in Medicinâ celebratur, multis quidem riget *ſpinis albicantibus*, quæ forte ratio movit Aquilam, ut *Barkan* eſſe crediderit: iisque duris & rectis; ſed humilior planta eſt, de quâ Dioſcorides lib. 3. cap. 20. Et ut hæ fuerint omnes inter ſpinas deſerti, tamen quæ de *Barkanim* dicta jam ſententia magis arridet; neque apparet cur vel iſtæ, vel hæc à coruſco fulgore nomen potuerint accipere, aut ad triturationem hominum damnatorum eſſe idoneæ? Neque cauſa eſt cur diutius in his dumis hæreamus. Vocat nos.

5. Koz, *duodecies* legitur, ut habet Marinus: Geneſ. 3. v. 18. *Terra germinabit* Koz *ſpinam &* dardar *tribulum*, carduum: Non quod ante lapſum non protulerit, uti quidam veterum rati; ſed quod ex ſingulari maledictione crebriùs nunc naſcantur, locis etiam cultis, hominum fruſtratâ curâ & operâ. *Ut ſeminaveris, ita & metes!*

Spinas & tribulos maledictum parturit arvum:
Qui peccata ſerunt, tædia, damna, metunt.

Exod. 22. v. 6. Lex: *de damno dato ſuccenſis in agro ſpinis*, de quâ D. Hottinger. in Jure Hebr. pro lib. 52. & in Collat. Legum Moſaicarum Tit. 12. de Incendiariis. Ubi Lex ſimilis ex Pauli ſentent. libro

ro: *Fortuita incendia, quæ caſu venti fuerint, aut curia ignem ſupponentis, ac usque ad vicini agros adunt, ſi ex eo ſeges vel oliva, vel vinea, vel fructiræ arbores concremuntur, datum damnum æſtimanne ſarciatur.* Priſca ſuperſtitio fuit, ut Thuſcâ ngua ædium januis aut parietibus inſcriberent. *rſe vorſe!* quod apud Feſtum exponitur: *averte nem!* quo deprecabantur incendium, tutamque ignis injuriâ domum præſtare ſe poſſe opinantur.

Quæ vultu ſpargit cultuque incendia; nonne
Damni accuſatur jure proterva dati?

alm. 118. v. 12. de hoſtibus Davidis & Meſſiæ: *arſerunt ſicut ignis in ſpinis:* cum ingenti fragor & inextinguibili rapacitate, Janſen. Sed in ntibus eſt דעכו *Doachu*, *extincti ſunt ſicut ignis inarum.* Lutherus pulchrè; Sie dämpffen; mparat enim eos cum apum examinibus frentibus, & cum ſpinis extinctis *fumantibus* ut cum virides accenduntur. *Fumus*, ut ajunt, *lchriores perſequitur.* Sed ut ſpinæ extinctæ, ſi fumo moleſtæ ſint, tamen jam nocere neeunt; ſic, inquit, illi. *Fumum fugiens cadit in nem*, ita hic:

Spinarum fugiens fumum ſe mittit in ignes:
Mundi odia haud potis es ferre; Erebumne potes?

6. Hoſeæ, 10. v. 8. *Koz* ſpina, Vulgato *Lappa*, & ibulus, *dardar*, de quo ſuo loco, *adſcendent* ſucceſcent, *ſuper eorum aras.* Quod eſt *ſignum ultimæ itudinis*, Hieron. & longæ vaſtitatis, ut cap. 9. 6. Sic etiam in ſanis.

Car-

Carduus & ſpinis ſurgat paliurus acutis.
Ut ſi *ſuper terram cultam* Koz Schamir *ſpina ve*
Eſai. 32. v. 13. *Spinæ exciſæ igni comburentur*, Eſ.
v. 12. *Sic impii quaſi ſpina evulſa*, aut loca mo
quam ne manu quidem attrectare quis ſuſtinet,
Sam. 23. v. 6. wie die ausgeworffene Diſteln /
Luther. ſunt enim quaſi *Sillon* ſentis pungens, *& K*
dolorem inferens, Ezech. 28. v. 24.

Jerem. 6. v. 3. *Seminare in ſpinis* prohibet
ne ſuffocent ſementem Dei munda ſemina, munda
va ſuſcipiant, Hieronym. ibid. ſic Luc. 8. v. 7. *ſe-*
re triticum & metere ſpinas, Jerem. 12. v. 13. P
verbium, de iis quæ contra ſpem & exſpectat
nem eveniunt. *Sperabunt proſpera, & adverſa p*
peſſi ſunt, Hieronym.

7. Ex his facilè deſcriptio *Kozim* extrui p
teſt, quod ſint ſpinæ Veprium, quales vel ſpon
vel & divinâ maledictione, cultis incultisq
locis naſcuntur, ignium pabulo, damno arv
rum & ſegetum, tædio ac moleſtiæ agrico
rum: undè & nomen acceperunt à קוץ *Kaz*
dere, moleſtum eſſe, βδελύττεσθαι. Videturque n
men eſſe γενικὸν, quod non tantùm de ſentib
ruborum, ſpinis veprium: verùm etiam de lapp
rum, carduorumque aculeis ſumi queat. A
rorum divitias ſpinas eſſe docui Volum. 2.
Analector. l. 6. cap. 4. quibus accidit quod C
melis, quæ per Arabiæ ſolitudines peregrinan
bus dapes vehunt, ipſæ ſpinis paſcuntur: ut a
carduis, quò *ſimiles habeant labra lactucas*. Qu
ad Inferos Lucianus in Necyomantiâ decret
narrat factum; *ut divitum avarorum animæ de*

gr

·ent in aſinos; donec annorum quinquies ac vicies ·cem millia tranſegerint, aſini ſemper ex aſinis rena-, onera ferentes, atque à pauperibus agitati. Hoc ve-: eſt, quod dicitur: *Sic vos non vobis!*

Carduus eſt aſino lactuca, & ſpina camelo;
Et dorſo lautas portat uterque dapes,
Sic aliis lucrum; ſibi curas ſervat avarus;
Et quas comparſit, degulat alter opes.

CAPUT XXV.

De Chedek & Choach.

PRoverb. 15. v. 19. *Via pigri ſicut ſepes ſpina,* CHEDEK: quaſi dixerit, impedita quaſi ſentibus eſt; *iter impiorum, quaſi ſepes ſpinarum,* ·ulgat. iſt dornicht/ D. Luther. *ὁδοὶ ἀεργῶν ἐςρωμέναι ἀκάνθαις* Lxx. *ὁδοὶ ὀκνηρȣ̃ ὥσπερ φραγμὸς ἐξ ἀκάν-ις,* Symmach. ſemper cunctatur, ſemper hæret, ut per ſepem ſpinarum ſemper tranſiliendum eſ-·t; ipſe ſibi fingit impedimenta, cauſasque mo-·ndi & tricandi. Itaque ſtat aut jacet - *neque pro-·ovet hilum.* Quo fit, ut & Deus remoras & obi-·es opponat, ut feliciter nequeat progredi: ſic ·ob. 1. v. 10. & Oſe. 2. v. 6. Ita in fabulis, ut apud ·Ioratium.

Ruſticus exſpectat dum defluat amnis: at ille
Labitur & labetur in omne volubilis ævum!

·lich. 7. v. 4. *Optimus eorum eſt ſicut Chedek, q. aliurus,* Vulgat. Lxx. longe recedunt: *Bona eo-·um ὡς σὴς ἐκτρώγων, ut tinea erodens,* è putredi-·e natus vermiculus, undè σὴς; & σὴψ ſeps, ſer-

 pentis

pentis genus, à σκόπτω, *Paliurum* h. l. Corn. à Lap. ait eſſe, quod vulgò dicitur *agrifolium*. Notat Schindlerus, *Chedek* à nonnemine accipi de *Lycio*, quod Arabibus vocetur, *Hadad*, de quo ſupr. in *Atad*: ſed Lycium ab Avicennâ dici עצץ *aji.* & *zadda punctatis*, quod eſſet *ghadad*: fortè à la- ceſſendo & ad iram provocando. Eſt aut. *Chadak* Arabice circumdare, intricare: unde *Chadik* acutus, ingenioſus, & *Chaddak* res intricata.

2. Eſt igitur CHEDEK, ut ex his colligitur, frutex ſpinoſus, aculeis horrentibus armatus, implicatis inter ſe ramis, & ideo nativis ſepibus utilis: ſpinas habet noxias, quæ obvia quæque rapiunt ac tenent, tangentesque pungunt & vulnerant. An ergò PALIURUS Sed quis ille? Matthiolus varias adfert veterum deſcriptiones, neque ſe extricat. Heſychius ait eſſe δένδρον θαμνῶδες denſum, fruticoſumque. Spinas acutas celebrant Poëtæ:

Pro molli violâ, pro purpureo narciſſo,
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Virgil. Eclog. 5. & imitatus Tertullian. in Geneſ. cap. 3.

Nam tibi triticeæ ſurget pro germine meſſis,
Carduus, & ſpinis multùm Paliurus acutis.

Columella ad vivam ſepem conferendam jubet eligi ſemina *vaſtiſſimarum ſpinarum, maximeq́; rubi & paliuri, & ejus quem Græci vocant Cynosbaton, nos ſentem canis appellamus*, lib. XI. cap. 3. *Paliurus herba aſperrima & ſpinoſa, pungens & retinens: vulnerans appropinquantem ſibi, & adunco dente comprehendens*, Iſidorus, 17. cap. 9. Etymon nomi-

ni

is non memini legere : Græcum apparet, ut *δύ-ουρος, ἐπίουρος*; à cuſtodiendo forte. Sed ſi com-oſitum ſit ex פלי *Peli* & ער *Ar*, inimicum ſigni-cabit occultum, & in exitium vigilantem.

3. Eſt autem *Paliurus* alia *Africana*; fructum ert *ςρόγγυλον* oblongâ rotunditate, rubentem, edri fructibus magnitudine aſſimilem, Theo-hraſtus. *Cyrenaica Loton ſuam huic poſtponit. ruticoſior hæc fructuque magis rubens, cujus nucleus on ſimul manditur, jucundus per ſe, atque ſuavior è ino; quin & vina ſucco commendans*, Plinius l. 13. ap. 19. Matthiolus conjicit, non videri abſimi-em hunc fruticem arboreſcentem ei, quem Pli-ius *Aquifolium*, nos *Agrifolium* dicimus, & Ger-nanicè Stechpalmen. Ramis, quoniam ſemper irent, Templorum fores & aras per hiemem rnant : quos deinde ſuperſtitioſi domum fe-unt, contra fulgura & faſcinationes. Plinius it creditam *hanc arborem, ſi in villâ aut domo ſera-ur, arcere veneficia, ejus flore aquam conglaciari,* utore Pythagorâ : *baculum ex eâ, ſi in quodvis ani-al emittatur, etiamſi citra ceciderit, ipſum per ſeſè ecubitu propius allabi.* Nobis, ut ait Porta lib. .cap. 19. ſcopis naſcitur, & circa funes ſuſpen-itur, è quibus carnes ſalſæ pendent : quia ures arcet aculeis ſuis. Sed neque hæc *Aqui-olia* eſt *Chedèk*, & illa *Cyrenaica* laudato fructu ræſtantior eſt. Ac conſpirant ferè Botanici ontra Matthiolum, Paliurum Africanam eſſe, uam Afri *Zizyphum* dicunt, pruno minorem, pinis undique rigentem longis, lævibus, firmis, cutiſſimis. Fructum officinæ appellant *ju-*

jubas, noſtri Bruſtbeerlein. Eſt tamen alia major, alia minor; alia fructu rubente, alia albo. Ridiculum quod habet Palladius in Aprili cap. 4. *Si arbor hæc triſtis eſt, ferrea ſtrigili ſubraſa hilarior fiet.* Phryx non niſi plagis emendatur. *Populus non intelligens vapulabit*, Oſe. 4. v. 14.

Ziziphus ut ſtrigili depecti gaudet; ita amens
Non faciet, niſi ſi vapulet, officium.

Palladas Græco epigrammate Zizyphorum θείαν δύναμιν deprædicat: nam cum quartanâ febri laborans, tantum inſpexiſſet, illicò ſe convaluiſſe ait. Sanguinis Chriſti rubentes grumi, verè *pectorales baccæ* ſunt. Luc. 22. v. 24. *Hic juvat adſpectus!*

Zizyphaſi videas tantum prodeſſe feruntur:
Huc ades! hæc viſu nam medicina juvat.

4. Eſt & *alia Paliurus*, quæ inter Rhamnos numeratur generis tertii, quam Camerarius vocat Stechdorn/ de quâ nihil attinet plura dicere. Hæc puto eſt, quam num. 2. deſcripſimus. Neque negabo *Chedek* eſſe poſſe. Quoniam certius nihil occurit. Tales ſunt *Dorophagi*, ex Mich. l. cit.

Sauciat atque rapit ſpinis Paliurus acutis:
Hoc etiam Judex ſemper avarus agit.

In Coccygio monte aliud genus Paliuri naſci prodit Plutarchus ex Cteſiphonte, de Arboribus: ei ſi avis inſideat, alis quaſi viſcatis hæret, præter cuculum, cui ſoli parcit. Nugæ! De Cuculo multa Pierius Valer. Hieroglyph. lia. 25. & Cl. Minos ad Alciati emblems 60. ſignificat vulgari convitio, mœchos, eorumq; receptatores; homines item ignavos & rapaces

P:340



ZIZYPHUS, *rutila.*

aces. Undè fabella apud Plutarch. in vitâ Arati: *Quæſivit Cuculus ex avibus, cur ſe conſpectâ fugerent? illæ; quoniam,* inquiebant, *ſuſpicamur te accipitrem aliquandò fore.* Tales ſunt Tyranni, Tyrannorumque familiares. Et quadrat huc, quod dici ſolet - *dat veniam corvis.* In ſceptro Junonis Mycenææ ſtabat cuculus: quod hujus in formam mutatus Jupiter clam Junonem compreſſiſſet, &c.

Inviſcat Paliurus aves, ſolique cucullo
Parcit: an hoc pravi judicis ingenium eſt?

5. DE CHOACH non pauca dixi in Nomenclaturâ ſupra cap. 3. num. 19. & quanquàm pro carduo ibi diſputavi; tamen puto, omnes ſpinoſos frutices, aut ſtirpes ſic dici, quibus adunci & recurvi inſunt aculei. Indè *Chachim* hami piſcatorum, Job. 40. v. 21. & fibulæ, Hefftlin/ Exod. 35. v. 22. & catenæ, 2. Paralipom. 33. Ezech. 19. v. 4. & rupes acutæ ac præruptæ, 1. Sam. 13. v. 6. Syros carduum altilem ſic appellare notat D. Hottingerus. Loca S. Scripturæ citabo & explicabo in *Kimòſch*, l. 2. ubi de Carduis. Jungitur enim cum *Kimòſch* Hoſeæ 9. v. 6. cum *Baſchà*, Job. 31. v. 40. Unde quoque Eſai. 34. v. 13. naſcique dicitur inter triticeas ſegetes, & locis incultis, ac deſertis: flore certè ſuperbo, ut ſe roſæ aut lilio auſit æquiparare, Cant. 2. v. 2. undè & Cedri ſperavit affinitatem, 2. Reg. 14. v. 19. &c.

CAPUT XXVI.

De Naazuz, Sillon, Seneh, Sirim, & Sirphad.

1. NAAZUZ bis legitur apud Eſaiam: ut cap. 7. v. 19. ubi de muſcis & apibus per allegoriam: *& venient, & requieſcent in omnibus Hannaazuzim*. Lxx. habent ῥαγάδα *fiſſuram*: Vulgatus, *fruteta*: Arias Mont. *albas ſpinas*: Pagninus, *Caſas*: Vatablus, *foramina*, vel ut alii *dumeta*: Tremellius, *virgulta*: Lutherus, Hecken. Sic. Eſai. 55. v. 13. *loco Hannaazuz adſcendet abies*: ubi Lxx. ἀντὶ τῆς στοιβῆς, Aquila & Theodor. κονύζης, Symmachus mox ἀκαλήφην ponit, pro *Haſſirphad*. Expendimus hoc poſterius dictum Prophetæ ſuprà cap. 4. num. 11. ubi pro *Naazuz* vidimus poſuiſſe Vulgatum, *Saliunculam*; Pagninum, *rubum ſpinoſum*. Atque hoc quidem certum eſt, *Naazuz* eſſe aliquod vile virgultum, quod de *Sirphad* non minùs patet: cùm proceris formoſisque arboribus, quæ in iſtorum locum educandæ dicuntur, opponantur. Deindè id quoque etymon utriusque vocabuli videtur indicare; utrumque hoc Virgultum ſpinoſum eſſe: ſi modò *Sirphad* ex *Sir* ſpinâ & *raphàd* ſternendo; *Naazuz* verò à *Naaz* infigendo, dicta ſint, confer dicta cap. 4. cit. ſupra. Puto autem Prophetam, cùm peregrinarum gentium impreſſionem deſcriberet, peregrino *Naazuz* vocabulo, quod à *Naaz*, Chaldaica radice derivatur, cap. 7. & *Sirphad* à radice, *Raphàz*; quod Arabes per

Zade

Zade punctatum legunt, *raphàd*; deſcendere quod ſignificaret, *ſpinam neglectam, & derelictam*, vide Schindler. Nunc interpretes audiamus.

2. Stœben deſcriptam dedit ſuprà Hieronymus; eſſe *viliſſimum ſtipitem*; Heſychius, εἶδος κόρτȣ. Dioſcorides, ut vulgaris notitiæ, noluit depingere, Ruellius ex Theophraſto & Plinio, lib. 2. cap. 145. & lib. 3. cap. 82. ita deſcribit: fruticem eſſe tùm caule cùm & folio aculeatum: radicem pecori eſſe gratam in pabulo, folium inprimis carnoſum ovibus, &c. Ejus imaginem è veteri Codice Bibliothecæ Cæſareæ exhibet Dodonæus, proditque naſci hodiè in Cypro & Peloponneſo. CONYZÆ, quarum diverſæ memorantur ſpecies, herbæ graveolentes ſunt, quarum aliquæ Germanis Dürrwurtz/ Donnerwurtz/ geele Müntzen / vocantur, flore luteo, chamæmeli non abſimili, qui in pappos vaneſcit ſuffitu, ſubſtratuque fugat ſerpentes, abigit pulices & necat; indè *Pulicariam* vocavit Gaza. Quid Græcis in mentem venerit, ut vocabulum, *Naazuz*, ita verterent, divinent, quibus vacat. SALIUNCA, ut ait Plinius, *folioſa quidem eſt, ſed brevis, & quæ necti non poſſit. Radici numeroſæ cohæret, herba veriùs quàm flos, denſa, veluti manu preſſa, breviterque ceſpes ſui generis: Pannonia hanc gignit, Noricique, Alpiumque aprica urbium Eporrhedia tantæ ſuavitatis, ut metallum, & quaſi metalli fodina eſſe cœperit. Veſtibus interponi eam gratiſſimum*, lib. 21. cap. 7. Qui & à *nardo Gallicâ* diſtinxit cap. 20. quam Dioſcorides ἀλιȣ́γγιαν Patrio nomine appellari ſcribit. Putant tamen doctiſſimi viri

 non

non differre, & Germanico vocabulo dici quaſi Seelejung / quod animam reddat juvenilem: in Styriâ Auſtriæ, & Carinthiâ frequentem naſci, atque indè in Syriam & Ægyptum mitti, balnearum uſibus, refert Matthiolus. Cluſius in Pannonicis l. 3. cap. 26. diligenter depinxit & deſcripſit, ut ad Plinii deſcriptionem ſine dubio accedat. Refert in claſſem *ſylveſtrium Valerianarum*, & ab incolis Spick / *ſpicam puta*, dici. Hæc igitur Saliunca Plinii eſt. An & illa de quâ Virgilius:

Lenta Salix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum Saliunca roſetis;
Judicio noſtro tantum tibi cedit Amyntas?

Diſceptant. Quâ de re multa Matthiolus. Vulgatus Interpres loco Eſaiæ cit. ad hunc Virgilii locum videtur reſpexiſſe, neque penſi habuiſſe, an & in Syriâ hæc herbula naſceretur; Quæ quàm humilis per ceſpites ſerpit; tam propter odoris gratiam pretioſa eſt. - *Adjuncta eſt gratia parvis!*

Parva quidem, ſed odore ſuo Saliunca metallum eſt,
Sic parvis major gratia rebus ineſt.

Vel, *Deus humilibus dat gratiam*, 1. Petr. 5. v. 5.

Serpit humi pretioque æquat Saliunca metalla;
Gratia ſic parvis major ab axe venit.

Denique ἀκαλήφη cujus quoque facta mentio eſt, *urtica eſt*, de quâ ſuo loco. Dixi de *Naazuz & Sirphad*. Sequitur

3. SILLON; bis quoque tantùm legitur, apud Ezechielem; ut cap. 2. v. 6. *Ne metuas*, &c. *quoniam*

iam Sarabim, *Oeſtro perciti* ex LXX. Theodoretus, *increduli*, Vulgat. contentioſi, rebelles, refractarii, Widerſpenſtige / & Sallonim, *ſubverſores*, *ſpinoſi*, achelichte Dorn / *ſunt tecum*; ἀπισυστήσονται ἐπὶ σε ἰκλω LXX. & *cum* Acrabim *ſcorpionibus habitas*, ap. 28. v. 24. *Non ultra erit domus Iſraël Sillon ungens*; offendiculum amaritudinis, Vulgatus: κόλωψ πικρίας, LXX. ſpinus dolorificus, ſentis, ungens, &c. His adde radicem *Salal* & derivata indè, apud Schindlerum; ſequetur, *Sillonim* eſſe ſpinas humi ſtratas elevatasque, quæ iatori aut & agricolæ ſint impedimento & offendiculo, corbium inſtar inter ſe inflexæ & implexæ, ſuosque aculeos pectinis in modum ſubrigentes, aut capillorum, ut veteri vocabulo dicam, *horripilantium*: ſub quibus etiam ſcorpii alique venenatæ beſtiæ latere gaudent: ut *ſæpè ub viridi vepreculâ nitedulæ*. Talis ſtirps eſt quæ Græcis *Anonis vel Ononis* dicitur, vulgò *Reſta bovis*, *remora aratri*, *acutella*; Heuhechel / Ochſenbrech; gregia hypocritarum, adverſus Miniſterium erbi Divini contumacium, imago: nam 1. non acile interit, 2. difficillimè extirpatur, 3. radices mplicatas ſpargit, 4. indè agricolis moleſtæ, 5. ratrum tenet & remoratur, 6. boves ſiſtit, 7. Flo-, qui vel purpureus, vel albidus, vel aliquanò luteus eſt, venuſto blanditur; ſed 8. acutiſſimis ſpinis tangentes, tranſeuntesve, pungit. Tenera adhuc, antequam ſpinoſa fiat, muriâ condir, cibis gratiſſima, ut Dioſcorides l. 3. c. 18. Dicir *Anonis*, quod nil juvet; *ononis*; quod juvet aſinos prurientes, & ad illam ſe atterentes. Sunt &

aliæ ejus generis humiles ſpinoſæque herbæ, ut vulgare & pumilum *Eryngium* Mannstreu/ Brachendiſtel/ cujus folia, priusquàm adoleverint, ſale condita, quoque in cibos recipiuntur, Dioſcorid. l. cit. cap. 21. *Portentoſum eſt, quod de eâ traditur: radicem ejus alterutrius Sexus ſimilitudinem referre. Et ſi viris contigerit mas, amabiles fieri. Ob hoc & Phaonem Lesbium dilectum à Sappho,* Plin. lib. 22. cap. 4. Pulchrè cùm Philoſophiâ morali confertur à Plutarcho, *in lib. Maximè cum Principib. eſſe Philoſopho diſputand.* Nam ut eryngium ſi capra una ore apprehenderit, ſtatim ſtat & ipſa, & grex totus donec Paſtor accedens ori eximat: ſic Sapientum dicta & doctrina à Principe excepta, multis ad vitam quietam & honeſtam proſunt. Conveniunt & alia: ut quod hæc ſtirps 1. aculeata ſit, ſpinis capitula ejus ſtellatim ambientibus, 2. ἰυώδης καὶ ἀρωματίζουσα, 3. radix geſtantes reddat amabiles: 4. quæ in potu cum hydromelite Comitialibus medetur, & cum vino Serpentum contra morſus ac venena prodeſt, apud Dioſcorid. &c. *Qualis Rex, talis Grex.*

Stat grex caprarum ſi carpat eryngion una:
Principis exemplum plebs ſolet usque ſequi.

Aſinorum pecten?

Agricolas remorans aſinos oblectat ononis;
Sic ſpinoſa tenent Sola juvantque rudes.

4. SENEH rubus ille dicitur, in quo apparuit Deus Moſi, Exod. cap. 3. ſæpius. Indè *Habitator rubi,* Deut. 33. v. 16. & mons *Sinay* dictus, quem Bellonius lib. 2. obſervat. cap. 61. & ſeqq. aliiſque deſcribunt, & *rupes Senèh* 1. Sam. 14. v. 4. Cujus generis

is fuerit iſte rubus ? nemo, quem viderim, ex-
licavit. Nam ut *Cynosbaton* taceam, alius eſt
ubus Idæus, fructu rubro, Hindbeer vocant: alius
ulgaris, qui mora fert nigra, Brombeer: & hic
el major; vel & minor χαμαίβατος ſivè *humi-*
ubus, cujus mora Gallos ruſticos vocare *Catha-*
inas, ait Ruellius: poſſet quis opinari, adepta
oc nomen eſſe à monte Catharinæ; ſic Sinay
icitur, quod Virginis Martyris corpus Alexan-
lriâ ab Angelis eò delatum, & ibi ſepultum ſit.
hilo lib. 1. de Vitâ Moſis, 1. exponit; quis ille
uerit? *frutex*, inquit, *debilis & invalidus, & ita*
culeatus, ut manus ſolo contactu vulneret. 1. Quo-
nodò in igne? *integer & illæſus, quaſi non eſſet*
gnis materia, ſed ab ipſomet aleretur: non enim con-
umebatur ab ignis natura voraci: quin conſervaba-
ur potiùs, nihil adeò amittens, ut & ſplendeſceret.
. Quomodò Angelus apparuit? *E medio promi-*
abat forma quædam pulcherrima, nulli viſibili ſi-
nilis, divinum ſimulachrum luce fulgens clariſſimâ,
t ſuſpicari poſſet Moſes Dei eſſe imaginem. Quod
ectè refellitur à Chriſtianis. 4. Cur exhibita
æc viſio? *Rubus ſignificabat oppreſſos in Ægypto,*
gnis oppreſſores: quaſi inclamaretur calamitate preſ-
is: Nolite ſuccumbere! Hæc veſtra infirmitas eſt po-
entia, quæ plurimos punget & vulnerabit. Qui
os delere cupiunt, ſervabunt inviti, cumque maximè
pprimi videbimini & vaſtari, tunc maximè enite-
it gloria veſtra. Hæc ille pluribus. Theodo-
etus Symbolicè indicat rubum ſignificare, *Ec-*
leſiam, Filium Dei in carne & Virginem Matrem.
Quærit, cur in rubo apparuerit Deus, non in aliâ
ſtir-

ſtirpe? Reſpondet: *ne ex rubo Dei ſimulachrum effingeretur: quod ex aliâ materiâ, ſi in eâ hæc facta eſſet apparitio, auſuros fuiſſe Judæos veriſimile ſit.* Sic Bernhardus in Serm. de B. Mariâ *Traditio Hebræorum viſionem in humili arbuſculâ aſſerit traditam, ne populus occaſione aliquâ laberetur ad idololatriam*, &c. Alcimus Avitus lib. 5. v. 25. hoc ſigno ait indicatum, igne tribulationum,

- - - ſpinas noſtræ ferveſcere mentis,
Et lucere bonis, qui non conſumeret, ignem:
Sed tenebras mundi auferret.

Verùm de his ſatis: ne in Iliada excreſcat hic libellus.

5. *Rubus* inter alia miram Eccleſiæ propagationem ſignificat. *Rubi namque gracilitate, & ſimul proceritate nimiâ, curvati, defigunt rurſus in terram capita, iterumque naſcuntur ex ſeſe, repleturi omnia, ni reſiſtat cultura*, Plinius 17. cap. 13. vocat ibidem *peſſimam atque exſecrandam rem*, homo atheus. Et l. 24. cap. 13. *Nec rubos* inquit, *ad maleficia tantùm genuit natura, ideoque ex eis mora vel hominibus cibos dedit.* Cap. ſeq. 14. *Rubum Idæum teneriorem ac minorem, eſſe rarioribus hamis innocentioribusque, ſub arborum umbrâ naſci:* &c. Mora rubi nigra, viri docti *vaccinia* Virgilii eſſe putant: non tantùm Leonh. Fuchſius, ſed & Brodæus in Miſcellan. nec abludunt Hadr. Junius, Amathus in Dioſcor. &c. citati à La Cerdâ. Plinius innuit quoque *baccas* eſſe, *ad aucupia ſatas, & cingendis ſervitiorum veſtibus.* Quorum utrumque *Liguſtri baccis* convenit: nam

am & colore capillos irrufant, ut notat Dioſco-
ides, & avium cibus ſunt Matthiolus in Dio-
corid. l. 1. cap. 107. Sic liguſtro ſuo quod *El-
enne* vocant, Ægyptii in commerciis utuntur
d tingendum aureo colore, Bauhin. ibid. Rhau-
wolff pag. 6. itinerarii deſcribit ac depingit: eſ-
e arbuſculas noſtro liguſtro, Beinenhöltzlein/
on abſimiles: dici ab Arabibus *Alcanna*, *aut
Tenne*, à Græcis *Schenna*, &c. Confer quoque
ellonium l. 2. cap. 74. *-nimium ne crede colori!
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur:*
Forma perit; Virtus ſola perenne bonum eſt.
rſos ajunt delectari moris rubi Idæi, quæ
oſtri, quod hinnulis cervorum quoque gra-
ſint, Hindbeer appellant: itaque eo tempo-
e quo matureſcunt, à Venatoribus captari,
Matthiolus l. 4. Dioſcor. cap. 34. & Geſnerus in
rſo.

- - - - nocet empta dolore Voluptas
Mora capit, capiturque Urſus. Sic fœda voluptas
Spinoſo fructu tela necemque tegit.

x Rubo Moſaico ardente Emblemata omitto,
deò multa fingi poſſunt.

6. Superſunt SIRIM, Quater legitur hoc voca-
ulum, ut Marinus habet. Eccleſ. cap. 7. v. 7. *Sicut
ox*, id eſt, fragor. *Haſſirim* ſpinarum *ſub Haſſir
llâ*: *Sic riſus ſtulti.* Ubi innuitur Sirim 1. ſupponi
lis aut lebetibus in foco. 2. Celerrimè confla-
; 3. non ſine crepitu & fragore, & 4. ſine tamen
fectu, quod nihil percoquere poſſint. *Stultorum
birim ſunt Sirim*, Cantica acanthæ, vide D. Geie-
um h. l.

Ut

Ut citò conflagrat, crepitat cum ſpina ſub ollâ;
Sic & ſtultorum riſus inanis abit.

Nempè ſpinæ, cum ardent, ſonant, & cito exuruntur ut nullus caloris ſit effectus, Ambroſius in Exhorta ad Virgin. Vulgatus: *melius eſt à ſapiente corrip quàm ſtultorum adulatione decidi: quia ſicut ſoni tus ſpinarum ardentium ſub olla; ſic riſus Stulti.* Qui enim eſt adulatio aliud quam Melodia Sirenica cantatio lethifera, fallaciæ fiſtula, & vox hye næ valdè mendax, *Cyrillus lib. 2. Apolog. 2;* Multa in hanc ſententiam affert Cornel. à Lap Propriè; meliores eſſe Sapientium correptio nes, quamvis duræ ſpinoſæque videantur, at que audientes ſauciare; quam ſtultorum can tica; qualia ſunt amantium *ſtulticinia*, & ebrio ſorum *Scolia*, quæ myrti laurive ramo accepto non tantum in Deorum hominumque laudes non ſine adulatione; verum etiam ad excitandar libidinem & laſciviam, cantare ſolebant, de quibu multa Stukius, in conviv. Antiquit. *Riſus* hic e *Sardonius*.

Rident vecordes mediâ cùm morte tenentur;
Ut, cum ſpina ſuo flagrat in igne, crepat.

7. *Mala conſilia conſultori peſſima.* Nam *aqu atque ſpinæ inter ſe perplexo, virenteſque adhuc, cùn adhuc inebriantur ut ebrii*, wann ſie noch im beſte vollen Safft ſeynd/ D. Lutherus; *conſumuntur ſul indè, ut ſtipulæ planè aridæ:* ſic *conſultor Belial peri bit, & omnis qui cogitat contra Dominum*. Nahum. 1 v. 10. Etſi quoad verba alii aliter interpretantu Eventus noſtræ interpretationi reſpondet. Na cùm *Sennacheribus*, cujus *nomen rubum ſolitudin*

ſign

ignificat, perverſa inter compotores conſilia
dverſus Deum & urbem Sanctam agitaret,
uo tempore adhuc florebat, lætaque celebra-
at convivia, repente cœleſti igne combuſtus
ſt exercitus ejus, ſic Hieronymus. Confer
mninò de eâdem clade Eſa. 10. v. 16. 17. de quo
ap. ſeq.

Fulmine ceu ſubitò vepreta implexa cremantur;
Sic qui agitant animo cœpta nefanda ſuo.

De loco Eſa. 34. v. 13. *creſcent in palatiis eorum Si-
im, Kimoſch, vachoach*, dictum eſt in *Choach* ali-
uid, cap. 25. num. 5. & in *Koz*, cap. 24. num. 6.
æc ſeges locis vaſtatis naſci ſolet. Apud Hoſeam
. 2. v. 6. ſunt duo ſeptorum genera, uſitata tu-
andis vineis, ut Eſai, 5. v. 5. alterum naturale, è
ivâ ſepe, *Meſucha* vocant Hebræi; alterum fa-
rile, è maceriâ, quod illis eſt *Gader*, unde Gades,
ε γάδειρα, Bochartus l. 2. Canaan. cap. 9. Hinc
e adulterâ Synagogâ ibid. Deus: *Ego ſepiam* na-
urali tutelâ *viam tuam Sirim ſpinis; & ſepiam* fa-
rili opere *maceriâ:* id eſt, objiciam bella, capti-
itates, famem, pericula &c. Cyrillus ibid. *Ultio
iſericordiæ plena, quæ laborat, ut impietatem ceſſare
aciat*, Theodoretus Felix neceſſitas, quæ nos ad
Deum redire cogit! *Quos voluntas prava pervertit,
lerumque adverſitas corrigit*, Gregor. M.

Cum Deus obductâ prohibet quaſi pergere ſepe;
Semper, ut ait reditum ſit via plana, facit.

CAPUT,

CAPUT XXVII.

De Zeælim, Schaith, Schamir, Rothem.

1. ZEælim bis leguntur Job. 40. v. 16. 17. Elephanto: *Sub Zeælim jacebit: tegent eu Zeælim, Zillo umbrâ ſuâ, circumdabunt eu ſalices.* Ubi ad radicem *Zalal* videtur alludi, qu ſignificat *obumbrare.* Itaque pro Zeælim, ferè I terpp. ponunt, *umbras, umbroſa arbuſta.* Hoc v ſtæ belluæ ingenium eſt, gaudet amnibus maxim & circa fluvios verſatur, Plin. Denique quæ ſi illa arbuſta? exponere videntur voluiſſe LXX. *S omni genere lignorum dormiet*, παρὰ πάπυρον, κ κάλαμον, καὶ βȣ́τομον. *Obumbrabunt ipſum arbor magnæ*, σὺν ὀροδάμνοις, vel ut Symmachus, ῥαδά νοις, καὶ κλῶνες ἄγνȣ. *De Papyro & calamo* ſuo loc & fortè *de Butomo*, quæ eſt herba paluſtris, fo habens Cyperi, grata boum pabulo, eine Art d langen Riedgraſes / Dodonæus Pempt. 4. lib. cap. 26. Hæc tamen tenuem umbram tam imma belluæ præbere potuerunt, Ὀρόδαμνος & ῥάδ μος ſignificant Heſychio, κλῶνες, κλάδοι, βλ ςήματα.

2. SCHAMIR ſepties legitur cum SCHAITH & ſemel cum *Koz*, ac quidem apud ſolum Eſaiar *Marinus.* Sic cap. 5. v. 6. in neglectâ vineâ *adſce dunt.* Sic quoque ſenſu eodem cap. 7. v. 23. 24. 2 *Terra omnis erit Schamir veſchaith*, & tribus il duo vicibus conjunguntur, ad vaſtitatis & deſol

tion

onis deſcriptionem, cap. 9. verſ. 18. *Impietas nſa quaſi ignis, devorabit Schamir veſchaith*, ıp. 10. verſ. 17. de cœleſti clade Sanheribi; *Lux raël*, DEUS ipſe, qui eſt ignis conſumens, *vorabit Schitho, uſchemiro*, exercitum ſcil. ejus, *nnemque gloriam Sylvei*. cap. 27. verſ. 4. Locus bſcurior eſt: *Quis mihi dabit Schamir, Schaith, bellum: progrediar in eam, & ſuccendam pariter.* ieronymus ſic παραφράζει: *Ego*, inquit Domiıs, *qui diebus & noctibus ſemper vineam meam nſervavi, ne exterminaret eam aper de ſylva, ne ſtiæ devorarent: nunquid indignationem non hao* &c. *Quis me docebit, ut durus ſim & crudelis? c quippe in vepribus & ſpinis ſignificatur: ut quaſi prælio truculentus incedam, vincam naturam men, conteram vineam, quam ſemper cuſtodivi, & ſucndam eam, quam meo ſepſeram muro?* Sic Vulgas: *quis dabit mihi veprem & ſpinam in prælio?* :d profectò durum hoc; Vepri & ſpinæ comırare Deum: & quis veprium ſpinarumque in :ælio uſus eſt? Quando planior ac facilior D. utheri verſio, in hanc ſententiam; *Egone iraſcer, vineæ meæ infenſus*, quam tàm ſolicitè cuſto-o? abſit! *eum vepribus & ſpinis mihi certamen eſt: que utinam quis mihi det, ut cum ſolis præliari poſn! ſtirpitùs eas funditusque, velut hoſtis, ſuccendem, eruerem, perderem!* Deus cum electos caſtiıt, non iraſcitur. Eſt inſignis textus, den man auf le Creutzbüchſen aus der Apothecken GOttes ↄreiben ſoll: D. Forſterus ex Luthero: *Electuaum* pro piis afflictis, *de Non iraſcor*; Quin & pro-:er ſuos parcit impiis & exſpectat, quos, niſi in-

ter electos verſarentur, & dextera Excelſi muta[ri]
poſſet in melius, radicitùs exſtirparet. Ultimus lo[-]
cus Eſai. 32. v. 13. ſuprà *in Koz* citatus eſt. cap.2.
num. 6.

3. Lxx. Interpp. his locis mirè variant: mod[ò]
habent ἄκανθαν, modò ἄγρωσιν ξηράν, id eſt grame[n]
aridum, modò χόρτον καὶ ὕλην, frequentius χέρσ[ον]
καὶ ἄκανθαν; denique pro *Schamir Schaith*, lib. c[i]
cap. 27. habent φυλάσσειν καλάμην ἐν ἀγρῷ, qu[od]
vertit Hieronymus: *quis me ponit cuſtodem ſtipu[lae]
in agro?* Et reperiatur aliquis, qui hos lutulent[os]
rivulos liquidiùs fluere contendat quàm font[es]
ipſos? Cæteri interpp. *Vepres, ſentes, ſpinas, a[c]
& vepreta & ſenticeta* habent. Nec Etymolog[ia]
certa eſt. *Schamir* à שמר *Schamar cuſtodien[do]*
derivant nonnulli, quod vepres obvia teneant [&]
ſervent, aut quod obſervare oporteat, ne lædan[t].
Cur non à cognato סמר *Samàr horruit, riguit, cla[-]
vis quaſi confixit*? nec aliundè videtur deduci po[s-]
ſe, quod *Schamir* durum adamantem, aut lapide[m]
invicti rigoris, ſignificat: quo nomine etiam Tha[l-]
mudici *vermem* ſuum *fabuloſum* appellant, qui vi[r-]
tute ſuâ lapides ſecuerit & quadrarit in Templ[i]
Salomonis, de quo Pineda in Salom. l. 5. c. 5. ſec[t.]
15. De *Schaith* verò nihil afferunt Lexici. Na[m]
quod à *Schuth ponere* quidam derivant, friget, [ut]
rectè judicavit Marinus. Mihi commodè occu[r-]
rit quod *Sciatum* inſulam Bochartus dictam arb[i-]
tratur, quaſi *Kſiatham* à rad. קשה *Kaſcha, durus, a[-]
ſper, difficilis fuit*, l. 1. Canaan. cap. 12. Certè *Shai[th]*
Lxx. *aridum deſertum, aſperum*, & Hieronym[us]
loca ſentibus plena, videntur l. cit. interpreta[ri]
Tei,

ciathum itaque aſperrimam à *Schaith* malim de-
ucere. Quin & Plutarchus de Iſide & Oſiride,
phonem refert ab Ægyptiis dici Seth, quod vi
evaleat. Quicquid tamen ſit, conſtat his vo-
bulis ſylveſtria dumeta ac vepreta appellari,
ualia locis incultis & deſertis ſponte ſuâ pro-
eniunt, nullâ curâ aut culturâ emolliuntur, &
uaſi cicurantur; duritiâ, aſperitudine, ſpina-
umque granditate & firmitate, horridiora, & tan-
um *ad maleficia nata*, ut dixit de Rubis Plinius.
alibus meritò comparatur *Exercitus Diaboli & Ty-
nnorum.*

Sunt rigidæ ſentes, telluris inutile pondus:
Qui contra Chriſtum bella nefanda gerunt.

4. ROTHEM, quater reperitur: bis 1. Regum.
9. verſ. 5. & 6. ubi Elias profugus, in deſerto
b unâ Rothem ſediſſe, & indormiiſſe legitur, Job.
o. v. 4. famelicis *radix Rethamim panis*. pſal. 120.
. 4. Lingua doloſa comparatur *ſagittis potentis* a-
cujus *acutis cum Carbonibus Rethamim* LXX. prio-
bus locis retinuerunt vocabulum ῥαθὰμ & v. 6.
xpoſuerunt per φυτόν. Apud Jobum quanquam
fontibus recedunt pluribus, tamen pro *Rothem*
dentur poſuiſſe ἄλιμα. Symmachus: ῥίζαν σίτων
γείων. Pſalm. 120. eſt: σὺν τοῖς ἄνθραξι τοῖς ἐρημι-
ῖς. Vulgatus h. l. Pſalmi, ex Græco: *cum carbo-
ibus deſolatoriis:* cœteris habet *Juniperum*, ut &
ii plerique. Arias montanus tamen, Avenarius
c allii *Geniſtam* malunt, quod radix *Ratham ligare*
gnificat & *vincire*, Mich. 1. v. 13. ad quem uſum
idonea Juniperus. Loca hæc indicant *Rothem*

1. naſci inſolitudine. Indè *Rethima* locus deſer-
ti Pharan, ubi XV. Manſio fuit Iſraëlitarum, d
quâ Hieronymus ad Fabiolam: *Rethima trans*
fertur ſonitus, aut Juniperus; quanquàm pleriqu
ἄρκευθον apud Græcos aliud genus arboris ſignificar
contendant. Citatoque Pſalmo 120. *Ferunt*, in-
quit, *lignum hoc ignem multò tempore conſervare*
ita, ut ſi prunæ ejus cinere fuerint opertæ, uſque a
annum perveniant. Quod Rethimam *ſonitum* in-
terpretatur, neſcio qui factum ſit. Niſi fort
compoſitum putabat nomen ex *Ratah* & *Hama*
ſtrepere ut fervefacta, ſed hoc agamus: 2. Fru-
ticem eſſe, aut arborem, ſub quâ accubare & qui-
eſcere ſit commodum; 3. radicem pro cibo in fa-
ma eſſe poſſe, quem cum clamore & jubilo diri-
piant famelici, aliis quaſi fures inclamantibus, u
apud Jobum eſt. 4. Carbones habere vivaces &
noxios. Nunc videamus; quibus hæ notæ con-
venire poſſint?

5. ALIMOS ab *Halimo* differt: illa 1. inte
Ari ſpecies recenſetur: à Syris *Lupha*, à Cypriis
Colocaſia: à Græcis ἄλιμος qicta, ut inter nota
voces, apud Dodonæum p. 3. lib. 1. c. 5. ubi e
Galeno addit, *Ari radices quibusdam regionibu*
acriores provenire: Cyrenis minimè acres eſſe, ade
ut in cibo rapis utiliores habeantur. 2. ἄλιμος κα
ἄδιψος, ut idem Dodonæus c. 17. l. c. ait, rectè ap-
pellatur *Glycyrrhiza* Süßholtzwurtz; quam Theo-
phraſtus, quod in Scythiâ, ut hodie paſſim, inpri-
mis in Franconiâ frequens eſſet, Herbam *Scythi-*
cam, aut *radicem* ἐυθυγλυκεῖαν, vocavit: quâ ſol
Scythæ cum Hippace, caſeo ex equino lacte confe
&c

o, undecim dies famen ſitimque ſuſtineant. *Ha-nus* verò eſt, quæ *portulaca marina* dicitur; folia uriâ condita, pro capparibus inferuntur men-; palato non ingrata, de quâ Dodonæus p. 6. l. 2. p. 10. Ex quibus apparet, cur LXX. pro *Retha-im*, apud Jobum ἅλιμα poſuerint? Sed an & reli-iæ notæ conveniunt? judicare non difficilè eſt. identur tamen non ad iſtas reſpexiſſe plantas, d γενικῶς dixiſſe ἅλιμα, ex etymo, quæcunque men ſedare poſſunt.

6. De Junipero dixi jam in *Beròſch* cap. 18. um. 6. & ſeqq. docuique aliam eſſe majorem, ar-orem ἄρκευθον, & aliam minorem vulgarem. uic nomen *Rothem* unicâ ex causâ videtur indi-m: propter *carbones*, quos Chymici, ut olim ieronymus, *toto anno ſub ſuis cineribus vivere* te-ntur. Imago hominum μνησικακέντων. Ve-m non videtur eò reſpexiſſe David, cùm lin-iam doloſam carbonibus Juniperorum, ut vo-nt, comparavit. Videbimus mox. Sanè ſub lgari Junipero dormire, cùm circa ſe humi jiciat ſuos aculeos, inſuave eſt; & radix ligno-, ne in extrema quidem fame, cibo idonea; c de tali fame agit Jobus; ſed de eâ quam pau-res, hominum mendicabula, vulgò perferunt; que eo genere ciborum, quos è ſylveſtribus ra-cibus inveſtigare ſolent, & cum clamore quaſi jubilo, aliis invidentibus, carpere, ut innuunt ulgat. & D. Lutherus. Quæ cum alii animo verterent, radices has non pro *pane* quæſitas, l ad *calendum* interpretati ſunt, vide Coccejum l. Neque hoc tamen εὐςόχως. Tum quia voca-

bulum *Lachmam* propriè ſignificat, *Panis eorum*; cùm quia Juniperi radices ad ignem in foco inſtruendum, tam odore quàm ignis tenacitate, commendatæ, ſolis mendicis non videntur fuiſſe in uſu, ut alia taceam. Superſunt ergò.

7. GENISTÆ; Earum quo quoque genera ſunt: *alterum* totum *aculeatum*; itaque *Scorpium* dici à Theophraſto putant: noſtri vocant Stechpfriemen: *alterum* caret ſpinis, noſtri geneſter vocans. Hoc eſſe *Rhotem* multa ſunt argumenta, 1. radix ſignificat vinculis & vinibus eſſe idoneam. Ita *Geniſta vinculi uſum præſtat*, Plin. l. 24. cap. 9.

Non pira, quæ lentâ pendent religata geniſtâ.

Martial. Etiam Virgilius *lentam* dixit Georg. 2. v. 12. Deinde 2. umbram cubantibus præbet *Rothem*; & Geniſta - *Salices humilisque geniſtæ*;

Aut illæ pecori frondem aut paſtoribus umbram
Sufficiunt, ſepemque ſatis, & pabula melli.

Idem Virgil. l. 2. cit. v. 435. Sic *Vaccæ* apud Calphurn. Ecl. 2.

Molle, ſub hirſutâ, latus explicuêre geniſtâ.

3. Reſtat, ut & radix in cibum venerit, & quid de Carbonibus dicendum videatur? Eſt autem quoddam *rapum Geniſtarum*, quod fibris radicum annaſci ſolet: vel ſimile vel idem cum eo, quod *Orobanchen* Dioſcorides & Plinius appellavere: noſtris è Græco Erbeutwürger / Sommerwurtz / & Thuringus Hanffmann; quoniam inter cannabim & linum creſcit. Plinius ait dici quaſi *necantem ervum & legumina: ab aliis Cynomorion à ſimilitudine canini genitalis; cauliculum eſſe ſine folio*

pin



GENISTA. *Cum rapo.*



nguem, rubentem: denique eſtur; inquit, *per ſe, in patinis dùm tenera eſt decocta*, lib. 22. cap. 25. xtremo. Dioſcorides *& crudam edi, & coctam paragi modo*, ait lib. 2. cap. 136. Matthiolus ab lis *Caudam Leonis*, ab aliis *herbam Lupam*, quod cinas ſtrangulet, ab aliis *Taurinam dici* Italicè, uod vaccæ eâ deguſtatâ, ſtatim Taurum adant: Cluſius ſub *Limodoro Auſtriaco* in Pannocis, paſſim naſci & Ungaris dici, *Cereum myſticum*: Meß-Kertze à figurâ: naſci quoque in ermaniâ inferiori, incultis deſertisque locis, & audere, quæ rapum ferat, macro arenoſoque lo, Dodonæus p. 6. l. 2. cap. 1. Fert ergo Genia rapum edule; quod quia rarius eſt, cum ſtuio indicat Jobus quæſitum, cum gaudio invenm, & quaſi furtim raptum. Quæ nemini interretum veniſſe in mentem, miror. De Carbonius ſtatim.

8. Nullum itaque mihi dubium eſt, quin *Rhom Geniſta* ſit. Quod vulgatus *Juniperum* vertit, orte ex eo eſt; quoniam intellexerit, eſſe frutiem ſpinoſum, qui totus ex meris conſtet aculeis. oliis enim caret, niſi quod verè exigua protrudit : mox decidua; ſuccedunt flores, quales Genitæ, lutei, & ſub Solis fervore ferè purpurei. Itaue *Spartio* non eſt abſimilis, præter ſpinas. *Sparum* autem, quod à Geniſta parum differt, Pfriemen vocamus; Hiſpani, dubio procul à Mauris docti, *Betama*, ut habet Cluſius in Hiſpanicis. *uniperus ſub quâ* feſſus & profugus accubuit *Elias, rucem Chriſti ſignificare poteſt, ſub quâ peccator nverſus acquieſcit*, ut ex Ruperto docet Hierony-

mus Lauretus in ſylva Allegor. Non minùs aculeata hæc Geniſta: quæ & aculeis ſuis inſtrumenta Dominicæ paſſionis; & flore purpuraſcente ſanguinem deſtillantem aptè oſtendet. - *Sub hac requieſcere dulce eſt!* ſub hac recubantes, pane Domini & calice recreamur; ut Elias ab Angelo: quo refecti, currimus indefeſſi usque ab montem Dei.

Sub Crucis hirſuta profugus requieſco geniſtâ,
Pane Dei cibor, & pocula Sancta bibo.

Sic rapum Geniſtarum, ſive Orobanche, -*ſolamen Exulum!*

Dulces aſparagi quos edit acuta geniſta,
Noſter in hoc mundi ſint cibus exilio.

9. Locus Pſalmi, 120. aliter atque aliter exponitur. Auguſtinus hoc ait eſſe *remedium contra calumnias;* quod Deus daturus ſit, linguæ doloſæ contra vulnera. *Sagittas Verbi ſui acutas, quæ corda inflammant, non ſauciant,* ut & proſper paucis. Alii putant prædici calumniatoribus *ſupplicium,* & quidem ex lege Talionis. Quale Hebræi ferunt contigiſſe Doëgo. Sic enim in Antiquit. Biblicis legitur: *Ad Doëg Syrum hæc dicit Dominus: Ecce dies venient citò, & aſcendet vermis igneus in lingvam ejus, & tabeſcere faciet eum, & erit habitatio ejus cum Iair in igne inextinguibili ſemper.* Ita ſentient illi pro ſpiculis linguæ, ſagittas DEI potentis acutas; quemque ignem accenderunt, quo proximi fama conflagraret, eum patientur æternum. Sed tamen potior & fontibus propior eſt ſenſus de *Lingvæ pernicie.* Quid enim aut quantum efficit illa? *ſimilis eſt ſagittis,* quas forti brachio ex

arcu

cu robuſtus aliquis excuſſit, ut ad intimas pene-
ent medullas: & quidem *cum prunis geniſtarum:*
od mihi omninò *ad jacula ignita* videtur refe-
ndum, quorum fit mentio ad Epheſ. cap. 6. Undè
fulmina cum fulguribus *ſagittæ Dei*, Habac. 3. &c.
c faces cum telis jaculari in repentino tumultu
os fuit: Virgil. 1. Æneid.

Jamque faces & Saxa volant, furor arma miniſtrat.

Lucanus - *inde Sagittæ, Inde faces & ſaxa vo-
nt.* Quo pertinent *exurimenta* apud Vegetium,
quod de Syrorum contra obſidentes armaturâ,
ribit Aurelianus ad Mucaporem: *quantam hic
gittarum, quantum telorum? ignes etiam tormen-
jaciuntur,* apud Vopiſc. &c. Barbarorum etiam
odiè mos perdurat, jaculari ſagittas ignitas, &
incendere caſas hoſtium. Idonea fuiſſe in
nc uſum arida geniſtarum cremia nemo nega-
erit, & *Geniſtas* nomine *ſagittales* memorat in
Pannonicis Cluſius de Chamegeniſtâ: quod
fortè huc ſpectat. Atque hæc de
ſpinis.

CAPUT XXVIII.

Paralipomena de Spinis, & Sylveſtribus.

1. ECcleſ. c. 12. v. 5. in ænigmaticâ hypotypoſi Senectutis, legitur: *onerabitur locuſta, & diſſipabitur Haabijona*; de hoc vocabulo lis eſt, Lxx. habent, ἡ καππαρίς: Secutus eſt Vulgatus: Cæteri *appetentiam* aut *aviditatem*. Quod tamen contra legem eſſet ænigmatis, & alienum à Sapientiſſimi Regis inſtituto. Quare non puto adeò incongruè poſitam h. l. CAPPARIM. Nam quod vocabulum אביונות *Abjonoth*, quod Rabbinis uſitatum alia quædam puncta habeat, non puto tanti eſſe momenti: quod vero id ſignificet *baccas aut minutos arborum fructus*; in rem noſtram facit: ut & quod *Capparim* Thalmud ab his *Abjonoth* diſtinguat, vide Clariſſ. D. Geyer. h. l. Meminit Bellonius ſubinde in Arabiâ & alibi *Cappares* reperiſſe frequentes: alias *arboreſcentes, pumilarum ficuum altitudine, ut conſcendenda fuerint ad earum fructus colligendos: qui quidem gallinaceum ovum magnitudine æquent*, &c. lib. 2. cap. 60. alias *in ſaxorum fiſſuris, plurimùm tàm ab iſtis, quàm ab iis, quæ Græcia proveniunt, differentes*, cap. 66. *Condituram florum* antequam dehiſcunt, quos *fructum* vocat Dioſcorides, *oleæ rotundo ſimilem, qui cùm defloruit in glandem oblongam mutatur*; docet Columella. Nomen Arabicum *Cappar*, Hiſpanis *Alcaparras*,

arras, Linguæ cæteræ retinent. Eſtur condimenti & medicamenti loco condita, ad excitandam appetentiam & diſcutiendum faſtidium. Nomen Arabicum accepit à deſerto, quod Arabibus eſt קפר *Kiſir*, undè & noctua *Kafir*. Gaudet enim locis deſolatis, interque ſaxa & parietum ruinas provenit: creditumque, ut apud Theophraſtum, *cultis locis non naſci*, de quo Matthiolus ad Dioſcorid. lib. 2. c. 169. At *Abjonoth* propriè fructus ſunt Capparis, dicti ab *Abah*, cupiendo, appetendo: undè & *Ebion* pauper, quaſi cupidus: *Tùm quod cibi appetentiam irritent; cùm quod Venerem inſtigent*, ut ex Avicennâ docet Schindlerus. Hinc ergò per Metonymiam pro appetitu poſuit Salomo.

2. Gen. 37. v. 25. & 43. v. 11. memorantur inter optimos Terræ Canaan fructus נכאת *Necoth*; quod vocabulum Tremellius vertit *Myxaria* Lxx. θυμιάματα, Vulgatus *aromata*. Rationem Junius adnotat: *Myxaria* Arabibus dicuntur *Nuketa*, teſte Æginetâ, Aëtio, Pſello, & Actuario, voce proximè ad Hebraicum *Necoth* accedente. (Sunt autem *Myxa, vel myxaria, pruna Sebeſtena*. Non puto tamen arborem aculeatam eſſe, ut eſt *Zizyphus*, quæ fert pruna, *jujubas* dicta, de quibus ſuprà.) Res tamen incerta; nec apparet *cur Necoth, aromata* dici debeant, niſi quod ita teſtentur cum Interpp. quidam Rabbini, vide Buxtorffi. Lex.

3. Geneſ. 22. v. 13. dicitur immolâſſe Abraham ſuccedaneam arietem pro Iſaaco, quem repererat *hærentem cornibus in perplexo vepreto*. Lxx. habent ἐν φυτῷ Σαβὲκ, retento Hebraico vocabulo, *Ba-*

ſebach

ſebach. Voſſius nuper de Lxx. Interpp. cap. 12 *Spinoſæ alicujus plantæ nomen eſſe minimè dubitat.* Sed in Additis ad Lectorem ſub fin. p. 430. *non vepris aut ſentis genus, verùm quod Gelſominum, vel Jaſminum dicitur*, diſputat. 1. *Quod frutex hic in Ægypto & Syriâ frequens ſit eoque paſſim ſepes & pergulæ veſtiantur. Hederæ inſtar ſurgit, & late admodùm ſe explicat, ampleƈtiturque pedamenta & haſtilia quæcunque contingit, &c.* 2. Quod *Sambach*, aut etiam *Zabach* dicatur ab Arabibus, Syris & Ægyptiis, uti ex Serapione, Proſpero Alpino, omnibusque Botanicis conſtet. Sed quàm bene Jaſminum depingat, non ſatis conſtat. Frutex eſt, qui robuſto ſtipite adoleſcat, non amplexicaulis, aut vicinis hederæ inſtar ſe circumvolvens. Flexilis tamen, facilique obſequio, pergulis inneƈtitur, flore candido & odorato, ut Veslingius & Dodonæus. Illud conſtat סבך *Sabach*, ſignificare *aliquid eſſe perplexum & implicatum*, ac de Arborum ramis dici, fruticumve, ut Eſai. 9. v. 18. Pſalm. 74. v. 5. &c. *Zambach* autem quod recentiores Arabes ex Græco *Jeſemin* dixerunt, ut docet Matthiolus ad Dioſcoridem l. 1. cap. 66. eſſe *Sabech*, nondum probatum eſt. Neque apparet cur pulcherrimo frutici, è cujus odoratiſſimis floſculis jam olim *Perſæ oleum confecerunt, quo inter epulandum odoris gratiâ uti mos erat*, hoc tàm vile & vulgare nomen, à perplexitate, inditum fuerit? Velingius in Ægypto *Sambàc*, vocari indicat; Hebræis autem & Syris, recentioribus, שבוקין *Schebucim* rami, & propagines dicuntur: undè videatur nomen *Sambuci* deduƈtum

um, ut ex *Sabbcha* Daniel 3. v. 5. *Sambuca*, Σαμ-
ύκη instrumentum Muſicum, vide Joſeph. Sca-
g. in Varron. *de Simpulo.* Illud vero de ariete
otandum: Capras ovesque naturâ feras eſſe, cor-
bus flexuoſis, quibus & apros ſæpè proſternant,
: bella inter ſe gerant peremptoria: *Analopos* vo-
at, neſcio unde, Albertus M. *capras*, quæ lento
uticum vimine ſæpe capiantur implicitæ, vide
ppiani Cyneget. 2. v. 329. & Varron. de Re Ruſt.
2. c. 1. Itaque non opus erat, vel ad miracula con-
gere, vel ad fabulas, ut explicaretur; *unde illo*
d Abrahamum venerit Aries? Vide h. l. Interpp.

4. Adde his, quæ *ad Salicem* ſpectant, de quâ
prà, quod Ezech. cap. 17. v. 5. ſcriptum, de tene-
Surculo ex cacumine Cedri; quòd *in terra poſi-*
u fuerit Zaphzaph, ſummo cum ſtudio; *ad aquas*
bi omiſſum putant *Caph. ſimilitudinis*, & expo-
unt: *tanquàm ſalix*, quem in modum ſalix pan-
i ſolet. Et deſcribit ſane depictamque exhibet
alicis quandam peregrinam ſpeciem, Rhau-
wolff/ p. 112. repertam Halepi; quæ ab inquili-
is *Saf ſaf dicatur*, ab Arabibus *Zarneb*, & Theo-
hraſti *Elæagno* reſpondeat: creſcere juxta amnes,
: flore odorato gratam eſſe, ex quo ſtillatitia aqua
oquatur cordi amica, vide ibid. plura. Idem ſe-
nel atque iterùm meminit Salicis *Arab*, aut *Garb*
ictæ, de quâ ſuprà: noſtræ abſimilis, pulverem
itroſum præbet, è quo fit pyrius ille bombarda-
um, vide pag. 201. & ſeq.

5. Marinus, ut monui ſub finem cap. 3. in עץ
z, dum Arbores Biblicas recenſet, etiam *Eſchel*
amaricem & *Copher* Cyperum & *Lot* ponit, quam
ille

ille quidem interpretatur Caſtaneam; Tremellius verò Laudanum. Poſſent iſta vocabula, ſuo fortè loco convenientius, exponi. Viſum tamen hic quoque paucis conſiderare.

De אשל *Eſchel* aliquid dictum cap. 1. n. 1. ubi Abraham dicitur plantaſſe *Eſchel* in Berſabeâ, Gen. 21. v. 33. Sic Saul in Gibeâ ſedebat ſub *Eſchel* in Ramah. 1. Sam. 22. v. 6. Saulis & filiorum ejus cadavera ſepulta ſub *Haëſchel* in Jabes, ibid. c. 31. v. 13. Lxx. vertunt ἄρουραν, *arvum, campum:* Vulgatus, *Nemus*; alii *arborem, arboretum*; D. Lutherus Bäume / Hain: Marinus, *Tamaricen:* ea enim Arabibus, mutato ש in ת *Athel* ut Schindlerus. Targum Complutenſe habet נצבא *Nizba* Venetum אילנא *Ilana:* ut 1. Paralipom. 10. v. 12. *Haëlah* de quo in *Quercu.* Apparet autem *Eſchel* eſſe nomen γενικὸν, ut plerique interpretantur, & ſignificare arborum congeriem, φυτείαν *plantationem*, quam Chaldæi à *Nizab Nizba* vocant, vide Schindler. Etſi alicubi cum He paragogico, per Synecdochen pro certâ ſpecie poni poſſit. Eſt autem *Tamarix*, quæ & *Myrica*, & quibusdam *Amarix*, alia ἥμερος, quæ *arbor* eſt, cujus in Ægypto paſſim ſylvulas refert Bellonius conſpici, *gallâ* ſuâ onuſtas, ut pondere curventur rami, l. 2. c. 28. umbrâ grata; alia ἀγρία, *frutex:* Nomen ab amaritudine fortè, undè & Myrrha: quod in plerisque linguis ſervatur; noſtri vocant Tamarisken. *Athel* Serapio deſcribit ex Abohanifâ, *eſſe arborem longam ad Cœlum uſque, non aculeatam, ligno duro, è quo varia conficiantur vaſa, dicique Nadbar, coloris*

ruben-

ubentis, qualis eſt Scorpionis: Iſaac Eben Amram *eciem ait eſſe Tamariſci*, cap. 20. ſed cap. 31. cùm e *Tamarice* ageret, eam *Tarfa* dici notat, refert-ue ex Alcanzi, decocto radicis hujus cum uvis aſſis duas mulieres à leprâ curatas: Sic Luem Ve-eream ligni hujus, non ſecus ac Guajaci, deco-to profligari Alpinus & Veslingius. Nicander ı Theriacis jubet inter anditota ſumi - *μυρίκης κνακαρπέα θαμνὸν*, eamque *Μάντιν* appellat *divi-atricem*, *Apollini Goropæo* aut Oropæo, *Sacram*. Ianc enim vaticinaturi manu geſtabant,, ut A-ollo in Lesbo. Indè *Myriceus* dictus, &c. Nican-ri Scholiaſtes, & Porta Neapolit. aliique *Galla 'amaricis* à Rhaſi vocatur *Carmeſel*, plura Plinius 24. c. 9. & in *Herbis* nos ſub *Aröer*; quam *Myri-am* vertit Vulgatus. Tantùm docendum fuit hic *ſchel*, aut Arabum *Athel* non eſſe Tamaricem: ıalim vel *Eſculum*, quæ eſt Quercus latifolia, vel *raxinum*, quam noſtri Eſchern appellant, de qui-us ſupra.

6. GOPHER Cantic. 1. v. 14. & 4. v. 13. repe-itur. *Eſchkel Haccopher Dilectus meus mihi, in vi-eis Engeddi*: ut verſ. 13. præcedenti: *Zeror ham-ıor, faſciculus Myrrhæ*. Sic altero loco *Cepharim unguntur nardis*. LXX. *βότρυς τῆς κύπρου* & in V. dit. *κύπρειν©*. Pagninus & in margine Arias Iont. *Caphuram* vel *Camphoram* ponunt; cœteri *'yprum*. Ac כפר radix propriè quidem ſignifi-at, *operire, oblinire, bituminare*; hinc *Copher*, 'hald. *Cuphar*, Arabicè *Caphur*, Camphora, pix, itumen. *Eſchkol* non tantum botrum vitis ſed palmæ ſignificat, ac fortè alias baccas racema-

tim

tim congeſtas. Inde jam quæſtio; *Quid ſi botru Cypri?* Septem invenio ſententias apud Cornel. à Lap. in Cant. l. c. miſſis, quæ parùm probabilitati habent, præcipuæ ſunt, 1. eſſe botrum Camphoræ. 2. uvas in Cypro naſcentes & inde delatas in Judæam, ex quibus vinum Malvaticum, 3. fructum Balſami, quod in vineis Engaddi naſcebatur: ſtirps uti ſimilis, & ſemen vino proximum guſtu, Plinius 12. c. 25. v. 4. eſſe uvas Engaddinas Cypri ſaporem referentes, quales *Muſcatellæ* dictæ. 5. Eſſe fructum Cypri arboris. Certum inter hæc aromaticum aliquid eſſe, fructum racematim cohærentem in Engeddi natum.

7. De Balſamo, ſi Deus volet, in aromatibus. CAMPHORAM eſſe gummi aut reſinam arboris Indicæ, non tantùm ex Serapione & Arabibus probat Matthiolus ad Dioſcorid. l. 1. cap. 75. ubi *de Lentiſco;* verum etiam Garſias ab Horto in Aromat. Hiſt. lib. 1. cap. 9. qui à viris fide digni relatum ſibi ait, *arborem eſſe nuci juglandi ſimilem foliis tamen candicantibus, ſalignis ſimilibus: de flore ac fructu nihil ſe certi comperiſſe: frequentem naſci in Borneo, Sumatrâ & Pacen:* Unde Salomonem quoque navigatione in Tharſis inſtitutâ, cum aliis exoticis accepiſſe, & in hortis ſuis Engeddinis plantaſſe, non eſt improbabile. Si de fructu racemoſo conſtaret, multa argumenta eſſent, quæ oſtenderent cur huic Sponſus cœleſtis aſſimilatus fuerit? *Flagrat etiam in aqui* Cantic. 8. verſ. 7. *odorata eſt, & partium adeò tenuium, ut etiam capſulis operculatis condita evaneſcat, alabaſtrinis ſervatur, lini aut pſyllii ſemine ſepu*

ta

: *collyriis ad calidas oculorum lippitudines imponi-*
r, Apocal. 3. v. 18. *Renibus ac teſtibus illita, Ve-*
rem extinguit: corpora à putredine præſervat, &c.
arſias memorat; fabulari Indos, quod *ad um-*
m ejus arboris omnia minora animalia confugiant,
ò *à ferocioribus tuta ſint:* illud quoque fabulo-
n eſſe; *quod largioris proventûs hoc ſit augu-*
m, ſi crebriora ſint tonitrua, aut terra moveatur,
gg. 2. verſ. 7. 8. Illud tamen pro certo ſibi re-
um; quod *colligendi quidem nulli non ſit facultas;*
amen alius ſuperveniat validior, non modò colli-
ti extorquere, ſed & vitam auferre cum cucurbi-
in quâ colligi ſolet, jus & fas eſſe. Quæ omnia,
ſi aliqua fabulis quàm vero propiora, tamen, quo
pretio hoc gummi habitum olim fuerit, indi-
nt. Illud quoque omittere nolui, *ex ligno Ca-*
uræ, menſas & alia fieri odoris gratiâ: & refert
oſta, ſe habuiſſe tenues admodum fritilli tabel-
, cum pyxide, in quâ ſervabantur, exindè con-
ctas: quæ quanquam gummi hoc non exſu-
rent, manibus tamen tractatæ, odorem cam-
oræ majorem exſpirârint, in Aromat. *Parta*
ri!

Camphora Vincenti datur & tamen effugit ultro!
Gratia ſic firma parta tenenda fide.

mpeſtas orare docet! Noth lehret beten / verna-
lo Proverbio:

Si Tellus moveat proventu Camphora largo;
Et ſpes adverſis creſcit, odorque precum.

tto plura: nec dum invenio, quis dici poſſit
mphoræ botrus? niſi fortè uvæ, non procul à la-

eu Aſphaltide , odorem ſaporemque alique
Camphoræ aut bituminis , gratum tamen & ſu
vem præſtabant. *Engeddi* enim civitas in altiſ
mo monte ſita erat, juxta mare mortuum, vi
Adrichom. in Tribu Judâ, num. 116. Sed de l
aliquandò Deo annuente, *in Vite*.

8. Non opus eſt CYPRI causâ navigare
Indiam, aut quærere exoticum qui in horto S
lomonis aromatico , quod cum Myrrhâ & Na
do, Judææ absque dubio tum indigenis, comp
rari poſſit. Habemus domi ergò, ac deſcribun
Philo Carpathius h. l. ex Dioſcoride; *Cyprus a
buſcula eſt flore candido, cincinnorum inſtar pende
te, comâ odoratiſſima, folio oleæ; ex eâ fit Unguei
tum Cyprinum, ad multa commodiſſimum; habetq
folia, flores, fructus & ramos utiliſſimos. Hæc opt
ma in Aſcalone Judææ, & Ægypti Canopo provenit:*
Caſſiodorus h. l. ex Plinio; *Cyprus arbor eſt ar
matica, ſemen ſimile coriandri habens*, &c. *Un
unguentum regium paratur.* Diſputant Botanic
*An Cyprus Orientis & Ægypti diverſa ſit à liguſt
noſtro?* Negant Ruellius lib. 1. cap. 94. & Ma
thiolus in Dioſcorid. lib. 1. cap. 107. affirma
Bellonius lib. 2. cap. 74. Dodonæus in Liguſt
P. 6. lib. 2. cap. 13. & ſeq. in Cypro, & Bauhin
ad Matthiolum l. cit. ex Rhauwolff / & A
pino, ubi Cypri Ægyptiacæ icon; Et Arabib
El hanne, de quâ ſuprà cap. 26. num. 5. Simile
tamen quodammodò Liguſtro non negant
Differt tamen odore aromatico; quodque fo
non habeat, ut noſtrum Liguſtrum , hieme c
cidua; quodque ex foliis ſiccatis, & in polline
tri

Pag 390



CYPRUS. El-hanne.

tis, flavus aut ruber color efficitur, quo manus, ·des, capillos, ungues inprimis, pro more, Viri eminæque in Ægypto inficiunt : denique de guſtro ajunt agere Dioſcoridem lib. cit. cap. 98. ſub nomine *Phillyrea*; ei enim deſcriptioni guſtrum convenire. Veslingius eleganter: *res El hanne, Sambucique ſuppares globi, mulie-m potiſſimùm deliciæ ſunt, caniſtriſque plebis in bal-a deferuntur: in quibus illæ, lymphatæ dicam an nphaticæ? totos dies inguini, cuticulæque perpo-ndæ operam ludunt. Decocto foliorum crines de-entes firmant, & ingratum pediculorum ſodalitium cludunt. Eodem illo unguibus, hemicycli forma, atinè hærentem notam appingunt: atque ut olim nſcripti Patres Lunulatis calceis ordinem ſuum; illæ lunulatis unguibus, neſcio quod, elegantiæ ſpe-nen profitentur.* Botrus ergò Cypri, fructus arbuſculæ *Elhanne dictæ racemoſus*, qualis in ntiſco, Phillyreâ Liguſtro apparet : ſed ille hortis Regiis Engeddi fragrantiâ præſtans. us eſt ad oris ulcera, & contra pedum ſudo-s, fœtoreſque. *Flores contra crapulam coronis ectuntur, quod ſomnum inducant* ἄλυπον, ut Plu-ch. 3. Sympos. & Clemens Alex. 2. Pædag. c. 8. ocent. *Nomen* non à Cypro Inſulâ, ubi quoque te Plinio laudati odoris; ſed vel quod fœtores *at & quaſi expiet*, vel potius quod *reſinam* Cam-oramve *oleat*.

9. *Cur Botro Cypri comparetur Chriſtus?* varias . allegorias videre licet apud Delrium & Corn. ap. h. l. plerique tamen ad uvam illam reſpexere, æ odore & ſapore Moſchum imitatur. Hono-

rius Auguſtodun. ait, *Chriſtum eſſe nardum in Incarnatione, faſciculum Myrrhæ in paſſione, & botrum Cypri in reſurrectione.* Poſſis ſimiliter dicere, eſſe eundem ſuis fidelibus, in vitæ divinæ ingreſſu *nardum;* in progreſſu *myrrham;* in exitu, *Cypri botrum.* Sic - *in Pace dormio!* Pſalm. 4. v. 9.

Necto meis Cypri botrum, Te Chriſte, corollis:
Ut recreet dulci blanda ſopore quies.

Certum eſt ſimilitudinem eſſe Pœmenicam, Idyllio ruſtico convenientem. Amantium hæ ſunt blanditiæ. Ac bene adeò explicat, Theodoretus, quaſi dicere vellet Sponſa: *Multis nominibus appello, fragrantiâ unguenti illius delibuta. Unicâ uti appellatione non poſſum, cum ſuavitatis ejus vis omnibus nominibus antecellat.* Neque dubium eſt quoque; Virgines Iſraëlitides ſerta è nardo, myrrhâ, & botro Cypri feciſſe, iisque non verticem, ſed colla complexas fuiſſe, more à Chriſtianis quoque indè recepto. *Sane quod caput non coronamus, ignoſcite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve ſolemus haurire,* ait Minutius Felix in Octavio circa fin. *Tam contra naturam eſt, florem capite ſectari, quàm cibum aure, ſonum nare,* Tertullianus de Coronâ Milit. cap. 5. *Flos florum* eſt Chriſtus:

Tu nardus, Tu myrrha mihi, Tu Cyprus, JESU es!
Te ſine nil bene olet, Te ſine ſuave nihil!

Supererat *Lot* ex num. 5. ſed de eo in Aromaticis, cum Deo & die.

SECTIO



NUX INDICA.

SECTIO IV.

)e *Arboribus Mitibus, Urbanis, fructiferis.*

FRuctus arborum quadrifariam partitur Arias Montanus in Hiſtor. Nat. p. 253. in *Malum, Baccam, Nuces & Siliquas. Nuciferæ*, in S. literis ſunt *Aguz, Botnim, Luzim, Schekem. Pomiferæ* ſtrictè dictæ, *Rimmon* Malus Punica,)eenab Ficus, *Schikemim* Sycomori, *Thapuach* alus, *Bacciferæ* præter *Vitem*, de quâ ſeorſim ;endum fortè, egitque Cornarius libris Tribus *de te Viniferâ* non indiligenter, ſunt *Bacha*, morus, *ıdas* Myrtus, *Zaith* olea, *Ezrach* Laurus, *Thamàr* ılma. Super ſunt *Ceratia* Siliquæ.

CAPUT XXIX.

De *Aguz* Nuce.

SEmel tantùm occurrit Cant. 6. v. 10. *Deſcendi ad hortum Aguz, ad videndum fructus recentes convallis:* vel ut Vulgatus; *ut viderem ma convallium*; D. Luther. zu ſchauen die ſträuchlein am Bach. Plerique AGuz nucem ex-)nunt; LXX. quoque κῆπον καρύας. Solus Tremel- ıs diverſus abit: *ad hortos putatos deſcenderam.* ıtio 1. Quia *Aguz* à radice *Gazaz* detonſionem & ıtationem ſignificet: 2. quia vere inuente putan-

tur & conculcantur pomaria, ad commoditatem fructuum; 3. Quia nulla cauſa appareat, *cur Nucem potiùs, quàm pomorum hortus* diceretur? Sed hæc non videntur tanti, ut deſerenda eſſet communis opinio. De verâ radice & notione nominis dixi ſuprâ in Nomenclaturâ, cap. 3. n. 1. Sic dicitur *Nux*, quod vi & injuriâ quaſi à matre avellatur. Et eſt *arbor multis obnoxia injuriis*, ut notat Vatabl. Arabicè *Geuze nucem* & *tonſillas* ſignificat, quæ nuci ſimiles; undè & glandulæ & vernaculo ſermone die Mandeln/ amygdalæ: Item *Geuſe atib, nux myriſtica:* quæ Rabbinis *Aguz habboſchem, nux aromatica.* Nec dubitari, puto, debet, quin *Salomonis Pomaria*, in Valle Cedron inſtructiſſima, quoque *Nucetum* habuerint. Eorum autem hortorum Nuciferorum ideò disertè meminiſſe potuit, quod hortos Regios ingreſſuris, primi quaſi in ipſo limine occurrerint. Sic nobis quoque *Nuces ad Septa* ſolent plantari, quod umbrâ ſuâ Satis & plantis noceant. Hæc *hiſtoricè: myſticè* primus Dei Filii ingreſſus fuit non in pomarium Eccleſiæ Novi Teſtamenti? ſed in Nucetum Veteris Synagogæ, per quam tranſeundum fuit in iſtam. Sic Chaldæus: *In domo Sanctuarii ſecundâ, quæ per Cyrum ædificata eſt, habitari feci majeſtatem meam, ut viderem opera Populi mei:* ex Hagg. 2. v. 8. 10. Venit enim per Incarnationem ſuam primò ad Judæos, Cant. 5. v. 1. 2. Matth. 21. v. 33. ita gloſſæ Saxonicæ h. l. & plerique Interpp. dixi S. Analect. Volum. 2.

2. Sunt autem *Nucum varia genera:* nam ut *Pineas* omittam, de quibus dictum; & *Piſtacia*, de qui-

uibus mox; & *Amygdalas*, quas etiam ſtatim vi-
ebimus, & *Caſtaneas*, quas aliqui h. l. *Aguzim*,
ici opinantur, de quibus ſuprà *in Armon* cap. 11.
um. 7. ſeqq. Superſunt propriè dictæ 1. *Perſicæ*,
iglandes, 2. *Ponticæ*, avellanæ, 3. *Indicæ*, aroma-
cæ, *Moſchocarya*, Muſcatnüß; & aliæ, quas Lu-
tani *Coquos*; Avicenna; *Iauſe*, aut *Gauza alhindi*,
uces Indicas dixerunt: pluresque quas Garſias
eſcripſit l. 1. Aromat. Hiſt. c. 26. & ſeqq. de qui-
us, Deo bene volente, *in Aromatibus*. Hic *Ju-
landes* ſpectabimus, quæ abſolutè *Aguzim*, ut ex
ictis puto conſtare.

3. Similis tali *Nuceto Synagoga Judaica*; 1. re-
pectu *Originis*; E Perſide in Græciam nux ju-
lans translata eſt, poſt bella Perſica, indè in Ita-
iam venit, facta peregrini ſoli indigena. Sic Ju-
æi origine è Chaldæâ, ſervitute ex Ægypto,
ranslati à DEO in Palæſtinam, vere βασιλικὸν
λάσημα, Exod. 19. v. 5. Indè *nux* iſta *Baſilica*
x Perſica;

> *Propterea quod qui quondàm cum Rege potenti,*
> *Nomine Alexandro Magno, fera prælia bello*
> *In Perſas retulêre ſuo, poſt indè reventum,*
> *Hoc genus arboris in prælatis finibus Graiis.*
> *Differuêre, novos fructus mortalibus dantes.*

It Suevius antiquus Poëta in Moreto, apud Ma-
rob. 3. cap. 18. 2. Ratione ſitus & *ordinis*; nam
i agris & hortis primum extimumque locum oc-
upat, ut Ovidius de Nuce:

> *Me, Sata ne lædam, quoniam ſata lædere dicor,*
> *Imus in extremo margine fundus habet.*

 Sic

Sic Synagoga ut num. 1. dixi Jam. 3. propter *ſervile ingenium.*

Nux, aſinus, mulier, ſimili ſunt lege ligata;
Hæc tria nil rectè faciunt, ubi verbera deſunt.

Hinc Italicum Proverbium: *Nucem Ruſticorum naturam eſſe ſortitam: quò immitiùs feritur, eò fructus uberiores proferre*, apud Portam, Villæ lib 5. c. 33. *Feri, feret!* Phryx non niſi plagis emendatur. Sic de Judæis Prophetæ; Oſe. 4. v. 14. Eſai 1. v. 5. Jerem. 5. v. 3.

Pertica dat plenis immitia vulneta ramis:
Sic nux; ſic fructus improba turba feret:

Adde 4. *cauſam excidii* & devaſtationis. Nota eſt Nucis Querimonia, Δυσδαίμων ἐπ' ἐμὴν ὕβριν ἐκαρποφόρουν. Elegans eſt epigramma Antipatri eâ de re, quod vertit Alciatus Emblem. 192. ubi vide Claud. Minoëm. *Matrem perimit ſua proles!*

Certè ego, ſi nunquam peperiſſem, tutior eſſem:
Sic nux conqueritur; Sic Synagoga Vetus!

Cogitent Parentes! Sæpe eſt --*proles damnoſa parenti.*

Nux uti; blandarum ſic indulgentia matrum,
Infelix fructus in ſua damna parit.

Adde 5. *Vicinitatis damnum.* Nocet umbrâ omnibus ſatis juxta. Plinius lib. 17. cap. 12. Nux inde à *nocendo*, & juglans, non quaſi *Jovis glans*, ſed quod *jugulet glandes*, ex Eraſmo Mylius in Horto p. 175. Nam *Quercus* juxtà conſita emoritur: adeò pertinaci odio diſſident, Ruellius lib 1. cap. 90. Sic Judæi & fraudulento commercio, Oſe. 12. v. 8. & fermento quaſi ac umbris legalibus, 1. Cor. 5. v. 7. &c.

4. Ha-

4. Habet tamen hæc arbor utile *lignum*, & *uctum* dulcem. Nam quia cariem vetuſta- nque non ſentit, materie amplexâ, nigricante datim, criſpâ, menſis, arculis, & utenſilibus egantioribus dicatur, Ruell. ex Plinio. Sic Judæis *vaſa Gratiæ electa*, & olim & ſubindè inc etiam Rom. 11. v. 11. ubi uſus hujus do- rinæ. *Fructus* Vetus Teſtamentum eſt: *nux* a Rom. 3. v. 2. cujus *putamen* amarum: *Amara im ſunt vitioſis & malè viventibus præcepta juſti- e*, Lactant. lib. 1. cap. 4. & durum ac quaſi li- eum, propter Prophetarum ænigmata, & cor- em figurarum: his enim duabus quaſi *carinis*, vocat Plinius, includitur *nucleus*. Is eſt Chri- us, Rom. 10. v. 4. Joh. 20. v. 31. qui latet *qua- ipartitá diſtinctione*, juxta Quatuor Evangelia, *gneâ intercurſante membrana*, quæ Crucis præ- rt imaginem, ſic ferè Philo Carpathius in Cant. l. *Baculum Aaronis nuceum* fuiſſe, quidam ſta- erunt, ut mox. Nux quam edidit *Chriſtus eſt*. tſi *Mundum* quoque & *Eccleſiam* ſignificare poſ- t. Mirata eſt antiquitas Calligraphum, qui *iadem in Nuce* incluſerit: nos Deum; Mun- us univerſus in Nuce latet! putamen eſt Cœ- um; nucleus quadrifidus Terra; membrana inter- urrens, maria. Niſi pendeat à Virga Aaronis, ruce Chriſti, tota nux caſſa. *Si aperiatur mun- us cultello veritatis, nihil in eo invenietur, niſi falſi- as*, ut dixit Hieronymus; confer Proſperum. p. 2. e Promiſſ. & Prædict. cap. 10. Sed ad Chriſtum evertamur. *Qui nucleum eſſe vult, nucem frangat portet.* Judæi *putamina inaurant*, nucleum non

 attin-

attingunt. Itaque dura & infragilis illis manet, ei rechte Grübelnüß; quibus etiam torporem & gr vedinem induxit, juſto Dei judicio: undè *κάρυ* ut putant, quod *κάρα* caput gravet & lædat, Pſ. 6 v. 23. 24. Nobis Chriſtus fregit, Luc. 24. v. 4 *molluſcamque* fecit, ut & cœli avibus in prædam e poſita ſit: innoxia in cibo, & in remedio ſalutari antidotus contra venena, Plinius l. 23. c. 8. Plu poſſent adferri, ſed cavenda eſt in his allegor λεπτολογία.

CAPUT XXX.

De Botnim & Luzim, Piſtacii & Avellanis nucibus.

1. INter optimos terræ fructus, quos Ægyp Proregi & Præfecto Annonæ miſit Jacob memorantur Botnim, Gen. 43. v. 10. nec ali reperitur hoc vocabulum. Hinc variæ ſententiæ, u dixi cap. 3. n. 8. Duæ tamen videntur prævaler Nam cùm *Boten Terebinthum* ſignificare ferè con ſtet; ea verò duplex ſit, altera *reſinifera*, altera *nu cifera*, ut docui c. 13. n. 4. Præcipua Quæſtio eſt quò ſpectent fructus iſti? *An ad reſiniferam?* putar Lxx. Indè habent δῶρα τῆς ῥητίνης; & Vulgatus *aliquid Terebinthi*; quod *de Reſinâ* accipiunt Cor nel. à Lap. Janſenius, &c. Accedit notatio: fert e nim Terebinthus præter baccas *Cornicula*, muſci aut culicibus fœta, è quibus erumpunt velut ex ute ro. *Beten* autem uterum ſignificat: *Botin Alboti Arabes duarum ſpecierum faciunt; Domeſticam*, Te rebin

P: 378.



PISTACIA. Botnim



inthum: *Sylveſtrem*, Lentiſcum, ut Serapion c. 9. Denique Syria inprimis Terebinthum habet: ſculum ſine fructu, ſed tamen *thus* fert: fœmina, ım fructum, lentis magnitudine; vocatur *thus*, dicamentis neceſſarium, Plin. l. 13. c. 6. Quare n Vulgatus ponit; *aliquid Terebinthi*, tàm de ıre aut fructu, quàm de reſinâ accipi poteſt. Hæ Vulgato; Pro verſione D. Lutheri, qui ponit attlen/ id eſt, φοινικοβαλάνους, quos officinæ vo- ıt *Dactylos*, hoc facit; quo fructus palmæ quo- e velut ex utero prodeant, *Spatham* dicunt & idam ἐλάτην, ut in Palmâ dicam.

2. *De Nuciferâ* & nucibus Terebinthinis agi, ar- mento ſunt. 1. Quia cum *Botnim* Gen. l. c. jun- ntur *Schekedim*, amygdala. Sunt autem Piſtacia, ces illæ Terebinthinæ, - ἀμυγδαλέοισιν ὅμοια, ut candor apud Athenæum. 2. Quia hæc piſtacia riæ ferè peculiaria, & inter optimos terræ fru- ıs. Indè nomen, quaſi dicas *Regias* nuces; nam rſis *Biſtax* Regum nomen eſt. Βίσαξ ὁ βασιλεὺς ὰ πέρσαις, Heſychius. Probat fusè Bochartus . Canaan. c. 10. 3. *Quia piſtaciæ nuces ſunt ob- gæ, & acuminatæ ſuprà, ab unâ parte tumidiore & angulum deſinente VENTRE protuberantes.* Idem Dalechampio. Hinc nomen ab uteri aut Ventris urâ. 4. Quia *Botna* propriè arbor eſt Piſtacia ſe- ns; *Butma* terebinthus, nomine ut naturâ cogna- Sunt enim planè ſimiles, præter fructum, ut do- t Theophraſtus. Quare etiam Terebinthus utraq; nfuſo nomine dici ſolet ſic LXX. ut habet Bo- artus, τερέβινθον verterunt, quod Vulgatus reti- it. Itaq; Terebinthus, tanquàm conſanguinea Pi- cia adoptat, ut Palladius de his: *Hæc*

Hæc & cognato cingens Terebinthus amictu,
Nutrit adoptivis nobilitanda comis.

Accedunt teſtimonia Rabbinorum & alia, quæ apud Bochartum vide ſis. Qui tamen fatetur etiam *avellanas nuces Botnim* dici, quod proprio nomine careant Hebræi: indè *Pithyniam* & *Pontum*; quaſi *Botno*, à quâ regione nuces Ponticæ; & Heracleoticæ: ſic ab iſtis nucetis in Judæâ urbes *Beten & Betonim*, Joſ. 13. v. 26. c. 19. v. 25. & *Batnæ* propè Berrhæam Syriæ, vide plura apud Bochart. l. cit.

3. Mihi certum; utramque arborem, reſiniferam & nuciferam, generali nomine Botnam dici, & Terebinthum: utramque Syriæ frequentem, maximè propè Damaſcum: diſtingui vel epitheto, ut cùm Terebinthinam Arabes dicunt *Alhalak albotin*, gluten vel *reſinam Boten*; vel conſideratione rei ſubjectæ, de quâ agitur, ut hic; ubi Botnim junguntur amygdalis. Serapion *reſiniferam* ex Dioſcoride deſcribit, quæ tamen deſcriptio apud eum non reperitur, *quod ſit Arbor grani viridis*; ſic differentiæ causâ dicta: id granum baccæ ſunt ex cœruleo virides, Juniperi ſimiles, racematim congeſtæ. Addit tamen; *fructus ejus comeditur ab aliquibus, & eſt malus ſtomacho, urinam provocat, & ad libidinem incitat.* Quæ de Piſtaciis accipienda videntur, quibus eadem virtus tribuitur. An ſtomacho tamen noxia ſint? dubitatum: negat Dioſcorides lib. 1. cap. 140. *Piſtacia*, inquit, *quæ in Syriâ naſci conſtat, pineis nucibus ſimilia ſunt, & ſtomacho amica: Trita cum vino proſunt contra ſerpentum ictus*, &c. vide ibid. Matthiol. Deſcribunt *nuciferam* Bellonius l. 2. ob-

ſerv. cap. 96. & Rhauwolff lib. 2. cap. 8. At-
e hic quidem Tria genera obſervavit. 1. Quod
Halepi incolis *Fisluc, vel Fiſtuk* fortè, ex Piſta-
rum nomine corrupto, appelletur pag. 72.
Bagadeti, in viciniâ Perſidis, duo alia, majus &
nus, Arabibus *Botni*, & Perſis *Terbaik*, dicta;
g. 228. Sed hæc Medicis relinquamus. Illud
n conſtat, Terebinthum, ſivè Botna arborem
o atque alio cœlo ſoloque, ingeniique diſcri-
ne, nunc baccas ferre reſinoſas, nunc nuces
urâ & colore, & magnitudine diſpares. In
eneſi verò de iis agi quæ Syriæ ſunt peculiares,
ad amygdalarum ſpeciem, formâ oblongio-
, propiùs accedunt; ut quæ in Armeniâ &
eſopotamiâ rotundiores, magis nuces avel-
nas æmulantur: minima verò earum cordis
iandam præferunt imaginem, vid. Rhauwolff
cit. Hæc Joſephus noſter à nobis dona ex-
ectat. *Da mihi Cor tuum, Fili!* Proverb. 23.
rſ. 26.

Regia Piſtacium nux eſt, donandaque Regi:
Cor dedi ego ipſe meum, Cor mihi redde tuum!

4. Eſt & aliquod *Germanicum Piſtacium*, wilde
impernüßlein. Arbuſcula eſt humilis, folio fe-
Sambuci, quæ in folliculis fert nuces, undè *veſi-*
ria nomen acceperunt: color putaminis ſubru-
et; nucleus guſtu dulci, mox nauſeam movet, &
et vomitum. Naſcitur in Bohemiâ & alibi. Ad
aphylodendron Plinii referunt. *Fert*, inquit, *Sili-*
uas, & in iis nucleos ſapore nucis avellanæ, lib. 16.
ap. 16. poteſt imago eſſe hypocritarum, de qui-
us Dominus: *Evomam ex ore meo!* Apoc. 3. v. 16.

Tolle

Tolle nuces clauſas veſicis: reſpuo tales.
Cor niſi ſit ſimplex evomit ore DEUS.

5. LUZIM leguntur ſemel tantùm quoque, i[n] hiſtoriâ Jacobi Gen. 30. v. 37. quam expoſui c. 4 num. 14. *Quid ſint?* ſatis in Nomenclatura, cap. 3 num. 21. Bochartus, ut ibi noto, contendit eſſe *amygdalas:* Quod in Targum in Chaldæorum Paraphraſtarum, ut & apud Avicennam, & Serapionem, alioſque Arabes, ita uſurpetur hoc vocabulum frequentiſſimè. Inde *Luzam* utramque Terræ Sanctæ Gen. 28. v. 19. & Judic. 1. v. 26. Indè *Luſitaniam* dictam amygdalis laudatis abundantem. Repugnant tamen Aben Eſra & Kimhi apud eundem, quorum autoritatem recentiores Interpp. ſecuti, *Luz Corylum* definiunt. Mihi placet, quod in notis ad Tremellii verſionem habetur: *nucis h. l. dici ſpeciem, ſed nomen eſſe generale.* Undè & ipſis Arabibus *Leuz alkei* nux vomica, & *Leuz al bindi* nux Indica, apud Schindlerum. Quæ vocabula in Serapione, ab interprete puto, corrupta leguntur c. 162. 163. 164. ubi *Leuz* ſemper γενικὸν nomen eſt; addita diſtinguunt juglandes, avellanas, vomicam, & nucem *Mechil*, quæ fortè illa eſt, Indorum *Coquos* dicta. Quare etiam LXX. κάρυον nomen indefinitum poſuerunt pro *Luz*, l. cit. Neque ſolis amygdalis Hiſpania ac Luſitania celebrantur; ſed & aliis nucibus, & avellanis quoque. *Nemus eſt apud oppidum, cui* à Monte Majore *nomen, in quo tùm alias fructiferas arbores, cùm & nuces, corylos, Caſtaneas, ipſa natura plantavit, altitudinis ingentis & latitudinis. Haud procul oppido Bejerano nemus eſt, ubi Caſtaneæ arboris ambitum ſe menſum ſcribit Lucius Mari-*

arineus Siculus, pedum circiter quadraginta, in-
credibile dictu, refert Merula in Hiſpaniâ c. 3. P. 2.
Coſmograph. l. 2.

.IpſumLatinum nomen *Nux*, ut rectè obſervat ex
Scaligero Dalechampius ad Plin. l. 15. c. 22. ab He-
bræo *Luz* deſcendit. Nam neque à *nocendo* dicta eſt,
neque *à nocte*: quod *ut nox aërem*; *ita hujus ſuccus*
corpus faciat atrum, *Varronis ſententiâ*. Neque κάρυον
capitis gravedine, *propter odoris gravitatem*, ut Plin.
l. c. Sed quod capitis figuram habeat: ut nucleus
cerebri. Indè nuces *nuptialium faſceminorum comi-*
tes, & illud: *Sparge Marite nuces!* de quo ibid. De
Avellana, ſivè Patrio nomine *Abellinâ*, iſta feruntur:
quod vites oderit, obſiſtat venenis, ſerpentes ictu
torpidos faciat, & interimat: Scorpios, laquearibus
ſuſpenſa, aut pedibus lectorum fuget, &c. Pontica
propriè illa, cujus nuclei purpureâ membranâ ami-
ciuntur, guſtu ſuaviores & uſu ſalubriore, rothe Ha-
ſelnüß. Noſtri quoque vocant Bartnüſſe/ *barbatas*
nuces; quia mollis barba eas protegit. Plin. l. cit. &
Græci, ut Dioſcorides, λεπτοκάρυα. Tritæ, ut Idem,
& in aquâ mulsâ potæ, Veteri tuſſi medentur. Non
pauca jucunda de Corylo habet Mylius in Horto
Philoſ. quæ non vacat exſcribere. *Cum Deo & Die!*

De nuce fit corylus: pueros non neglige parvos;
Proceſſu poterunt temporis eſſe Viri.

Virgula divina, baculus Moſis.

Ceu Coryli prodit theſauros virga latentes;
Sic Chriſti arcanas lex ſacra monſtrat opes.

Virga diſciplinæ fugat ſtultitiam, Prov. 22. v. 15.

Scorpius arcetur corylo, jacet icta colubra:
Sic procul à pueris crimina Virga fugat.

CAPUT

CAPUT XXXI.


De Schekedim, Amygdalis,

1. QUater legitur hoc vocabulum, I. Geneſ. 43. v. 10. de quo cap. præced. num. 1. Deinde II. Num. 17. v. 23. ubi *Aaronis Virga arida* miraculo frondeſcit, & *fructus fert, amygdalas*, III. Jerem. 1. v. 11. ubi in viſione Prophetæ oſtenditur, *baculus Amygdali*; βακτηρία καρυΐνη, LXX. *baculus nuceus*, quem ferunt capiti ſuppoſitum, vigilias inducere, & arcere ſomnum, ſic Cyrill. de Adorat. & Severus in Catenâ. Vulgatus indè habet; *Virgam vigilantem:* Viegas putat, vidiſſe *oculatam Virgam:* alii *Cometam* fuiſſe: Caſtrius Dei Imperium ſignificaſſe, cujus hieroglyphicum fuit *oculus in Sceptro* pictus, aut *Virga cui Sol ſuperſtabat:* Macrobius 1. Saturn. c. 21. Plutarchus de Iſide &c. Supereſt VI. ænigmaticum illud de Senectute, in quâ *floret amygdalus*, Omitto *phialas Candelabri Aurei* ἐξημυγδαλωμένας, ut vertit Aquila, id eſt *amygdalatas* offene Schalen/inſtar amygdalarum, D. Luther. Eccleſ. 12. v. 5. Exod. 25. v. 23. &c. Neque ullum eſt dubium, qui *Schaked* ſignificet amygdalum.

2. Quæritur 1. *unde nomen?* Reſp. à שקד *Schakad* feſtinando: quod prima floreat omnium menſe Januario, Martioque poma maturet, Plinius 25. cap. 16. Olympiodorus in Eccleſ. Salom. ait, Geoponicos obſervare, *amygdalum primam arborum florere, Poſtremam amittere folia.* Athenæus

lib.

p. 384.



AMYGDALUS.

l. 2. dipnoſophiſt. ex Herodiano Alexandrino: *ræcè dici, quod teſta aut putamen ligneum, ſub vi-li latens, multas habeat ἀμυχὰς fiſſuras, & quaſi ariſicatu inciſa Vulnuſcula:* adddit ex Phrynicho, *lces contra Tuſſim eſſe remedium:* & ex Plutarchi ympoſiac. *amaras ante potationem præſumptas, re-ere ebrietati.* Sic Plinius: *ajunt quinis fere præ-nptis ebrietatem non ſentire potores: Vulpesque ſi erint eas, nec contingat è vicino aquam lambere, ori* l. 23. cap. 8.

3. Jam 2. *Quænam illa Virga Jeremiæ amygdali-a?* Reſp. geſtamen Principum, & Judicum Po-uli: Eos apud Iſraëlitas *baculos* geſtâſſe *amygda-nos* docui in Acerrâ lib. 1. num. 83. ubi & alia, & bulæ Rabbinorum de Virgâ Moſis, ex Galatino, uas etiam Stengelius recitat in Pomonâ. Sic Athe-s quoque Judices geſtabant βακτηρίας ὀρθὰς, invi-oſum erat βακτηρίαν φορεῖν. Caſaubonus ad Theo-hraſti charact. pag. 170. tanquam id ſignum eſſet fectati principatus. Sic in S. literis *Virga*, quæ ropriè שבט *Schebet* dicitur, Regni inſigne eſt : Pſalm. 45. v. 7. Eſa. 14. v. 5. ubi *Schebet domi-antium*, per appoſitionem dicitur מטה *Mattheh aculus impiorum.* Sic *Matthe* Virga Aaronis & rincipum, Num. 17. l. cit. Regum tamen videtur ifferre à Principum, Regum, Arabibus *Sabt alme-ich, Sceptrum Regale*, ductile fuiſſe ex ferro, ære, uro, colligi poteſt, ex illis locis, in quibus ferreæ Virgæ fit mentio, ut Pſalmo 2. &c. Indè Syris *Sche-at ducere*, extendere, ductile opus efficere. At *Matte*, vi radicis נטה *Natàh*, Scipionem vel haſtam ignificat, cui quis *innititur.* Quanquàm *haſta* quo-

que *Regum olim* geſtamen fuit, & *pro diademate, ſceptrumque dicebatur*, Juſtin. l. 43. c. 3. ubi ex Turnebo & aliis Bernegg. & La Cerda in 6. Æneid. v 760. At Virga, viſa Jeremiæ h. l. appellatur מקל *Makkel*, undè M. mutato in B. *Baculus*, ut Marinus. Uſurpatur pro baculo paſtorali, ut Gen. 30 v. 37. Zachar. 11. v. 10. pro Scipione viatorio, Exod. 12. v. 11. pro clavâ aut fuſte militari, Ezech. 39. v. 9. pro ſceptro, Jerem. 48. v. 17. &c. Talem igitur Baculum, haſtam, aut ſceptrum, videtur vidiſſe Propheta, quo Regia Dei poteſtas & vindicta ſignificaretur, aut ejus Miniſter *Nebucadnezar*, ut voluit Chaldæus. Sed cur is baculus dicitur *Schaked?* An quod *ex Amygdalo?* ut dicebam: vidiſſet itaque in aëre baculum ligneum. An quod, vi vocabuli, baculus ille non ligneus ſed igneus, *feſtinaret*, celeriterque per aërem decurreret, quod cum verſione Vulgatâ, & D. Lutheri, **ein wackerer Stab**/ convenit? credo hæc potiùs. Tales ſunt *Acontiæ Cometæ, qui jaculi modo ocyſſimè vibrantur*, Plinius lib. 2. cap. 25. & inter Meteora *Lampades, lanceæque ardentes*, ſtellarumque trajectio, quando *videmus*

Stellarum longos à tergo albeſcere tractus:

Videnturque longum ignem porrigere, propter immenſam celeritatem, Seneca Quæſt. Nat. lib. 1. cap 14. Nam Ariſtotelis ῥάβδοι ſive *Virgæ* huc non pertinent. Simile Meteorum, ſivè verum, ſivè apparens, fuit *olla illa fervens*, Prophetæ conſpecta, ib.

4. Quæritur 3. *Quænam Virga Aaronis?* Non tantùm Reges & Principes, baculos ſuos geſtabant, aut virgas; ſed etiam Sacerdotes. A Diis acceperant...

cepiſſ

:piſſe ſolebant gloriari. Ita *Minos* in Cretâ apud
eſiodum, ζηνὸς ἔχων σκῆπτρον, τῷ καὶ πολέων βα-
λευε, *Jovis habens ſceptrum, quo & urbes regebat.*
uod Plato in Minôe, cenſuit *Jovis Doctrinam*
ſe. Ita Sceptrum Meſſiæ: doctrina, Pſalm. 130.
3. Eſai. 2. v. 4. Sic Chryſes Sacerdos *Apollinis,*
ronam aureumque ſceptrum manu præfert apud
omerum, Iliad. 1. poſt princip. *Virgam à Muſis*
:cepit Heſiodus; pertinentque huc Magorum
βδοι è lauru, ἀισακοι dicti, Augurumque *Litui*
:curvi, & Epiſcoporum indè peda, baculi in fine
:uti, recti in medio, ac recurvi in ſummo, de qui-
ıs Hœlzlin. in Apollonii Argon. pag. 34. Prole-
om. & Stengelius in Pomonâ cap. 10. p. 133. Cre-
as hæc κακοζηλία paganâ, ab exemplo Moſis or-
, & Aaronis; quorum ille primò ut paſtor, dein-
è ut Dux exulum & peregrinantium; hic ut Sum-
ıus Sacerdos baculos ſuos geſtaverunt. Quæſtio
. *An eadem Virga Aaronis & Moſis*, quâ commu-
iter ad edenda ſigna uſi? Affirmat Eſtius in cap.
. Epiſt. ad Hebræos, & confirmat ex Num. 20.
. 9. Sed hoc ipſo loco negat Bonfrerius: Quod-
ue non Aaronis tantùm, verùm etiam Moſis vir-
a miraculorum patratrix, coram Domino aſſer-
atæ fuerint in Tabernaculo, docet: negat etiam
Cornel. à Lap. *Quò pervenit Virga Moſis*, ut hic ait,
ncertum eſt. Baronius tamen & ex eo Stengelius,
n urbe Senonicâ, apud Eccleſiam B. Martyris Stepha-
i, cum aliis reliquiis partem Virgæ Moſis repertam,
rodunt, teſte Rudolpho Glabro: *nec improba-*
ile eſſe in Lateranenſi Baſilicâ Virgam Aaronis aſ-
ervari.

6. Adde 5. *Quoniam modo inſcriptum huic Virg.* *nomen Aaronis?* Non appenſa membranâ, quæ fa cilè permutari potuiſſet, nec abfuiſſet fraudis ſu ſpicio; ſic Bonfrerius contra Abulenſem, ſed ve atramento, vel inciſurâ. Credo hoc, more paſto rum. 6. *Quonam modo germinaverit?* 1. protul *germen*, gemmam, floris rudimentum; 2. *florem* 3 *fructum* maturum: ut ſimul hæc omnia appare rent, Idem. 7. *ubi repoſita?* In Arcâ Fœderis: no quidem *ſtrictè* dictâ; ſic enim nihil erat ibi præte Tabulas legis, 1. Reg. 8. v. 9. 2. Paralip. 5. v. 9. ſe *latius*, ut loculamenta complectatur ad latus fabre facta Hebr. 9. v. 4. Num. 17. v. 10. vide D. Wal therum in Harmon. ad 1. Reg. l. cit. Porrò. 8. *Quo modò in capsâ illâ ad Arcæ latus reponi potuit tantu baculus*, quantum oportebat fuiſſe viatorium Reſp. breviter: non fuiſſe σκεπάνιον, aut ſcipio nem; ſed inſigne ſummi Sacerdotii, & Magiſtratus ſceptro ſimile, aut Lituo, de quo Tiraquellus i Alex. ab Alex. l. 5. cap. 19. pap. 744. ſic *Quirinali Lituus* Romuli, Romæ ſervabatur in Capitolio, ve in Curiâ Saliorum, quæ in Palatio: quod, urbe Gallis captâ, cùm illa conflagrâſſet, poſteà inter Ci neres illæſus ille & integer repertus fuerit, legitu apud Ciceronem & Plutarchum. Denique 9. *An e. Virga poſtea ſemper virens & florida manſerit?* Af firmat Abulenſis: eò quod perenne debuerit eſſ monumentum Sacerdotii Aaronici divinitùs con firmati. Probabile hoc putant Bonfrer. Cornel. Lap. & ex noſtris, D. Friedlieb. Sed contrariun videtur dicere Apoſtolus Hebr. 9. v. 4. Nec ratic cogit. Nam & ſicca ſemper extantibus gemmis

flori

›ribus, amygdalis, miraculi memoriali eſſe potuit:
: ſi viridis ſemper oſtenſa fuiſſet, ſuſpecta fortè
s eſſe de ſuppoſitione. Denique miracula finge-
non licet.

6. Miraculi fama *fabulas* peperit, pro aſtutiâ
iaboli & invidiâ: *Herculis clavam*, ex oleaſtro,
lo depactam regerminâſſe, Pauſan. in Corinthia-
: *haſtile Romuli* creviſſe in Cornum arborem,
utarch. in Romulo: Sic Severus Sulpitius, Abba-
cujusdam *Virgam Styracinam*, à novitio quodam
to biennio irrigatam, refert refloruiſſe, Dial. 1.
13. Et fuiſſe Aaronicam quoque - *Styriacis arbo-
natam*, ex Tertulliano dixi Styreace, 4. Carm.
lv. Marcion. Caſſianus idem narrat, ſed germi-
iſſe non meminit: *Senex* inquit. Abbas ille, *evulſit
vi commotione Virgultum, ſicque projiciens, prace-
t, ut deinceps rigare deſineret*, l. 4. Inſtit. cap. 24.
·imislai Bohemiæ Ducis, ab ſtivâ ad ſceptrum vo-
iti, *ſtimulum* in Corylum evaſiſſe, Villæque inco-
s, immunitate donatos, quotannis exiguam inde
ituram avellanarum menſuram, pro Tributo,
endere ſolitos, eſt apud Æneam Sylvium cap. 6.
iſtor. Bohem. Parallela lege apud Stengelium è
gendis, Pomonæ ſuæ cap. 2.

7. Denique multa hinc Hieroglyphica 1. *Aaronis
irga* ſignificat Incarnationem Filii Dei Eſ. 11. v. 1.
usque Sacerdotium æternum, & Evangelicum
iniſterium: inde fidelium vivificationem & rege-
erationem; & mortuorum reſurrectionem. Pa-
um de his Teſtimonia lege apud D. Pelargum,
Cornelium à Lap. ut & Hieron. Lauret. in *Ba-
ilus*.

2. Apud Paradinum tria huc ſpectant Symbol
1. *Sola vivit in illo.* Jaculum ſepulchro infixu
floret. Spes reſurrectionis. 2. *Semine ab ætheri*
Manus è cœlo oſtentat Virgam Aaronis. Imag
regenerationis. 3. *Tutus ab igne ſacer.* Lituus Rc
muli, de quo dixi.

Integer in medio Lituus ſtetit igne Quirini:
Incolumis vincit cuncta pericla fides.

3. Sic *de Venabulo Romuli*, quod in aprum i
tentatum, in monte Palatino, humi fixum floru
rit, Saavedra habet elegans Emblema, num. 8
cum inſcriptione; *Auſpice Deo!* Addam Epigran
ma.

Sæpè etiam infelix cecidit feliciter ictus;
Dirigat è Cœlo ſi modò dextra Dei.

4. Virga Aaronis Eccleſiam ſignificat. *Nil d*
ſperandum eſt!

Flebile principium melior fortuna ſequetur:
Sicca etiam viruit virga: rigante Deo,

5. Apud Alciatum Amygdalus ſignificat *ingeni*
rum illud præcox genus, quod non temere pervenit a
frugem, ut ait Quintilianus: Eadem in manu Pri
cipis, monet non eſſe cunctandum. Juſtitian
aufert, qui differt.

Tolle moras, populo quisquis jus dicere debes:
JUDICIS hoc baculus clamat amygdalin

6. *Salomonia florens*, capitis nives, id eſt, *canitie*
notare creditur, quæ longè conſpici poteſt, ut am
gdalus, cùm candidos flores in ſummitate produc
Levinus Lemn. de Herb. Bibl. cap. 48. Sic comm
niter, & D. Geyer quoque in Comm. Eccleſ. N
ces tamen & poma pro verendis poni ſolent, I
pſiu

ius, 3. Antiq. Lection. p.162. Quorum flos ſene-
utis index comesque eſt.

7. Olympiodorus in Eccleſ. Nuces amygdalas ibus ait conſtare partibus. *Nam extrinſecus viri-em habent corticem, ligneæ teſtæ impoſitum, cui nu-eus ineſt, quem comedimus: Sic eſt homo, è corpore, nimâ & ſpiritu compoſitus.* At Plinius reperit in ucibus, quandam *humani fœtus* imaginem, *multis odis à naturâ muniti:* Indè putat ortam *nucum mygdalarumque ſparſionem in nuptiis*, boni ominis ausâ, lib. 15. cap. 22. ubi Dalechamp. de hoc ritu lura, ut & Scaliger Pater l. 3. Poët. cap. 100. & Fi-us in Catullum, Alex. ab Alex. l. 2. cap. 5. La Cer-a in Virgilii Eclog. 8. v. 30. &c.

8. Hieronymus in Jeremiæ l. cit. *Vigilat virga, uncta populi peccata conſiderans, ut percutiat & cor-ipiat delinquentes. Et quomodò nux ſivè amygda-um amariſſimum habet corticem, & teſtâ duriſſimâ ingitur; ut detractis auſterioribus & duris, fructus lulciſſimus reperiatur: ſic omnis correptio amara ad ræſens, fructus parit dulciſſimos. Unde & vetus illa ententia eſt: Literarum radices amaræ, ſed fructus lulces.* Et mox: *Qui noluerint percutiente virgâ mendari, mittuntur in ollam æneam atque ſuccen-ſam.* Sic S. Aſterius apud Photium, homil. in cœcum Natum: *improbis & ingratis opus eſt correptione Vir-gæ, non nuceæ, ſed ferreæ.* Elige quam cupias!

Quos nucea emendare nequit, poſt ferrea virga
Conteret: iſta malis optio certa datur.

9. Scitum quoque illud Stengelii: *litui baculique paſtorales non ſunt prorſus recti, ſed vel recurvi, vel*

acumine inæquali : omnes namque juſtitiæ noſtræ, atque cujusvis Magiſtratus, comparatæ cum divinâ, tanquam pannus menſtruatæ , ipſasque Juſtitias Deus, cùm tempus acceperit, judicabit, Eſ. 64. v. 6. Pſalm. 74. v. 2. *- non ſunt, quæ recta videntur.*

Ut litui incurvi, ſic eſt quæ recta videntur
Juſtitia ante homines, curva ſed ante Deum.

10. Homo Chriſtianus amygdalo ſimilis eſt, quod ſub conſciſſo putamine dulcem abſcondit nucleum 2. Cor. 4. v. 9. 16. Ita S. Macarius comparat βαλαντίῳ σαπρῷ πεπληρωμένῳ μαργαριτῶν, *marſupio putri ſed intùs pleno margaritis,* homil. 43. *Corporis infirmitas, mentis ſanitas.*

Sciſſa foris, dulces dant intùs amygdala fructus;
Sic pius, afflicto corpore, mente valet.

11. Adde his, quod *ſtultiſſima arborum* habetur Amygdalus, quod mox poſt brumam florens, fructus perdat. *Feſtina lentè!*

Stulta arbor nimiùm feſtinat amygdalus : amens
Ante diem properans, tendit in exitium.

Amara Amygdala crapulam impediunt , Vulpes necant. *Lex. Nex.*

Quæ Baccho obſiſtunt , ſunt toxica amygdala Vulpi :
Sic præcepta necant Legis amara malos.

Virga Aaronis Chriſtus aruit in morte , *floruit in reſurrectione,* Hieron. in Jerem. 1. Hæc - *ſpes reſurrectionis!*

Arida ſi potuit revireſcere Amygdalus ; eccur
Mortua non poſſint oſſa, volente Deo?

CAPUT



MALUS PUNICA.

CAPUT XXXII.

De Rimmon, Malo Punicâ.

SÆpè legitur, ut I. Num. 13. v. 24. ubi, *inter alios Terræ Promiſſæ fructus*, Exploratores dicuntur abſtuliſſe *Harimmonim*, ἀπὸ τῶν ..., Lxx. de malis granatis, Vulgat. II. Cap. 20. ...ſ. ubi murmurant Iſraëlitæ, quod in deſerto *nec ...es, nec ficus, nec Vitis, nec Rimmon ſit*, ὄτε ῥοαὶ ...xx. III. Deut. 8. v. 8. Terra Canaan dicitur *Ter... Rimmon.* Sic Saul conſediſſe dicitur ſub *Rimmon* ...bore 1. Sam. 14. v. 2. Fuiſſe inter præſtantiſſimos ...uctus Mala Punica conſtat ex Cant. 4. v. 13. *Plan...tiones Tuæ Pardas Rimmonim*, παράδεισος ῥοῶν, ...aradiſus malorum Punicorum: Joel 1. v. 12. con...eritur, ſiccitate & æſtu aruiſſe, *Vites, ficus, Rim...on Malum Punicam* &c. Hagg. 2. v. 20. itidem ...um vite & ficu jungitur *Harimmon.* IV. Denique ...artes deſcribuntur, ut Flos, Cant. 6. v. 11. *an ma... Punica floruiſſent?* & Fragmen, *Pelach Harim...non*, λέπυρον τῆς ῥόας, ein Ritz am Granat-Apffel/ ...ant. 4. v. 3. muſtum, vinum dulce, *Aſis Rimmon*, ...ant. 8. v. 2. γλεῦμα τῶν ῥοῶν. V. Celebrantur etiam ...nala Punica *artificialia*, ornamenta veſtium & ædi...ciorum & *urbes* ab iis dictæ, eorumque copioſo ...roventu, ut apud Marinum: denique Deus *Rim...non* Syrorum, & *Domus Rimmon*, 2. Reg. 5. v. 18. Neque adeò de Vocabuli hujus ſignificatu Quæſtio ...ſt: Malum Punicam eſſe liquet. Quæ etiam Chal...dæis, Arabibus, Æthiopibus, *Ramon*, *Rumana* dici-

 tur,

tur, ut apud Serapion. cap. 29. *Ruman*, malogranatum: quod à Mauris Hiſpani quoque retinent.

2. Nomen à radice רום *Rum*, aut geminatâ *Ramam* deducunt quidam: non quod arbor ſit alta; humilis enim & fruticoſa eſt, ramulos tenues promens, exiguis paucisque aculeis ſpinoſos; ſed quod fructu *excellat*. Indè & Citria, *LIMonia* dicta, mutato R, in L, ut putat Gregorius in Lex. S. Et Seldenus hinc *Rimmoni* Deo Syrorum nomen inditum ſuſpicatur; ut idem fuerit atque Phœnicum *Elion*: nam ut Heſychius: Ῥαμὰς ὁ ὕψιστος Θεός. Crediderim tamen hunc potiùs à רמה *ramàh* dictum, quod eſt inter alia *jaculari*, *ſagittare*, *vulnerare*, *dolosè agere*: undè Lingua *Remjah* doloſa, *ſagittatrix*, quæ occulta, diductis labiis jacula emittit, Pſal. 120. v. 3. 4. Sic *Rimmon* eſſet ἑκηβόλος Apollo, quod ejus apud Homerum epitheton eſt: pingique ſolebat *dextrâ manu Gratias geſtans*, *arcum cum ſagittis ſiniſtrâ*, Macrobius 1. Saturn. c. 17. An & malum indè Punicum dictum fortè *Rimmon*, quod dehiſcens *vulnus* quaſi oſtendat, aut diductis malicorii labiis, *acinos* intùs veluti dentes *ſanguineos?* viderint alii. A Latinis *Punicum* cognomen à Patriâ ſibi vindicat: ab acinis *granatum* appellatur, Plinius l. 13. cap. 19. Primus pomi hujus partus florere incipientis, *Cytinus*; cortex, *malicorium*, Idem l. 23. cap. 6. *Genera* ejus ſumma Dioſcorides *Tria* recenſuit; acidum, dulce, medium, quod & vinoſum. Eſt & ſterilis arbor ac Sylveſtris, quæ flore pleno fert pulcherrimum *balauſtium*, lib. 1. c. 127.

3. *Allegoriæ* variæ ſunt; una ἔγγραφος *de Eccleſiâ*, per Terram Promiſſionis præfiguratâ, in quâ

Vitis

tis eſt Chriſtus; *Olea*, gratia Spiritus Sancti; *us*, Miniſterium Evangelicum; *Rimmonim Ma-Punica*, Scholæ & Eccleſiæ particulares. Has deſertum Gentium attulêre Exploratores Apo-ſtoli, Num. 13. l. cit. Sub his Saul ille cœleſtis quieſcit, 1. Sam. 14. hæc ſunt ille Paradiſus de quo Cant. 4. *Flos* eſt fides: *fragmen*, profeſſio fidei ſpe & patientiâ: *muſtum*, ſolatium Sp. Sancti. *Eccleſia bonum fidei fulgorem confeſſionisque præ-tendit, tot martyrum ſanguine ſpecioſa, &, quod eſt amplius, Chriſti cruore dotata: ſimul plurimos in-tra ſe fructus, uſu iſtius pomi, ſub unâ munitione conſervans, & virtutum negotia multa complectens*, Ambroſ. 3. Hexaëm. cap. 13. *Sicut in malo Puni-co, uno exteriùs cortice, multa interiùs grana muni-untur; ſic innumeros S. Eccleſiæ populos unitas fidei contegit, quos intùs diverſitas meritorum tenet*, Gre-gorius M. P. 2. Paſtoral. 4. Unit etiam & munit *Charitas*, uti *multa grana conſervantur integra, niſi aliqua in medio putredo naſcatur*, Theodoret. in Cant. cap. 4. Nam *in omni malo Punico*, ut ajunt, *granum aliquod putridum reperitur*. Indè labes & ta-bes; *uva ut conſpectâ livorem ducit ab uvâ*. Quare expurgandum eſt hoc quaſi fermentum, 1. Corint. 5. v. 6. *Corona mali granati* hujus Deus eſt, Eſai. 28. v. 5. Pſalm. 103. v. 3. 4. *purpura*; quâ foris ob-ſcuriùs amicitur, intùs planè ſplendet, Chriſti juſtitia, Gal. 3. v. 27. Pſalm. 45. v 14. Eſa. 61. v. 10. *Malicorium* amarum, crux & tribulatio; quo abſconditur γᾶμα divinæ conſolationis, 2. Cor. 1. v. 3. *Grana* vel acini, fideles: *loculamenta*, diver-ſitas Vocationis & ſtatus: & ut illa *integro pomo*

non

non videntur, ſed fracto: ſic S. Eccleſia, quò ampliù eam frangi adverſis contigerit, eò clariùs, quod virtu tum grana unius fidei tegmine complectatur referat Beda in Cant. l. cit. 1. Cor. 7. v. 20. c. 11. v. 19. &c

4. Sic per *Genas Eccleſiæ,* quæ *fragmini Mali Pu nici* comparantur, Theodoretus & alii intelligun *ruborem verecundiæ* & modeſtiæ erga Deum, pe quem intùs latentia fidei bona & virtutum emi cant. Eſt enim hic *virtutis color* & infucata ani inæ venuſtas, Cant. 4. v. 3. Nihil in Virgine pul chrius, in Sponsâ amabilius. *O vere laudabilis ve recundia, ubi & intùs conſcientia munda, & foris fa cies veneranda eſt. Nam ubi eſt aliquid, quo men erubeſcat, non adeò laudabile eſt, ſi conſpectam facien rubor perfundat,* Rupertus. Quod Cant. 6. v. 11 ait Sponſus: *Deſcendi in hortum nucum, ut viderem ſi gemmuiſſet vitis, & floruiſſent mala Punica!* ho diè quoque fit gratiosâ viſitatione, & adventu Semper nos ſpectat, & fructus exſpectat. *Vinum malorum granatorum*, quod Sponſa promittit da turam ſe Sponſo Cant. 8. v. 2. Caſſiodorus & alii ac cipiunt *de paſſionibus & ſanguine Martyrum.* De bet enim anima à Deo edocta, pro didactro, fidem vivam, per charitatem operoſam, & virtutum fragantiâ odoratam; hoc eſt *vinum aromatites:* debet etiam ipſum ſanguinem, ut parata ſit in con feſſione nominis ejus profundere: hoc eſt *muſtum malorum punicorum.* Ipſe viciſſim *introducet in cel lam vinariam*, languentemque *floribus & pomis*, memoriâ mortis & reſurrectionis ſuæ, refocillabit, Cant. 2. v. 4.

5. Hinc varia *Symbola*: 1. Malum Punicum *Ec cleſia*

ſia eſt populorum omnium,quos unitas fidei collavit. *Una fides*, Epheſ. 4. v. 4.

Mala velut rutilas claudunt granata Pyropos;
Diſperſos Populos ſic ligat una fides.

Idem admonet, ut quisque intra limites divinæ vocationis maneat, faciatque quod decet, ut dici let,

- - *Rectè atque ordine!*

Punica grana ſuo ſtant quælibet ordine: ſic Tu
Quà poſitus fueris in ſtatione mane.

Henricus IV. Hiſp. Rex pro inſigni Regio, Malum Punicum ſibi delegit, cum epigraphe, *Acre, dulce!* ut ſignificaret, in optimo Rege ſic ſeveritatem & humanitatem eſſe temperandas, ut neque ſine ſeveritate ignavus, neque ſine humanitate crudelis videatur, Mendoza in 1. Reg. cap. 14. v. 2. Nos ad Sacram rem referemus.

Quod cernis pomum, ſub acerbo cortice, dulce eſt:
Sic ſub felle crucis dulcia mella latent.

Explorant adverſa viros! *clareſcit vulnere virtus!*
Rebus in adverſis mens generoſa patet.

Cognatus virtuti pudor, Symmachus in Epiſt.

Sic pudor ingenuus virtutes corde latentes
Indicat, ut gemmas Punica mala ſuas.

5. Fides Hypocritarum - *ſpem flore fefellit!* ut Baauſtia.

Punica ſylveſtris ceu flore ſuperbit inani!
Sic ſterilis, ſolo quæ natat ore fides.

7. Similis eorundem Pœnitentia ſine fructu. *Sic induiſſe, pudendum eſt.*

Erubuit, ſalva eſt, ajunt, res: ſed niſi fructus
Conſequitur, floris quid juvat iſte rubor?

6. Ma-

6. Malum Punicum *Regni Symbolum* eſt, & *P*
mum Impp. aureum Mundi, dixi pluribus S. Ana
lect. Volum. 1. p. 264. ubi alia quæ huc pertinen
non pauca. Sic *Mala granata in veſte Summi Sace*
dotis regna Mundi denotant, pedibus Dei ſubdit
cujus laudem tintinnabula interpoſita concel
brant, ibidem fusè pag. 366. & ſeqq. *Omnia circu*
Prona. parata Deo! Valer. Flaccus.

Punica quid mala hæc; quid tintinnabula ſignan
Cuncta Dei laudem ſubdita Regna canunt.

Eadem officii admonent Dei miniſtros. - *Dictis f*
ctisque docendum.

Mala niſi oſtendas ſunt tintinnabula fruſtrà:
Tunc facienda doces, cùm faciendo doces.

Eadem docent id quod apud Petronium eſt: *Nem*
noſtrûm non peccat: homines ſumus, non Dii. - Nem
ſine crimine vivit! Dionyſ. Cato.

Nemo caret vitio. Pulcherrima Punica mala
Granum aliquod clauſum cortice putre tenent

ut Eccleſiæ Doctores in Punico Malo ſanguine
Martyrum intellexerunt; ſic fabulati ſunt Th
bani, *è ſepulchro Menœcei Creontis*, qui bello Fr
terno pro Patriâ ſe devovit & interfecit, *natam e*
malum Punicam, cujus poma matura dehiſcentia ſa
guinis oſtenderent guttulas, Pauſan. in Bœotic
Dulce & decorum eſt pro Patriâ mori. *Pro Rege*
Grege!

Punica mala, viri fortis prognata ſepulchro,
Pro Patria fuſi ſigna cruoris habent.

7. Illud obſcœnum, & myſteriis paganor
fœdiſſimis dignum, quod per malum granat
vaſa intellexerint *naturæ prolificæ*. Hinc fabul
ſu

t alii, *ex ſanguine Dionyſii, à Titanibus diſcerpti,*
minâſſe mala Punica: quâ cauſa mulieres Theſ-
ophoria celebrantes, acinorum iſtiuſmodi eſu abſti-
ant, Clemens Alex. Protrept. alii, *Acdeſtim ſuo*
rivâſſe ſexu; cum diſcidio partium immenſum flu-
e ſanguinem: hunc cùm terra combibiſſet, repentè
um eſſe malum Punicam cum ſuis pomis: quæ cùm
na Sangarii fluminis filia, decerpta ſinu repoſuiſſet,
gnantem ex eo factam genuiſſe Attim, Deûm Ma-
dilectum; Arnobius lib. 5. Pauſanias *ex Acde-*
virilibus non Punicam malum, ſed *Amygda-*
n enatam refert, in Achaicis, eodem ſenſu. Nec
ſcurum erit, quid ſignificâret *malum hoc Puni-*
m in manu Junonis Polycleti apud Argivos? qui
ellexerit *eandem alterâ ſceptrum geſſiſſe, cui cucu-*
inſederit; quod in eam avem mutatus Jupiter Ju-
nem Virginem compreſſerit, ut apud eundem
uſan. in Corinthiac. Hæc erant illa arcana
eorum, Sacrâ ἐχεμυθίᾳ digna. Ita finxêre *Pro-*
pinam ad ſuperos non rediiſſe, quod raptis tribus
tem ſeptem, apud inferos ſolviſſet jejunia, granis
unicis, ut apud Ovidium. Quare *Rimmon* Sy-
rum ſivè Deus, ſivè Dea, ſivè utrumque *Natu-*
omnia fœcundantis Numen fuiſſe non immeri-
creditur; & ut *Phallos* Ægyptii, Latini *puden-*
um Liberi; ſic verecundius Syri *Malum Punicum*
edicâſſe, proque Dei imagine coluiſſe videntur
ic ferè Serarius in 4. Regum cap. 5. ubi & pro-
at *mala Punica Veneri Sacra* fuiſſe. Hæc non e-
ant digna relatu, niſi in deteſtationem impuriſſi-
æ ſuperſtitionis, & ut divinare liceat *quis fuerit*
le Rimmon? Deus ſcilicet Naturæ, qui mundum

rerum

rerum omnibus ſeminibus implevit, genitalemque virtutem inſevit, quam ſuis rationibus diſpenſat, cujus viſibilem imaginem in Cœlo oſtendere rat *Solem*, ideò hunc pro Deo coluêre: mundi verò imaginem *Malum Punicum* conſecravêre, propter inſitam ſeminum copiam. Quâ ratione *Ægypti quoque Loto inſidentem Solem infantem pinxerunt* ut apud Plutarch. de Iſide & Oſiride, & Jamblichum de Myſteriis, ubi de Symbolicâ Ægyptiorum Theologiâ, & Kircherum multis. *Lotum* intellige fructum rotundum aquaticæ plantæ, quam Proſper Alpinus in Ægyptiacis & accuratè in Exoticis depinxit. *Eſt autem è flore enatum caput, me ſpilo magno*, ut ait, *ſimile, cortice viridi contectum, refertumque intùs minuto ſemine innumero*, vide etiam Pierium Valerian. Hieroglyph. lib. 52. Eſt igitur Malum Punicum *Symbolum Mundi.*

Si Mundum ſpectare velis in imagine parvâ,
Punica cerne acinis mala referta ſuis.

Deus Loto inſidens, Providentiam notat, -*Dan. ſemina rerum.*

In Loto reſidens Deus infans ſemina rerum
Diſpenſat nutu, dum ſedet ipſe, ſuo,

Eſt autem Deus Infans ὁ λόγος, de quo Pater: *hodie Te genui!* Pſalm. 2. v. 7. Hæc arcana fidei Myſteria antiquiſſimi Ægyptiorum Prophetæ non ignorabant; ſed cùm Diaboli invidiâ celarentur, perverſoque hominum ſtudio, res in abominandas ſuperſtitiones vertit. Ita, ſi dextrè accipias, Ægyptiaca priſca Sapientia cum Moſaicâ bene conſpirat, d quâ modò num. 6. Eſt enim ὁ λόγος ſummus ſem

pe

apud Deum Patrem ſacerdos, in cujus podere τὸν κόσμον ſignificatum , legitur Sap. 18. v. Eodem ſpectabat Japoniorum Deus *Daibutus* rbe Meaco cultus, *effigie viri ingentis, Japonico roſæ inſidentis*, de quo Kircherus, & ego quo- in Theologiâ Symbolicâ olim, cap. 10. Mitto .

3. Denique & illud quoque S. Literis videatur ıcinere, ac myſticis earum ſenſibus, quod Ar- ıidorus habet : *Mala Punica eſſe Vulnerum ſi- ficativa, propter colorem, & tormentorum propter as*; ita enim eadem Martyria fidelium ſigni- fi ıre diximus. Addit idem: ſignificationem ha- be etiam *ſervitutis & ſubjectionis, propter arca- n ſermonem qui fertur Eleuſine*, l. 1. Onirocrit. c. Is ſermo eſt, quem dixi, dubio procul de Pro- ſ pinâ, quæ guſtatis aliquot mali Punici granis P toni in perenni ſervitutem data eſt. Plura de h apud Mylium. - *Retinet guſtata voluptas!*

Captivos Erebo dat guſtu fœda voluptas:
Sic ſervit Stygio Sponſa triformis Hero.

F cit ad rem quod Artemidorus l. cit. tradit. *Mala lcia Venerem & voluptatem ſignificare iis præſertim ibus vel uxor vel amica curæ cordique eſt. Hæc enim, uit, in Veneris Tutelâ ſunt. Acida verò lites & itiones indicant. Sunt enim Eridi Sacra.* Nota eſt f bula, & inde Proverbium, *de Diſcordiæ Pomo au- ro*, quod *cupiditatem* ait Fulgentius l. 3. Mythol. nificare : *eâ de causâ, quod in aureo malo eſt quod deas, non eſt quod comedas: ſicut cupiditas novit ha- re non novit frui.* Sic *Mala Punica dulcia calorem umpta excitant, inflationesq; gignunt, unde in febri*

abdicantur: *Acida verò ora gingivasque lædunt,den-*
tesque ſtupefaciunt. Vinoſa mediam ſortiuntur natu-
ram, & ſalubriora ſunt, Dioſcorid. l. 1. cap. 127.

Pomum illud aureum revocavit in memoria
Cerea mala Punica, quæ appoſuit Ptolomæus Phi-
lopater Sphæro Boſphorano Philoſopho, negant
Sapientem opinari, Diogen. Laërtius in Cleanth
lib. 7. Sic Heliogabalus *Paraſitis in ſecundâ men.*
ſæpè ceream cœnam, ſæpè ligneam, lapideamve app-
ſuit, Lamprid. Hiſtoria de divite Pythiâ nota e
Hic eſt Potentum *Panis Mendacii*, de quo Salomo
Proverb. 23. v. 3. Hæc verò δῶρα ἄδωρα, *mune*
non munera, vide Eraſmi Adagia.

E cerâ fallax & non guſtabile malum;
Spem lactant Mundi munera, non ſatiant.

Sed de his ſatis multa. Ad alia pergamus

CAPUT XXXIII.
De Thapuach, Malo.

1. Refertur hæc quoque inter arbores mites
felices, fructuq; laudatas, Joël. cap. 1. v. 1
& prætereà reperitur in Cantico Salomo
quater, & in Proverbiis *ſemel*. Nec de nomine
lis eſt. Etiam Arabes retinent: hinc *Gaidamin Tu*
hortus pomorum. Radix incert. Nam alii primitiv
eſſe putant; alii derivant à פוח *Puach*, aut נפח *Na-*
phach, ab *afflando*, & *adſpirando*, propter fragr
tiam. *Taphach* Thalmudicis ſignificat *intumeſce*
D. Hottinger. Hinc *Thapuach* urbs Regia, Joſ
12. v. 17. & *Beth-Thapuach* in Tribu Juda, cap.
v.

.à pomis dictæ: ut *Abellæ* apud Oſcos in Cam-
i, *maliferæ* Virgilio; quod nomen cum noſtro
:l, Apfel, convenit, ita Bochartus p. 837. Sic
um Imperii inſigne, - *apalla vocatur*, Gotefri-
iterbienſi, de quo cap. præced. num. 6. Sic χα-
ηλον Chamillen, Afris Ασηρτιφή quaſi *Chazirti-*
ch herba mali, quod odore mala æmuletur.
Videamus Loca S. Scripturæ, Prov. 25. v. 11.
auri in lectis, Vulgato; aliis, in cœlatis vaſis,
s transparentibus figuris; *argenti: ſic Verbum*
dicitur in tempore ſuo. Lxx. habent μῆλον χρυ-
ν ὁρμίσκῳ σαρδίου, *in monili Sardii* lapidis. Nam
diè monilia ſic necti ſolent, ut inter gemmas
æ bullulæ, aut mala granata affabre facta, con-
itur. Symmachus tamen habet, ut in fontibus
ἐν περιβλέπτοις ἀργυρέοις *in perſpicuis*, translucen-
, cancellatis, *argenti*. Ad Literam intelligun-
erè *mala artificialia*, quæ Vaſis argenteis, or-
s gratiâ, addi ſolent. Verùm ἀπόδοσις compa-
nis, mala exigit, quæ non tantùm decore &
â oblectent; verùm etiam odore & guſtu re-
nt. Itaque de *Malis Medicis*, *Citriis*, *Aurantiis*,
utherus & Zehnerus S. Adag. 58. Centur. 1.
& D. Geierus h. l. rectè acceperunt, ut & Sa-
de Cydoniis, *concinniùs*, ut cenſet Cornelius à
& venuſtiùs: & Martinus de Roa Singular. P.
. 1. cap. 4. Ipſum vocabulum *Thapuach* nu-
n alibi de pomo artificiali uſurpatur. Sic Beda:
a Prædicatoris, apte ad captum auditorum con-
ata ſunt mala; quia Arbore Vitæ, hoc eſt, de Dei
entia ſunt orta, &c. Tempeſtiva pulchra! Pro-
ium apud Sophoclem.

Aurea cælatis apponit mala patellis,
Qui tempeſtivè commoda verba ſerit.

Sunt pii doctique ſermones verè quidem, mala Au
rantia, Prov. 15. v. 4. ſæpè tamen ingrati & inſua
ves, cùm tempore non ſuo promuntur: ſed cùm
tempeſtivi ſunt, major accedit gratia, venuſtas
concinnitas: ut malis illis elegantiſſimis, quan
dò in menſâ ſecundâ, in artificiosè cælatis lanc
bus, apponuntur: ut aurum quaſi ex argente
cancellis, & foraminibus, effulgeret, oculosqu
trahat, & proritet appetitum. Plura apud I
Geyerum.

3. Cantic. 2. v. 3. 4. 5. *Sicut Malus inter arbor*
ſylveſtres; ſic Dilectus meus inter filios, &c. Ubi Ma
arboris ſcita deſcriptio: indicatur enim 1. quo
ſit *Urbana* & mitis; 2. *Umbrâ* jucundè & deſider
bili, tùm alias ob cauſas, cùm quod ſuave olea
3. *Fructu* dulci, & grato: 4. quod pomum ejus *an*
mo malè habentes corroboret: 5. adde, quod *& vi*
ſit mentio. Cæterum cuinam Malo Sponſu
comparet Sponſa & quomodò? mox audiemu
Cant. 7. v. 8. de Sponsâ dicitur: *odor oris tui*, v
lut in fontibus eſt, *naſi tui, eſt ſicut malorum.* La
dant eo capite, etſi aliis aliud placeat, Adoleſcen
tulæ Virgines Sponſam, per *Ecphraſin*, *ab imo*
ſummum, juxta Rhetorum præcepta. Illa, à v. 1
laudes omnes, pro more & amore ſuo, in Spon
ſum refundit, & ad preces ſe convertit. Quod
odore naſi orisque halitu dicitur, Tres Patres
pud Theodoretum ſic exponunt: *Gratia San*
Spiritus, mentem ſuavitate implens, quam tu à Spon
ſuſceptam in nos effundis, ſic eſt ut poma adſpectu p

chr

;*odoratu ſuavia guſtatu dulcia*. Eccleſia docens,
Mater, illa Apoſtolica inprimis, eſt *bonus odor*
iſti, 2. Cor. 2. v. 15. Laudanturque h. l. poma
doris præſtantiâ. Supereſt locus Cant. 8. v. 5.
malo illa excitavi Te, ibi corrupta eſt mater tua,
In Hebraico textu *affixa* ſunt *maſculina*: indè
runt quidam, hæc eſſe Verba Sponſæ ad Spon-
; eaque variè interpretantur, ſic tamen ut nul-
tisfaciant. Quare quod ex D. Luthero rectè
net Dn. D. Gerhardus in Salom. Poſtill. adv.
non tàm attendendum eſt, quid infrà aut ſupra
textu, quàm quid intra: hoc eſt; magis ad ver-
x textum ipſum, quàm ad puncta & accentus,
iciendum. Itaque plerique veterum per *ma-*
intelligunt arborem vetitam in Paradiſo, ad
m Sponſus digitum quaſi intendit, per *He Ha-*
ab, Hatthapuach, ſub illâ ipſâ malo: per *Ma-*
n, Evam: per *excitationem*, beneficium vivifi-
onis, vi & efficaciâ meriti crucis, Evangeliique
cruce. Revocat Sponſus in mentem Sponſæ
teritam miſeriam, ut ſemper meminerit, ſe nul-
uâ dignitate ereptum è ſtatu peccati, trans-
mque in ſtatum gratiæ præſentis. Locus eſt
allelus Ezech. 16. v. 1. usque ad 15. & Eſ. 44.
1. 22. Tu, inquit, quæ nunc quaſi *ex Deſerto*, ut
n iterùm *adſcendis*, magnaque cum fiducia *Spon-*
tuo applicans, deliciis affluens, ut Vulgatus ha-
, *inniteris* ipſi, inque ejus ſinu quaſi recubas; me-
nto, quomodò priùs jacueris ſine ſpe, ſine re:
n malum vetitum guſtâſſes, in Paradiſo; cùm
teà *fugacia mundi caducaque poma captares, ter-*
a ſectareris, ut Theodoretus; ſub illa malo,

quam noſti: illâ, inquam, ubi Te Mater tua E
adultera & *corrupta* ſuaſu infernalis Draconis
Tyranni, *cum magno dolore enixa* eſt; illâ rer
terrenarum, *quæ momentanea voluptate, pomi in*
ſenſus oblectant; ubi genitrix tua, non tam ge
quam mente Canaanitis & Amorrhæa, fornic
cum idolis, Diaboli quaſi proſtibulum, Te non
cruciatu, inter tot ærumnas longæ ſervitutis
Ægypto, te peperit infelix. Ego, Te, Ego ſuſc
vi, non tantùm jacentem, deſidem, inertem;
planè in peccatis mortuam: ego ſuſcepi, pro
amque dicavi. Quæ omnia, ut Synagogam pri
cui talium beneficiorum memoriam toties refric
Deus; ſic etiam Eccleſiam Catholicam ſemper n
miniſſe jubet. Nam è Veteri enata eſt Nova Ecc
ſia, & quæ illi in figurâ acciderunt, hujus causâ ſc
pta ſunt, 1. Cor. 10. v. 11. Ter adeò jacuit Ecc
ſia, per lapſum *in Paradiſo*: per ſervitutem corp
ralem & ſpiritualem *in Ægypto*; perque fœd
idololatriam *in paganiſmo*: toties excitata & r
dempta, per Semen mulieris promiſſum, per Ang
lum Fœderis Duce Moſe, per Chriſtum in car
manifeſtatum: Semper ſub aliquâ Malo: nam
pomo decepta eſt Eva, & poma concupivit Syn
goga, Num. 11. v. 4. 5. & 20. v. 5. & Gentes omn
terrenis tantùm inhiabant, Epheſ. 4. v. 17. 18. 1
Sic puto, conjunctis Interpp. veterum ſententi
locum hunc ampliſſimè accipiendum.

4. Malo igitur *comparatur* 1. *Chriſtus* animaru
fidelium ſponſus: nam, ut Tres Patres apud The
doretum. *ſpecioſus eſt pulchritudine inter filios hom*
num, non tantùm ut Dei Filius unigenitus, verù
eti

n ut homo, ſolus ſine peccato, Pſalm. 45. v. 3. odo-
cundo fragrans, propter ſpiritualia charismata:
ı ſuavis, Pſalm. 34. v. 9. Nam mellis dulcedo illis
n, qui guſtaverunt, cognita eſt. Quin & hominum
eſt, quibus vitam tribuit Spiritualem. Grego-
M. h. l. Ligna ſylveſtria eſu hominum habiles
tus non gignunt: malus verò quod gignit, congruè
ılubriter homines edunt. Meritò ergò per malum
iſtus; per ſylveſtria verò ligna cæteri homines figu-
ur: Quia in ſolo Chriſto cibum ſalutis, quoties
rimus, invenimus, in ejus verbis & exemplis ani-
noſtras fructu ſuavi & ſalubri reficimus. Quic-
d in cæteris præter Deum eſt, mortiferum eſt, &c.
onius legit: Qui pomum Punicum inter Sylvas,
Dilectus meus, &c. Sic Arabicus quoque & Pſel-
apud Theodoretum: Hoc enim, inquit, compreſ-
ı liquorem ſanguineum ſimul & aqueum emittit:
ui dicit fontes illos Salutares Sacramentorum, qui
latere Salvatoris emanârunt. Mala & cibo &
tu reficiunt. Fit enim vinum è pyris malorumque
nibus generibus: è Punicis, quod Rhoiten vocant,
nius lib. 14. cap. 16. hæc vina fœminis Virgini-
ſque conveniunt; quare, quod ſe ſponſa in cel-
n ſponſi vinariam introductam gloriatur, de his
cipiendum ſtatuo. Ita apud Romanos non lice-
t fœminis vinum bibere. Temeto carebant omnes
ulieres, vide multa apud Plinium l. cit. cap. 13. &
id. Dalechamp. ut apud Athenæum lib. 10. &c.
5. Eſt ſponſus noſter Malus 1. genere; omnes ſub
ſpecies complectens, omniumque dotes & venu-
ates, Coloſſ. 1. v. 19. Johan. 1. v. 14. 16. Sunt au-
m indigenarum & exoticarum malorum ſpecies

 ferè

fere innumeræ, vide Plin. l. 15. cap. 14. 2. *fructu* verè ἀγλαόκαρπος, quod Mali apud Homerum eſt epitheton: fructus enim, omnes unà ſenſus, allicit, Plutarch. in Sympoſiac. 5. Quæſt. 8. Quod de Chriſto deſertè, Pſellus & Theodoretus in Cant. h. l. vide quæ in Acerrâ dixi lib. 1. *de arboribus multiferis* num. 68. 69. Sunt quædam Mali *biferæ* ut μηλέα ἐαρινὴ dicta Theophraſto, quæ & præcocia ferunt & ſerotina poma, quæ *muſtea* Latini, Græci *Melimela* dixerunt; quidam *Nana*; eaque vel mellea, vel acidula, quo genere ſunt, quæ *S. Johannis* dicimus, quod circa ejus natalem maturescant, Porta lib. 5. cap. 13. Noſtra malus ſemper recentibus abundat, ut in Paradiſo Arbor Vitæ, Apoc. 22. v. 2. de quâ ſuo loco; & illæ in *Alcinoi Horto*, de quibus Homerus Odyſſ. 7. Ac mala quidem mali noſtræ præſtant omnibus 1. *Colore*, candida & rubicunda, Cant. 5. v. 10. quanquàm, cum in cruce penderent, tota eſſent *ſanguinea*, ut *quæ originem ex mori inſitu traxerunt*, maturaque ut morum fere nigreſcunt, ex Plinio Porta; quod genus noſtri *carbonaria* Kohläpffel/ vocant, 2. *Odore* fragrantia; qualia quæ *Roſea* dicuntur, quæ manſa palatum jucundiſſimo roſarum odore replent: & quæ *Melapia*, odore Cotoneorum, de quibus Proverbium eſt: *omne malum malum, præter Appium malum*, Porta l. c. cap. 12. Indè *Grata* Mali *umbra*, & mala corollis etiam inſerta, ut quibus Bacchi ornatæ effigies, Dalechamp. ad Plin. l. 15. cap. 14. quod ab eo mala cæteroſque fructus repertos fabularentur, Athenæus l. 3. in Cypro tamen ſatam à Venere primam unicamque malum Punicam, ibid.

id. At nobis hoc malum ſevit amor ipſe omnium :rum Pater, Eſ. 9. v. 6. Illud mirum; *mala ſæpè plicatis quibusdam afferre faſtidium:* mirius; *id ſinis frequenter accidere, ut & pauca portatu gra- ia ſint; ſiquidem vires odore eorum offenſa fati- unt: remedio eſt ſi guſtanda priùs apponantur, aut ne aliquamdiu oſtendantur*, Portal. cit. *Ignoti nul- i cupido.*

Diſpellunt oſtenſa aſinis faſtidia mala;
Optima faſtidit mens, viſi nota, rudis.

)enique 3. *ſapor* uno in malo noſtro omnigenus ſt, ut olim in Mannâ & aquâ è Petrâ, Sap. 16. v. o. Deut. 32. v. 13. dixi in Acerrâ lib. 1. num. 116. ζ 117. omniſque omnium medicinarum virtus, on tantum malorum.

Exhilarant animos prædulcia, odoraque mala,
Frigus & humorem inducunt, & vota ciborum
Proritant, cordi & proſunt, &c. Durantes.

nde Proverbium: *prægnanti malum dari oportet, t quod obrodat ſit, ſi animo malè eſſe occœperit*, Plaut. Amphitr. Plura è dicendis addat, cui otium erit & ubentia.

6. Dixi *homines* naturâ omnes 2. *malis*, aliiſque *ylveſtribus* arboribus ſimiles eſſe, fructu acerbo; olis beſtiis expetito, ut citati PP. *peculiare his acer- itatis convitium, cujus vis tanta ut aciem gladii per- ſtringat*, Plinius l. 15. cap. 14. itaque peſſimum in- le fit *acetum*. Sic ſumus, *naturâ filii iræ*, & ut ajunt, *Pomum non procul cadit à ſuâ matre.*

D radice malâ naſcuntur peſſima mala:
Naturæ ſequitur ſemina quisque ſuæ.

Hinc, ut neglecta mala ſylveſtria, cadimus hu-

mique putreſcimus. *Æqua ſenum ac juvenum denſantur funera.* Eſt ut Epictetus in Altercat.

Poma ut in arboribus pendent; ita corpora noſtra;
Aut matura cadunt, aut citò acerba ruunt.

Pulcherrimum *in Viſione Amoſi* cap. 8. v. 1.2.3. emblema proponitur: videt ille: *Relubh Kaiz*, *corbem* vel *calathum*, *fructuum æſtivorum*, vel ut Hieronymus vertit, *Uncicum pomorum!* quanquàm non putem intelligi eum, *quo rami attrahuntur ad carpenda poma*, ut illi viſum: ſed *corbulam in ſummitate perticæ*, quâ in ipſis ramis pendula poma excipi ſolent, ne ad terram alliſa vitium trahant; noſtri vocant **ein Aepffelbrech.** Indicatur. 1. *ſcelerum maturitas* 2. *Poenæ tempeſtivitas*, quæ *Vindemiæ* comparatur, ut Joel. 3. & Apoc. 14. &c. Ut Paterfamilias, cum maturuiſſe videt poma, quæque vel manum ſollicitantis ſtatim ſequantur, vel eâ non exſpectatâ ſponte cadant; *non*, inquit, *præteribo*; ſtatim primo quoque tempore colligam; arreptoque uncino vindemiam incipit. Ita Deus hic: pœnam longius non differret, pauci, velut relicta poma, effugituri ſunt uncinum: paſſim humi jacebunt ſtrati multi, quaſi putria & vermiculoſa: quæ indignatus Paterfamilias, jubebit projicere, ut indigna, quæ colligantur: & ut poſt vindemiam in vineis: ſic tunc ubique ſolitudo erit & ſilentium, cantusque verteretur in leſſum, Pſ. 65. v. 14. Eſa. 16. v. 10. Epigraphen dat ipſe Deus: *Venit Finis! Kaiz æſtas* indicat adeſſe *Kez finem*, Cæſar à Ripâ in Iconographiâ, ex hoc loco, *mortem pingit cum falce & uncino pomorum*, ut notat Cornel. à Lap. *Stat ſua cuique dies!*

Ut

Ut matura ſuâ carpuntur ab arbore poma;
Sic homines unco mors trahit atra ſuo.

7. Apud Lxx. quanquàm à fontibus longè re-
edunt, pro uncino aut caniſtro pomorum habe-
ır ἄγγος ἰξευτῦ, *vas Aucupis*. Theodoretus *viſca-*
ım Virgam intellexit. Poſſis tamen pro omni Au-
upii inſtrumento & apparatu accipere, de quo in
ıtrio Latinitatis dixi cap. 39. Unde aliud mortis
ieroglyphicum, non minùs elegans, ut Eccleſ. 9.
. 12. Amos. 3. v. 4. der Tod iſt ein rechter Leim-
ángler. *Lethi mille viæ.* Et plerumque, ut dixit
'rudentius in Hamartigen, exr. *viſcatus ineſcat*
'aſtus,

Ut volucres Auceps, viſco, laqueo, illice, clavo;
Sic nos mille capit mors, peremitque modis.

Junquàm non inveniet ille univerſorum Deus ratio-
ıem, quâ, ſi velit, punire poſſit peccatores; neque
uisquam obſiſtet, cùm irritatus pœnas inferre decre-
erit, adeò multos variosque habet ulciſcendi modos.
s verò effugiet, qui pœnitentiâ iram averterit, Do-
ninumque tam mitem & ad miſericordiam pronum,
ıd miſerandum, ad clementiam erga ſe *flexerit,* Cy-
illus h. l.

8. Illud non minùs venuſtum, quod Job ait:
ap. 9. v. 25. *Tranſierunt dies mei ut naves, vel æ-*
uè ac naves, אבה *Ebeh*, id eſt, *poma portantes*, ut
Vulgatus neque aliter Chaldæus & Aben Eſra, alii-
ue, ab *Ebh fructus;* alienè putat Coccejus quidem:
ed tamen eleganter. Nam fructus ὡραῖοι citiſſimè
orrumpuntur, ut remis velisque properandum ſit,
i quis venum exponere velit, nec lucrum omne
perdere. *Tempus abit! mors venit!*

Cymba

Cymba uti poma ferens; properant ita tempora noſtra:
Fac bene quæ debes; & citò, ſi qua voles.

Sic *locuſtæ*, quæ in Plagâ Ægypti octavâ, omnem terræ herbam, & *omnia arborum poma devorárunt*, Exod. 10. v. 15. *Malos Dæmones*; eorumque aſſeclas, *hæreticos, adulatores, falſos fratres*, & id genus ſignicant, juxta diverſas Patrum expoſitiones, apud Hieronym. Lauret. *in Locuſta*. Ita vita humana *nil niſi malitia, nil niſi militia eſt*, Job. 7. v. 1. *Vita omnis*, ait Seneca, *ſupplicium*.

Quàm multa rodunt Ægyptia poma locuſtæ:
Tam patet innumeris undique vita malis.

Cùm igitur homines nos naturâ pomis, & quidem ſylveſtribus, ſimiles ſimus, propter vitæ *improbitatum fugacitatem*; age, quæramus *delicatiſſima illa & dulciſſima Poma cæli, Poma collium æternorum*, quæ *Benedicta Joſephi Terra* profert, Deut. 33. v. 14. Τὰ ἀνώτερα καλλίω. Hæc ſunt illa *Poma quæ S. Dorothea Theophilo miſiſſe legitur de Paradiſo Sponſi ſui*, apud Adonem in Martyrol. ad 8. Idus Februar.

Accipe de Sponſi Paradiſo mellea mala;
Calcabis Mundi fellea mala mali.

9. *Omnia poma Vetera & Nova, Dilecte mi, ſervavi Tibi*. Cant. 7. v. 13. ἀπέκρυψά σοι *abſcondidi Tibi*, Symmach. & Aquila ex Hebræo. Fecit tale quid *Theodora*, meruitque *Theophili Imp. conjux*, pro ſervato bene pomo donato, coronam; recitavi lepidam hiſtoriam in Acerrâ l. ult. in Mantiſsâ Ænigmat. n. 37. iterare piget. Nam cùm duodecim Virgines Imperatori Porco exhibitæ, Pomum è manu

manu ejus accepiſſent, cæteræ illud ſtatim comederunt; hæc ſollicitè inter ubera aſſervavit: & cum alterâ die repoſceret Imp. ſola è ſinu Virgineo protulit, alterumque addidit, dicens: *En, quod donaſti mihi ad gaudium; ſed & aliud, quod dono in amoris pignus*; Poma nobis Vetera & Nova donat Sponſus noſter, doctrinam Legis & Evangelii, *præcepta Veteris & Novi Teſtamenti*, Theodoretus, ut Matth. 13. v. 52. Variaque chariſmata *regenerationis* & quotidianæ *renovationis*, fructus Spiritus, ejusque primitias, pignora amoris ſui, ac futuræ deſponſationis Gal. 5. v. 22. Rom. 8. v. 23. Eph. 1. v. 13. 14. Hoc tam nobile depoſitum abſcondamus in ſinu quaſi noſtro, ſervemusque Sponſo ad ſolius nominis ipſius gloriam. Hæc nos in animæ deliquio reficient, ut Cant. 2. v. 5. Pro his coronam dabit Sponſus.

- - Deus ſua dona coronat!
Pro Pomo accepit Regni Theodora coronam;
Sic fidei ſervat qui bene depoſitum.

Soli Deo Gloria! Philip. 1. v. 11. *Tibi ſoli!*

Quæ mihi donâſti Tibi ſoli, Sponſe, reſervo
Poma: nec hoc alius debet honore frui,

Ita ille nos ardenter amat, ut rivalem pati non poſſit. Eſt enim *Deus zelotes!* Sic *Pomum à Theodoſio Juniore conjugi Eudocia donatum*, cum illa Paulino miſiſſet; in causâ fuit, ut hic inſons occideretur, & illa in odium mariti incurreret: quare inviſam ſe cernens, acceptâ abeundi facultate, Hieroſolymam profecta, imperio ſe exuit. Zonaras, Tom. 3. Annal. in Theodoſio Juniore.

10. Sunt igitur Poma quoque 3. *Symbolum Fructuum*

ctuum Fidei & juſtitiæ: in fide ſunt vetera; in juſtitiâ ſemper nova: hæc profertunt arbores pomiferæ plantatæ Dei manu, Gen. 1. v. 11. & 2. v. 9. non quidem ſtatim perfecta, eſuique idonea; unde *Lex de auferendo arborum pomiferarum præputio*, Levit. 19. v. 23. nam labes originaria ſemper adhærens facit, ut & omnes juſtitiæ noſtræ, dum vivimus, immundæ ſint, Hebr. 12. v. 1. Eſ. 64. v. 6. quare cor ſemper circumcidendum, deponendumque hoc quaſi præputium eſt, Jer. 4. v. 4. tamen Deo grata ſunt, per manus Sacerdotis Unici oblata & conſecrata, 1. Pet. 2. v. 5. Venietque tandem Tempus, quo colligere liceat, fruique ſine fine, Eſ. 3. v. 10. vide Lev. l. cit. v. 24. 25. Tales *arbores vetat exſcindi Deus*, Deut. 20. v. 20. ſterilibus aut damnatos ferentibus fructus ſecuris imminet, jam ad radices poſita, Matth. 3. & 7. &c. *Locus*, ubi talia naſcantur, non eſt *Deſertum*, Num. 20. v. 5. Sed *Terra Sancta*, Nehem. 9. v. 25. irrigata Torrente Aquæ vitalis, Ezech. 47. v. 12. plena tamen conſummataque perfectio erit in plateis cœleſtis Hieroſolymæ, Apocal. 22. v. 2. *Agricola*, qui conſerit & plantat, Deus eſt, Johan. 15. v. 1. *συνεργοὶ* ejus Miniſtri, 1. Corinth. 3. v. 9. qui & *cuſtodes*, cum Chriſtianis Magiſtratibus, Eſ. 49. v. 23. Cant. 1. v. 6. ita à furibus tuta ſervantur, quamlibet afflicta Eccleſia eò redigatur, ut tuguriolo fiat ſimilis ad cuſtodiam Pomorum, Pſalm. 79. v. 1. Eſ. 1. v. 8. *nam quamdiu vinea uvarum plena eſt, poni ſolent cuſtodes in umbraculis: In cucumerario quoque, quod Lxx. pomorum cuſtodiam vocant, parvulæ fiunt caſulæ, propter ardorem ſolis, ad radios declinandos: & indè*

*idè vel homines vel beſtiolas, quæ natis frugibus inſi-
iari ſolent, abigunt*, Hieronymus in Eſaiam. At-
ue hæc ſunt poma illa, *in Portis* domus DEI,
bi cœtus & conventus celebrantur, publicè pen-
entia, Cant. 7. v. 13. Proverb. 1. v. 21. &. 8. v. 3.
ſalm. 9. v. 15. Matth. 5. v. 15. ad quæ comeden-
a invitatur Sponſus, Cant. 5. v. 1. de quo loco
ixi in Parallelis Evang. Dom. Sexageſimæ, quæ
uc omnia ſpectant. Videt Lector, quæ dicendo-
um hic ſit copia. Sed nos ſpatiis excludimur in-
quis.

11. Hæc ergò Poma ſervemus Deo noſtro: non
rit illi gratius ſacrificium. Sic *Herculi* μῆλα *poma
ro ovibus apud Bœotios oblata*, bacillis ſuffixis, &
ornibus quaſi impoſitis, in ovium formam effi-
ta, ut refert Pollux l. 1. Onomaſt. cap. 1. num. 37.
Quomodò *Locri Epizephyrii* in fame *pro bove Cucu-
merem immolarunt*, unde Proverbium; *Bos Locro-
rum*. Hæc donemus, ut *Miſes ille grande Ma-
lum Punicum R. Artaxerxi*, curâ, ſtudioque noſtro,
ncremento felici aucta, adſpirante & cooperante
gratiâ, Ælianus 1. variar. cap. 33. Plutarch. in Ar-
axerxe & Apophtheg. Regum. Hæc teneamus,
ed fortiori animo, quam *Milo Crotoniates, cui ma-
lum manu tenenti, nulla unquàm virium fortitudo
abſtraxit*, Ammian. Marcell. l. 30. Hiſtor. Amaſia
tamen nullo negotio extorſit Ælian. 2. Vari. c. 24.
Separemus itaque cadiva, ne contagio noceant in-
columibus malis: & *ut in paleis, aut milio tutò poma
ſervantur*; ſic hæc noſtra in humilitate & mode-
ſtiâ, vide Plin. l. 15. cap. 16. & 17. undè plura huc
referri poſſunt. Sic etiam *acerbiora miteſcent*, ut

Accius

Accius de ſuis ſcriptis dixit ad Pacuvium, apu[d] A. Gellium l. 13. cap. 2. *Cum tempore meliora.*

Ingenium melius fit tempore: Sic & acerbum
Dulceſcit pomum mitificante die.

Itaque *humilitas virtutum cuſtos* rectè dicitur.

Poma velut milio, paleisve recondita durant,
Sic Virtus humili corde repoſta manet.

12. Petrinent huc & alia *remedia contra arbo[rum] pomi ferarum fructuumque morbos & vitia.* *Vermiculationem* nulla frequentiùs arbor ſent[it] quàm Malus, & poma quoque non raro. Ind[e] *cadiva* fiunt, etiam ante maturitatem, & pereunt quod & Punicis accidit, floribusque ipſis, ut nimi[o] rore, aut pruinis labantur, ut Porta pluribus do[cet] lib. 4. cap. 12. & 13. meminit etiam Ambro[ſius] Hexaëm. l. 3. c. 13. *Omnia*, ut ait Auguſtinus *habent Vermem ſuum!* Virtutum vermis ſuperbi[a] eſt illa Phariſaica, Luc. 18. v. 9. nec aliundè fre[quentior] lapſus, & interitus. Exemplo eſt Pha[riſæus] ille ibidem, cui accidit, *quod Gallinis, qu[æ] mox ut ova pepererunt, clamore ſuo dominos exci[tant], qui ova edita illis auferant*, ut apud Auguſti[num] Pſalm. 102. *Superbia præcedit ruinam*, Prov. 11. v. 2. de quo multa dixi in Analect. Rhetor. l. 2. cap. 1.

Vermiculans velut ante diem cadit arbore Pomum
Sic Virtus ipſo in flore ſuperba perit.

Ergò in rectè factis cavenda gloriatio eſt. *Ne qui[s] glorietur.*

Quæ peperit gallina, ſuis clamoribus ova
Perdit; ſic fructum corda ſuperba ſuum.

Remedium eſt emuſcatio arborum, ut muſco liberen-

tur

, in quo nidulari ſolent iſtæ peſtes, Columella. *Si*
luca ſunt poma fiſſæ radici lapis injectus retinebit,
ladius. Caudex arboris cum floret *circulo plum-*
includendus eſt, aut involvendus *anguis exu-*
, Mala Punica ne rumpantur in arbore, remedio
t lapides tres, ſi cùm ſeres arborem, ad radicem col-
averis. Africanus in excavatos ſcrobes, cùm pan-
entur, ſilices ingerebat, Idem & Columella, &c.
, ut amygdalus pro amaris dulces fructus ferat, tere-
tur radix, clavusque inſeritur è piceâ arbore, quam
eci πεύκην vocant, Ambroſius l. cit. *Ergo*, inquit,
gricultura convertit ſtirpium qualitates, nonne
dia doctrinæ, & diſciplinæ attentio mitigare poſſunt
uslibet ægritudines paſſionum? Quo & pertinet,
od Punicas malos non ſinunt altiùs excreſcere
nosque inflectunt, ne ſubrecti infeſtum humorem
ipiant, & retineant; ſic Cytinos retinent ne la-
ntur, Theophraſtus & Plinius. Quæ omnia pul-
errimè curæ culturæque animorum reſpondent.
tim à teneris injiciendi ſunt *ſcrupuli, & ſilices*,
os in Perâ ſuâ recondidit David. 1. Sam. 17. v.
. tunc etiam cùm florere incipiunt, *circulo plum-*
arctioris diſciplinæ *coërcendi* Epheſ. 6. v. 4. & ſi
iùs ſurgant, *rami deprimendi*, Sir. 30. v. 12. De-
que ſemper *emuſcandi* ſunt, ſcopus pœnitentiæ,
per quotidianam renovationem, quæ per *anguis*
ectam ſignificatur, Eph. 4. v. 24. Luc. 15. v. 8.
avus timoris Dei adigendus in cordis radicem, ex
â omnia procedunt opera; quod fit memoriâ
ortis, quam *Picea* denotat. Sir. 7. v. ult. Eccl. 12.
11. Pſal. 118. v. 120. ex verſione Vulgatâ. Ha-
s hic, quot verba, tot emblemata.

13. Sunt etiam Poma 4. *Caduca hujus mundi bo*
na, guſtu ſuavia ; appetitu deſiderabilia ; viſi
pulchra: ſed vermiculoſa, caduca, noxia. Ita d
Româ Apoc. 18. v. 14. ἡ ὀπώρα τῆς ἐπιθυμίας τῆ
ψυχῆς σου ἀπῆλθεν ἀπὸ σοῦ *Autumnus ille deſiderii a*
nimæ tuæ receſſit à te. Vulgatus habet, *Poma.* Re
ctè : nam autumnus pro fructibus autumnalibu
ponitur, ut Amos. 8. v. 1. *Kaiz æſtas*, pro æſtivi
Sic Martialis : *Nec in falerno monte major autumnu*
De ſenſu literali Corn. à Lap. *Inter alias Romæ de*
licias numerat poma deſiderii, id eſt, deſiderabilia
quia Italia & Roma pomis aureis, Limonibus, Malo
granatis, Perſicis, Citriis, aliisque abundat, ita ut ho
ti hiſce conſiti referant Paradiſum terreſtrem, &c.
Myſticè, ut apud Cœlium Pannonium h. l. *pom*
hæc ſignificant carnalem voluptatem, & vilia quæqu
quæ ſeculi hujus amatores anteferunt bonis Spiritua
libus, magnis, pretioſis, æternis, nec cum mundo arſu
ris : ſimiles pueris inſipientibus, qui poma pluris fa
ciunt quàm gemmas. Hæc ſunt illa poma quibu
amatores allicit Mundus. Sic *malo Galathea*, &
Clearista petunt apud Virgil. & Theocrit. undè μη
λοβολεῖν τὸ εἰς Ἀφροδίσια δελεάζειν, Scholiaſt. Ari
ſtophanis, vide Lipſii Antiq. Lection. & Mylium i
Malis. Sic Acontii.

Litera Cydippen Pomo perlata fefellit.

Et Atalantam - *malo Schœneida vicit Hippomene*
Notæ ſunt fabulæ ; meminit Alciatus Emblem
190. *Venus apud Sicyonios alterâ manu malum, alter*
caput papaveris ; illud propter amoris jucundita
tem , hoc propter ſeminum copiam , *geſtaba*
Multa de his malis Pierius Valerianus l. 54. Hic

ro

glyph. Etiam apud Germanos *Syeba Dea*, mani-
s poſt tergum reductis, *altera malum gerebat, al-*
â uvam cum pampinis, apud Helmoldum. l. 1.
). 54. Et *Bacchus*, ut dixi, *malis coronabatur*, uti
neris armiger. Sed ut *malus* arborum omnium
rrime ſeneſcit, quæque dulcia fert poma vitæ bre-
ris eſt, ut apud Plinium, & Mala quæ inſigniter
ent, ac oculis blandiuntur, vix vermiculis ca-
t: ita eſt voluptas. Hæc ſunt *Ægyptia poma*,
e locuſtæ devorant, Exod. 10. v. 15. *Pomum*
dos, litium & diſcordiæ omnis ſeminium. Sic
rſes Longobardos, ex Pannonia in fertiles Italiæ
npos, miſſis ex eâ lectiſſimis pomis, invitavit,
al. Diaconus lib. 1. cap. 5. *Ariſtolochiam Latini*
lum Terræ: Piſcatores Campaniæ radicem ejus,
e rotunda eſt, venenum Terræ vocant: contuſam
niſtâ calce cùm in mari ſpargunt, advolant piſces
iditate mirâ, ſtatimque exanimati fluitant, Pli-
s lib. 25. cap. 8. Sic *Fenella ſtatuam mira arte*
i curavit, in cujus manu pomum erat aureum
rmis refertum; quod quicunque attigiſſet, illicò
ulis ex eo proſilientibus configebatur: ita fraude
ctum Regem Scotorum Kemethum, quod Fe-
læ filium & affinem interfeciſſet, occidit, Cauſ-
us Polyhiſtor. l. 11. cap. 5. *Pompejus Tertio Tri-*
pho, quem de Piratis, Aſia, & Ponto egit, inter alia
nſtulit montem aureum quadratum, cum cervis &
nibus, pomiſque omnis generis, circumdatâ vite
reâ Plin. 37. cap. 2. Talem olim Triumphum
turus eſt Dominus de Româ, ut indicat ipſe Cor-
l. à Lap.

14. Et ut 5. Cœleſtis ſponſus Cant. 7. v. 8. l. c.

ſuam propter oris ſuaveolentiam; ſic Wolffga
gus Crellius in Pomo Nuptiali, eleganti carmin
omnem *ſponſam Pomo comparat*, benè à bon
natam, probè educatam, ætate nubili maturan
moribus honeſtis ornatam, maritali thoro comm
dam, cum ſtudio lectam, ac cum curâ ſervanda
Vide apud Mylium. Sic Venus Sicyonia indic
bat, quæ ſit - *Dos optima nuptæ?*

Uxor, ut in Veneris manibus Pomum atque P
paver.
Sit jucunda Viro, ſitque benigna thoro.

His adde 1. *Mala Citria*, aurea à colore, à Pat
dicta Medica. Ea Tellus in honorem Jovis & J
nonis, quo tempore nuptias celebrabant, edidi
fingitur: Juno, ne quandò malâ manu carpere
tur, cuſtodem appoſuiſſe Draconem, Hygin
in Aſtronom. Poët. de Serpente, Aliter fabula
narrat Ovidius: Themis prædixerat, fore ut a
quis Jove natus ex Heſperidum hortis auferret a
rea mala:

Id metuens ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Montibus, & vaſto dederat ſervanda Draconi,
Arcebatque ſuis externos fructibus omnes.

Hoc eſt, quod Parentes monet Siracides, c. 26.
13. *opus huic cuſtodia firma.*

Aurea pervigili dat Atlas ſervanda Draconi
Poma: Parens, natam fac tueare tuam.

2. Sunt autem eadem χρύσεα μῆλα, quæ
Ἑσπερικὰ, Μηδικὰ, Περσικὰ dicuntur, ut pluribu
probat Porta l. 5. c. 5. Talibus jucundos, ſalutar
& *Tempeſtivos ſermones* comparavit Salomon. ta

unq

ique fragrantiam ſpirare os ſponſæ dixit, ll.
. Hoc eſt *Felix* illud *malum*, Virgilii 2. Geor-
:. quod - *membris agit atra venena.* Quin &, ut
dit,

- - animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

: Theophraſtus dixit χρήσιμον πρὸς στόματος
δίαν, & Plinius: *Parthorum ora fœtere; Sed Pro-*
res mederi ſibi grano Aſſyrii mali, in eſculenta addi-
lib. 11. c. 53. -*ſpurcum nihil exeat ore*, ait Apo-
lus, Epheſ. 4. v. 29.

Medica manſa animæ fætori poma medentur:
Sic & honeſta loquens os bene ſemper olet.

alum Medicum, Citrium, 3. hieroglyphicum
S. Eucbariſtiæ, ut Volum. 2. S. Analector. p.
.8. alexipharmacum contra venena. Virtus
mi hujus patuit apud Ægyptum, cum dam-
ti, ut ſerpentibus objicerentur devorandi, à
iuponâ acceptum prægustâſſent, Athenæus
. 3. Sic cùm Clearchus Heracleotarum Ty-
nnus, per amoris ſpeciem, cicutæ poculo
ultos interfeciſſet, rutâ præmansâ alii vitæ ſa-
tique ſuæ caverunt, ex Theopompo ibid. *non*
præſentius ullum Auxilium, ut dicam cum Vir-
io:

Ut colubri fugiant, nequeantque nocere Tyranni!
Accipe de mensâ Medica poma Sacrâ.

lim quidem propter - - *triſtes ſuccos tardumque*
porem, in cibum non venerant, nec dùm ætate
heophraſti; ſed tantùm odoris gratia veſtiariis
terjecta à tinearum offenſis vindicabant, ex eo
inius. Sic, ut ait S. Cyprianus, vel quicunque

 eſt,

eſt, ſerm. de Cœnâ, *Nova eſt hujus Sacramenti d*
ctrina. Abhorret ſtulta ratio; ſed fides myſteriu
adorat, Joh. 6. v. 60. Chriſtus nos edere juſſit ca
nem hujus Pomi, & bibere ſanguinem. Hinc fr
grantia oris noſtri in precibus & gratiarum acti
ne: ſic Veſtis juſtitiæ tuta eſt à tinearum offenſ
Eſt enim *antidotum mortis, & Pharmacum immo*
talitatis, &c.

15. Varia ſunt genera Medicorum maloru
præter *Citria*, dicta *Limonia*, *Aurantia*, quæ Græ
recentioribus *Nerantia*, & præ cæteris magnitu
ne ac pulchritudine præſtans: ſed ſapore inferiu
minusque gratum palato, quod *Adami Pomum* v
catur: *apparent enim in cortice exteriori fiſſuræ, p*
rindè ac ſi dentibus admorſus eſſet, Matthiolus. D
cam de Arbore vetitâ ſuo loco. Malum fuiſſe
Cant. 8. l. cit. colligunt. - *Manent ſceleris monume*
ta vetuſti!

Dentibus admorſum cur pomum apparet Adami:
Neu cadat ex animo mortis origo tuo.

Pulchrè Irenæus: *Eccleſiam eſſe velut Paradiſum:*
omni ejus ligno eſſe manducandum, id eſt, *de om*
Scripturâ Dominicâ: Hæreticorum, qui gloriantur
habere notitiam boni & mali, mala *mala eſſe cave*
da, ne projiciamur de Paradiſo vitæ, lib. 5. c. 17. H
eſt quod dixit Dominus: *à fructibus eorum cogn*
ſcetis eos, Matth. 7. v. 16.


Quid triſtes ſuccos de Pomo quæris Adami?
Hæc pete, Scripturæ quæ Paradiſus habet.

16. In Malorum pomorumque cenſum veniu
quoque *Cydonia*, & *Perſica*, & *Armeniaca*, oſſe
incluſo nucleo; qualem pruna quoque habent,

Cer



p. 422.



CITRUS.



MALUS AURANTIA.

p·422. p.422.

3



MALUS LEMONEA.

raſa; quæque eo carent Pyra, Meſpila, Sorba, id genus alia. De his multa dicere nihil attinet, m in S. Literis non ſit expreſſa mentio. Poſſis nen, quod *de fragrantiâ oris* Sponſæ ſuæ dicit onſus Cant. 7. l. c. ad Cydonia referre, volu- ite & ſalubritate malis cæteris prælata. Et ſunt , quæ variâ appellatione naturæque differentiâ, *ryſomelæ*, *Struthia*, à Patriâ *Cydonia*, & Coto- a dicuntur; Conjugis, non tantùm oris gra- jucundæ, verùm etiam pudicæ hieroglyphi- m. Hinc Solonis præceptum, apud Plutarch. Connubial. ne priùs Sponſa cum Sponſo con- nberet, niſi guſtato hoc malo: - *Sermonum gra- major!*

Sponſa priùs, guſtet Saturata Cydonia melle;
Gratia jucundo major ab ore venit.

ea caſta, ut - *uni placitura marito.* Nam ut Pala- s;

Cùm præſtet cunctis ſe fulva Cydonia pomis,
Alterius nullo creditur hoſpitio.

c eſt; cùm per inſitionem omnibus promiferis præbeat; ſola nulli alii arbori inſeri poteſt. Pu- a, quemcunque Deus dederit, maritum recipit: a nulli alteri ſe fert inſeri. *Democritus* docuit, donia exprimere ad quamlibet animalium effi- m, ſic ut clauſa exſculptis, quorumlibet imagi- formulis adoleſcant. *Qualis vir, talis uxor! lomo ſuâ Dominus quaſi corporis ſui caput eſt, & a ejus cunctis, quaſi norma vivendi,* Salvianus 7. Gubern. Dei.

Moribus ut proba ſit conjux, probus eſto maritus:
Namque viri formam ducit ab effigie.

Facit huc quod habet Serenus Poëta-Medicus, ſub nomine Macri, l. 2. c. 23.

Languida ſi duro turgent præcordia morbo;
Quæ poma Cydon Cretæis miſit ab oris.
Cocta tres, durum ut poſſis mollire tumorem.

Emplaſtrum optimum ſæpè caſta uxor eſt; contra pravos mariti mores, cordisque tumores. Sic quoque

- - Viri adjutorium.
Quæ Cretæ dat pomæ Cydon præcordia ſanant:
Caſta ſui conjux ſæpè medela viri eſt.

Taceo, ut alia, plurima, Cydonia obſcœno ſenſu accipi, ut in illo:

Ipſe ego cana legam tenerâ lanugine mala.

Indè videtur joco dictum: *Si prægnantes hæ poma crebriùs eſitaverint, parituras eſſe induſtrios & ingenioſos infantes.* Sed - *poma nocent capiti.* Quare tempus eſt, ut amoveamus.

CAPUT XXXIV.

De Theenâ, Ficu.

1. FUiſſe Ficum inter præſtantiſſimas Judææ arbores, indè conſtat, quod *Exploratores* etiam *de ficubus terræ,* aliquid in caſtra attulerint, Num. 13. v. 24. Hoc eſt munus Apoſtolicum, explorare & perſcrutari S. literas, ac myſteria Regni cœlorum, Matth. 13. v. 11. Joh. 5. v. 39. atque indè uno quaſi humero, *in phalangâ, referre* ad Populum Dei, *uvam* admirabilem Chriſtum, Johan. 15. v. 1. Gen. 49. v. 11. *cum malis granatis,* Doctrinâ ſcil. de Eccle-



FICUS INDICA SPINOSA.

cleſiæ Unitate, Epheſ. 4. v. 3. 4. *ac ficu* dulciſſi-
rum conſolationum Evangelicarum, Pſalm. 19.
11. Rom. 15. v. 4. ſic ferè Rabanus & Rupertus,
ex iis Pelargus in Num. h. l. ubi hæc Tria inveni-
tur, *Gloria Chriſti, ædificatio Eccleſiæ & conſolatio
Sancti*, juxta Verbum Dei; ibi conſtat eſſe di-
itùs inſtitutum Verbi Miniſterium. Atque a-
ò hæ ſunt, divinitùs patefactæ, *Veræ religionis
tæ.*

Qui Botrum & ficus & punica mala reportant,
Exploratores credimus eſſe DEI.

Terra Promiſſa laudatur, quod ſit *Terra fru-
nti ac hordei, & vinearum; in quâ ficus, & malo-
nata; terra olei olivarum & mellis*, Deuter. 8.
rſ. 8. ubi myſticè, pari ratione, vera ac propria
cleſiæ bona indicantur, vide D. Pelargum omni-
h. l. Hæc omnia in deſerto Mundi hujus abſunt,
Num. 20. verſ. 5. Divinâ benedictione fœcun-
nte, *ficus & vitis, malum Punicum & olea*, fructus
unt, Hagg. 2. v. 20. & Joël 2. v. 22.

2. Itaque inter graviſſimas calamitates eſt, ſi vel
llo, vel ſolis æſtu, vel grandine, vel per locuſtas
inſecta, iſta bona auferantur: *ſi comedant hoſtes
um & vineam*, Jerem. 5. v. 17. ut *nec uva in vite,
c ficus in ficulneâ, imò ne folium quidem ſuperſit*,
8. v. 13. *ſi devaſtet Deus ipſe vineam & ficum*, ut
gratos ulciſcatur, qui beneficiorum horum ipſum
utorem nolunt agnoſcere, Oſe. 2. v. 12. Si *locuſtæ
erucæ devorent vineta & ficeta* Joël. 1. v. 7. Amos
verſ. 9. Si nimio ſolis æſtu exareſcant, ac quaſi
ubeſcant Vitis & ficus, Joël. 1. v. 12. Si *grandine,
it igne cœleſti percutiantur*, Pſalm. 105. v. 32. ut

 neque

neque floreat ficus, neque fructus ferat vitis, ac ſper. fallat olea, Habac. 3. v. 17. Quæ Tria his ferè loci conjunguntur, ac myſticè ſignificant *Sacramenta, Verbum Dei, & unctionem gratiæ Sp. Sancti:* qu: bona ſubtrahit Deus vel per hoſtes & Tyrannos perſecutores Eccleſiæ; vel per locuſtas hæreticos aut erucas hypocritas, falſosque fratres: vel vi majori, grandine ac igne iræ divinæ.

3. Partes ſunt, 1. *Cortex,* quem deglubere di cuntur locuſtæ, Joël. 1. verſ. 7. *Heu mihi! in tan tum cuncta depopulantur, ut & arborum derodan cortices, exutasque projiciant, & omni virore con ſumpto, albos ramos aridosque relinquant,* Hie ronym. in fontibus tamen eſt; *poſuit Ficum Lil zaphàh, in ſpumam:* id eſt, adeò decorticavit ut humor omnis ebulliens in ſpumam, fungo & tubercula, concreſcat; quod arboris emo rientis vitium ac indicium eſt, Plin. 17. cap. 24 vide comment. meum in Joël. Deinde 2. *Folium* quod habet *maximum umbroſiſſimumque* Plin. Ind *perizomata* protoplaſtorum. Gen. 3. v. 7. de qui bus multa dixi in Volum. 1. S. Analect. pag. 259 & 353. primæ *veſtes è foliis arborum* conſutis, u apud Barbaras quasdam gentes hodiè etiamnum æquè ac ex libro aut cortice, aviumque plumis Seneca Epiſt. 90. Plin. l. 12. Procem. Porta l. 1. Vil læ cap. 1. ſub fin. Arbor primos homines veſte ju ſtitiæ exuit, miſeriæ induit, ut innuit Alcimus Av tus in S. Analect. l. cit. Ambroſius de Paradiſo c. 1 *Juſtus fructum eligit, peccator folia.* Dicunt, non fa ciunt! At Chriſtianiſmus non conſiſtit in verbis, ſe in factis.

Fru

Fructibus amiſſis, foliis ſe veſtit Adamus:
Qui ſapit, omiſſis poma tegit foliis.

uicunque prævaricatur mandatum DEI, ſpoliatur ue nudatur, & fit ipſe ſibi turpis: Vult ſe operire ibusdam ficûs foliis, fortaſsè quibusdam inutilibus lumbratilibus ſermonibus, quos compoſitis menda- s aſſuens, ad operiendam conſcientiam, factique lamen peccator intexit, ut pudenda ſua contegat, em Ambroſ. l. c. *Deus tegat vulnera, non tu: nam u tegere volueris erubeſcens, Medicus non curabit,* uguſtin. in Pſalm. 32. Inde Sedulius:

Quid juvat abſcondi? quoniam ſua crimina nutrit,
Qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti.

ui ſe excuſat, Deo accuſat, Salvian. *Si agnoſcis, eus ignoſcit* Auguſtin.

Conſutis ficûs foliis prætexere culpas
Fruſtrà: ſi retegas, contegit ipſe Deus.

ddo aliud ex Gregorii M. 8. Moral. cap. 30. *ens*, inquit, *quæ per jactantiam proditur, decorti- ata rectè ficus dicitur.* Oſtende mihi fidem tuam! acob. 2. v. 18. Vide Alciati Embl. 127. & ibi Cl. Minöem.

Dente locuſtarum nudata exſuccaque ficus:
In vano ſterilem denotat ore fidem.

4. Abjiciunt ficus non folia tantùm arida, ſed & fructus. Hinc Eſaias: *Omnis Cælorum Exerci- us decidet, ſicut folium defluit de vite, & ſicut deci- dum* נבלת *Nebéloth*, ὡς φύλλα LXX. alii de cadivis fructibus accipiunt, *de ficu*, c. 34. v. 4. Ex quo, aliiſque ſimilibus, rectè colligitur; mundum univerſum: Cœlumque ipſum cum ſideribus, non tantùm acciden-

accidentaliter eſſe mutanda, ſed ſubſtantialit
innovanda; quod agnoſcit h. l. Cornel. à La
magisque hac in re Chriſto affirmanti, quàm Ariſt
teli neganti, eſſe aſſentiendum, ut ait Chryſoſtomu
Sic Apocal. 6. v. 13. dicitur: *aſtra cœli caſura e*
in terram, quemadmodùm ficus abjicit τὰς ὀλύνθ
αὐτῆς, *groſſos ſuos, magno agitata vento.* Id i
Conſummatione ſeculi eventurum, non dub
tandum; etſi modum fortè aſſequi ratione n
queamus, docet D. Cluverus ibid. Rectè dictu
eſt: *Conſtat, æterna poſitumque lege eſt, ut conſt*
genitum nihil. Omnia prætereunt! *præter ama*
DEUM.

Si vel ab axe ruent, ceu groſſi, ſidera cœli;
Inſanum eſt mundi fidere velle bonis.

Parallelum eſt illud Nah. 3. v. 12. *omnes munitio*
nes, ut ficus cum primitivis, groſſis Vulg. zeitige Fe
gen/ Lxx. habent καρποὺς, vel ὀλύνθους: *Si comm*
tæ concuſſæque *fuerint, cadent in os devorare c*
pientis. De ficubus primitivis, *Biccurim* dictis
mox. Comparantur his propugnacula, quibus Ni
neve ſuperbiebat, ut ficus arbor ſuis fructibus ma
turis, & quidem præcocibus: hi enim, ut mox, de
licatiores gratioresque habentur, ac citiſſimè pere
unt. Τὰ πέπειρα τῶν συκῶν vocat Cyrillus; & qui
pro καρποὺς legit σκοποὺς, *ſpeculatores ac defenſore*
munitionem intelligit, qui oppugnantium telis ma
chinisque petiti, in terram ſternantur. *Sic*, In
quit, *omnis anima ſupernis deſtituta præſidiis*, εὐχε
ρὴς καὶ εὐάλωτος, *ut citra ſudorem capi poſſit à d*
vorante Satana: Scriptum enim; τὰ βρώματα αὐτ
ἐκλεκτά. Nullo ille cibo libentiùs veſcitur, quàn
electi

to, optimo, præſtantiſſimo, *Satanas ecce ex-*
pit vos! Luc. 22. v. 31.

t Lupus eſuriens inhiat prædam; ut gula ficus;
Sic Satanas animam, ſtet niſi firma fide.

Cicero: *diligentiùs urbem religione, quàm mœni-*
cingendam eſſe monet, 3. de Nat. Deor. - *Domi-*
Turris fortiſſima, Nomen!

Quid muri, & turres, & propugnacula? Ficus,
Quæ fluat in cupidam ſpontè cadiva gulam.

. Pars itaque 3. præcipua *fructus* eſt: *flore* pro-
nullo. *Ficus flores non habet; ſed pro floribus*
ſſos mittit, tempore quo cæteræ arbores florent. Et
modò flores apparent & tranſeunt, ad nihil utiles,
quod ſecuturi fructus quidam prænuncii ſunt;
& groſſi oriuntur, ſed immaturi cadunt, & dant
um maturandis, ipſi minimè habiles ad veſcen-
n, Bernhard. ſerm. 60. in Cant. *Flores ficus fru-*
ſunt, ut ait Plinius l. 16. cap. 25. *Sic,* inquit, *&*
ninum multis fortuna ſine flore eſt: ſed ea quo-
plerumque ut ficus, *fructus eſt abortivus,* qui
unquàm matureſcat, uti ibid. *Quod citò fit,*
perit!

Quæ ſine flore venit Fortuna, frequenter abortat:
Antevenit flores groſſus, abitque cito.

Quare quod Habac. 3. v. 17. dicitur: *non florebit fi-*
; id Lxx. rectè exponunt: ὀ μὴ προσδῶ τὸν καρ-
, vel ὀ καρποφορήσει. Eſt tamen *Indica* quædam
us, & ab Indis quoque *Thune* ex Hebræo *Theena,*
cta; quæ folio in terram depacta, radices agit me-
que foliis, ſine caudice aut ramis, conſtat, flores-
e præmittit fructibus: miraculi causâ in hortis
apud

apud nos viſitur, de quâ Matthiolus & Dodonæus. Fertur fructus noſtris non abſimilis, adeò plenus eſſe ſucco ſanguineo, ut & manus tingat, inſtar mori: eſu tamen inſalubri, urinam veſcentium reddere ſanguineam. Sic homo eſt, crudelis & ſævâ naturâ inprimis, *lutum ſanguine maceratum*,

Et folio radix, flos, fructus ſanguine plenus,
Si rogites quid ſit? Sanguinolentus homo eſt.

Eſt homo *folium* merum, Eſa. 64. v. 6. *radix* in terrâ: undè provenit, ut blitum, Gen. 3. v. 19. *Spinæ*, ut in ficu illâ foliosâ, pungentes curæ & ærumnæ Sir. 41. v. 1. *flos* caducus, vita Job. 14. v. 2. *fructus*, è naturâ pravâ, pleni ſanguinibus, Pſalm. 51. v. 15. Eſa. 1. v. 15. quibus omnia cogitata, dicta, facta, omneſque animæ & corporis vires ac facultates inficiuntur, Tit. 1. v. 15.

6. Sunt autem in ficu *triplices fructus*. 1. *Paggim*, ὄλυνθοι, groſſi Cant. 2. v. 13. dicti vel à *Pug*, defecit, ceſſavit: vel à *Pagàg*, undè Arabicum *Pagi* crudus, immaturus, quod de omni acerbo & non excocto fructu uſurpatur. Hinc *Bethphage* in Evangelicâ hiſtoriâ, quaſi *domus groſſorum*. *Cypria ficus fructus quaternos fundit, toties & germinat. Sed groſſus ejus non matureſcit, niſi inciſurâ emiſſo lacte*, Plin. l. 13. c. 7. *Lacteus ille ſuccus coaguli more lac concretum diſſolvit, corpora exulcerat, lepras & alia cutis vitia emendat, inſtillatus plagæ percuſſis à ſcorpione, venenatorum ictibus, & rabioſi canis morſibus auxiliatur*, Dioſcorid. l. 1. cap. 145. *Aceti naturam habet, lac coaguli modo contrahit, cum axungiâ verrucas tollit, quod & crudæ groſſi faciunt*, &c. Plin. l. 23. c. 7.

rgò ut groſſi *Judæos* ſignificant; ſic Lac illud *Do-rinam Legis.* Sequitur matura ficus Evangelii, de ıâ mox. *Noviſſimæ ficus ſalubriores quàm primæ,* ḟin. l. cit. quare *qui ſeram ficum facere volunt, groſ-ılos; prioremve fructum decutiunt; iterùm alterum ıdet, quem in hiemem differet,* Columella l. 5. cap. 9. ic decuſſis Judæis & rejectis, ſuccrevit Eccleſia Gentibus, Rom. 11. v. 11. 15. *Judæorum abjectio, ·entium electio.*

Excutitur groſſus Judæa, noviſſima ficus
Ut creſcens fructu ſe meliore probet.

7. Fructus ficus alteri 2. dicuntur *Biccurim*, Nahum. 3. v. 12. & in fœmin. ficus *Habbaccüroth*, erem. 24. v. 2. & in ſingul. *Biccuràh bitheenàh pri-nitivum in ficu*, Hoſeæ. 9. v. 10. Mich. 7. v. 1. ubi LXX. τὰ πρωτόγονα. apud Hoſeam l. c. σῦκον ἐν συκῇ πρώϊμον, ut & apud Jer. Romanis *præcoces*. Athenis *Prodromi*, autore Plinio: etiam *Protericæ*, quaſi priores. Gratas palato fuiſſe, pluriſque æſtimatas, ex citatis ll. apparet; dixi in Volum. 1. S. Analect. p. 160. Superſunt, 3. Autumnales, & quæ ſub hie-nem maturantur, quas *noviſſimas* dixit Plinius; ὄψιμοι, τὰ πέπειρα τῶν συκῶν, *feræ* Columellæ, He-bræis nomine abſoluto *Thenim* Jer. 8. v. 13. Radix in obſcuro, *Thaanah* ab *Anah*, impulſionem & de-ceptionem: *Theunah* ab און *On*, dolorem ſignifi-cat: poſſiſque ficum dicere *Pomum deceptionis*, quod cauſa fuit vel occaſio peccati & mortis, do-lorumque omnium. Ex veteri perſuaſione, quod malum vetitum in Paradiſo fuerit Ficus, de quo Vo-lum. cit. S. Analect. p. 352. & ſuo loco. Inter bella-

ria

ria menſæ ſecundæ *Sicca* celebrantur, ſolebantque venum exponi Hieroſolymis, 1. Sam. 30. v. 12. & 2. cap. 25. v. 18. 1. Paralip. 12. v. 40. Nehem. 13. v. 15. Græci ἰσχάδες, Hebræis, *Debela eſt maſſa, ſive Palatha, pinguium caricarum, quas in modum laterum figurantes, ut diu illæſæ maneant, calcant, atque compingunt*, Hieronymus in Hoſe. 1. v. 3. Indè proverbium; *Gomera*, id eſt, conſumptio, *eſt filia Diblaim* duarum maſſarum caricarum; per quas corporis & animæ fœdæ Voluptates ſignificari poſſunt, Vatablus ex Hebræis ibid.

8. Gratam præbet ficus *umbram*, ſub eâque habitare ſolebant Iſraëlitæ in pace. Hinc Proverbium: *Habitare ſub vite & ficu ſuâ*, 1. Regum 4. v. 25. & 2. cap. 18. v. 31. *Comedere de vite & ficu ſuâ*, id eſt ſecurè habitare in pace, ac frui terræ bonis. Ita pax deſcribitur ſpiritualis in regno Meſſiæ, Mich. 4. v. 4. & Zach. 3. v. 10. *vocabit quisque proximum ſub vitem & ficum ſuam*, eodem ſenſu. Quemadmodùm hodiè vites pergulanæ ante ædes plantantur, ac ſedilia ſubdialia in plateis opacant, ut olim Romæ, & alibi; ſic in Judæâ olim. Ita vidit Dominus *Nathaneëlem ſub ficu* ſuâ, Johan. 1. v. 48. 50. Neque dubium eſt quin & in hortis & alibi pergulas habuerint, vitibus aut ficubus umbroſas, ſub quibus convivia agitare ſolebant. Hæ myſticè *ſignificant Eccleſias*, ut Cant. 2. v. 13. *ubi ſub umbra Chriſti ipſius ſecurè habitant fideles, bonisque cœleſtibus fruuntur*, Pſal. 27. v. 4. Sic in Zachar. l. cit. Cyrill. Eo vocat, proximum quisque ſuum, Eſai. 2. v. 4. ibi tam vitis, quàm ficus, in emptas dapes, potumque miniſtrant.

Sic

c de *Chia ficu* Martialis, qui in Setinis nata, ob vini
lisque ſaporem, præſtantiſſima habita:

Chia, ſenis ſimilis Baccho, quam Setia miſit,
Ipſa merum ſecum portat, & ipſa ſalem.

oſſis igitur pergulæ tali ficulneæ inſcribere - ***Deus***
obis hæc otia fecit!

Degere ſub ficu hac, & dulcia capere poma
Conceſſum nobis munere, Chriſte, tuo eſt.

ertinet huc *Ficus* illa *Indica*, cujus rami deorsùm
enduli, ubi terram attigerunt, radices agunt, ma-
emque numerosâ propagine in orbem ambiunt,
pere quodam topiario, admirabili: Sic arbor
na ſylvam facit, quæ umbraculo ſuo non tan-
ùm paſtores cum gregibus; verùm etiam exer-
tum tegere poſſit; deſcripſi è Plinio, & è Cluſio
 Acerrâ Philolog. l. 1. n. 80. 81. Meminerunt
ii plures veterum & recentiorum, ut nuper Man-
esloë in Itinerario Indico. Sic Eccleſiam ſub ima-
ine Vitis depinxit David, Pſal. 80. v. 9. 12. Cre-
it occulto velut arbor ævo! *donec totum occupet*
bem!

Indica ceu ficus numeroſis ſtirpibus orbem;
Sic Tua, Chriſte, ingens efficit una nemus.

9. Sunt & alia de Ficu in S. Literis proverbia,
iſtoriæ item, & Parabolæ. Sic Salomon Prov. 27.
. 18. *Servans ficum, comedet fructum ejus: ita ob-*
rvans Dominum ſuum, glorificabitur: Vulgatus
uſtos Domini ſui, &c. Servum fidelem comparat
am *Cuſtode ficus*, qui Hebræis *Nozer:* unde Deus
uſtos hominum Job. 7. v. 20. & animarum, Prov.
4. v. 12. Sic Job. 27. v. 18. mentio fit *Tugurioli*, aut
mbraculi, quod pro tempore facit Vineæ aut ficeti

 cuſtos;

cuſtos; cui domus divitis comparatur: ut ibidem texto aut telæ, quam tinea ſibi circumvolvit, aut blatta, aut texit aranea. עשׁ *Aſch* tamen propriè eſt inſectum illud, quod in veſtibus naſcitur, easque arrodit & corrumpit, Job. 13. v. 28. Eſ. 51. v. 8. Sic Deus promittit, ſe vineam ſuam cuſtoditurum noctes atque dies, Eſ. 27. v. 3. Eſt igitur in citato Proverbio, *Cuſtos* ſervus, *Ficus* Dominus, *fructus* honos. Divites fatui & luxurioſi ſimiles ſunt Ficubus in præruptis rupibus natis, quarum fructus corvi & graculi diripiunt, ut dixit Diogenes, vide Alciati Emblema 73. At boni Principes Patresve familiâs, ſunt ut ficus hortenſis, aut in vineâ. Hujus fructus hominibus ſervantur, & ideò cuſtos apponitur, hujus officium eſt noctu atque interdiu excubare, & arcere aves ac fures, cavereque ne quid detrimenti capiat Domini ficetum. Sic enim Principum opibus alii clam inſidiantur, alii palàm: *Grata avibus ficus, ſed eas plantare recuſant*, ut Græco dicitur adagio, vide Eraſm. Sed & ille nequam ſervus eſt, qui præcipuas devorat ipſe, hero deteriores relinquit, aut nullas; ut ille Æſopi conſervus apud Max. Planudem in vitæ princip. Furtivæ tales ficus dulces guſtu, ſed concoctu ſunt difficiles: ſæpè cum faſtidio revomendæ, quandoque ſtrangulant. Cadivas verò liberalis Dominus cuſtodi donat, & partem etiam fortè ex pacto. Nam *neque bovi trituranti os obligandum* eſt, & *digna eſt canis pabulo*. Sed & contra æſtum, parandum tali cuſtodi eſt tugurium. Denique fidelem in parvo expertus Dominus, ut Columellæ verbis dicam, *largitionibus proſequatur*

non

nunquàm menſæ ſuæ adhibeat, & aliis quoque ve- *honoribus dignari*, l. 11. c. 1. Sic cuſtodes ficuum ...rum remuneratur Dominus Dominorum, ...atth. 25. v. 23. Pſal. 36. v. 8. 9. Quæ apud Corn. ...ap. ad h. l. Proverbior. afferuntur, multa ſunt; ...l an appoſita? ad judicet, qui volet. *Principis boni* *...s* elegans erit *hieroglyphicum*. Habeat ille, *lac* ...dum, *fructum* dulcem; ſit ſeverus malis, bonis ...ivis & clemens: habeat *folium* aſperum, quo te-...ri poſſint lubricæ anguillæ, ut in proverbiis eſt. ...bifera, imo & trifera ficus: nec fructum pro-...ttat flore, ſed florem promat in fructu. *Mitte,* ...int, *non promitte*. Bis dabit, qui citò. *Gratia, quæ* *...da eſt, ingrata eſt gratia:* Magnoque emitur, ...od conſtat precibus.

Quas non promittit ficus, feſtina dat arbor:
Gratia cùm properat, gratia grata magis.

...enique illud huc maximè facit; quod *ſicca ficus &* *...nis hordeaceus*, inter vulgares cibos, recenſean-...r quibus cùm aliquandò, direpto commeatu, in ...gâ eſuriens, veſceretur Artaxerxes Mnemon, ...rſarum Rex; *Papæ*, inquit, *quàm magnæ voluptatis* *...ctenùs fui inexpertus*, apud Plutarch, in Apoph-...egm. Auguſtum Cæſarem *cibi fuiſſe minimi, atque* *...lgaris ferè*, ſcribit Suetonius cap. 76. *ſecunda-...um panem; & ficos virides, biferas maximè appe-...ſſe*. Is *Athletarum* quoque cibus fuit, apud Plini-...n; *militum*, ut teſtatur quoque S. hiſtoria, l. cit. 1. ...m. 25. & 30. ſed & *ſervorum*, ut ex Hipponacte ...nſtat, vel Ananio, apud Athenæum; qui affirma-...: eſſe τὰ σῦκα τοῦ χρυσοῦ κρείσσω *ficus auro præſtan-*

 tiores;

tiores; idque reapſe comperturum, ſi quis multum auri, paucasque domi ficus recondat, ac duos vel tres habeat alendos homines, lib. 3. Dipnoſophiſt. Pier. Valerian. l. 53. Illud quoque ad Principes & Dominos ſpectat, quod Theopompus hiſtor. l. 50. ſcribit; *cum Philippi principatu medio vere, atque adeò tempore non ſuo, vitis, ficus, & olea fructus præmaturos edidiſſent; omnia illi ex voto ſucceſſiſſe.* Contrà, inter *omina mortis* Alexandri Severi habitum fuit, *cùm Tres fici, quæ ficus eas ferrent, quibus Alexandrinarum nomen eſt, ſubitò ante illius tentorium decidiſſent*, Lampridius. Similia exempla vide apud Schildium in Sueton. Galbam, c. 1. ex Tacito & Tzeze.

10. Sic ἀπὸ τριβόλων σῦκα *de tribulis ficus* colligere Matth. 7. v. 16. Proverbium eſt, cui ſimile illud Theognidis:

Non ſanè è ſcyllâ roſa naſcitur, aut hyacinthus.

Mala arbor non poteſt bonos parere fructus: ſcilicet, naturâ: *dabit autem & bona malos, ſi non colatur: & mala bonos, ſi inſeratur*, ut rectè Tertullianus de Anima c. 21. Divinæ hoc gratiæ miraculo fit, ut olim aureo ſeculo,

- - quercus ſudabant roſcida mella,
Incultisque rubens pendebat ſentibus uva.

Aliud ſed paulium diſſimile eſt Jac. 3. v. 12. *Neque ficus uvas* aut olivas edet, *neque Vitis ficus*. Ad ſemen nata reſpondent, ait Seneca, quem vide Ep. 87. & Zehneri Adag. 16. Centur. 3. Dicere hîc poſſis quod Homerus Odyſſ. 8. - - *Non omnibus omnia Dii dant munera*; vel quod Virgilius: *non omnia poſſumus omnes!*

Nec

Nec Vitis ficus profert, nec ficus olivas:
Nec dono ex æquo dat ſua cuncta Deus.

Quare rectè ſe habet illud contra φιλαυτίαν motum;

Si quadam virtute nites, ne reſpue quenquam:
Ex aliâ quâdam forſan & ille nitet.

II. Hiſtoriæ memorabiles ſunt. 1. *Quod ficus & uvæ Iſraëlitas*, in deſerto peregrinantes, *ad occupandam Terram Canaan invitaverint.* Num. 13. v. 24. ſuprà Num. 1. Sic Eunuchus quidam *Xerxi*, inter alia bellaria, ficus appoſuit. Eas cùm guſtâſſet, ubi reſcivit Atticas eſſe, quæ præſtantiſſimæ habebantur, edicto vetuit; ne quis in foro venum expoſitas, vel venderet vel mercaretur, priusquàm quantum ipſe vellet, præcepiſſet. Id de induſtriâ factum ab Eunucho, ut Regem expeditionis commonefaceret, quam contra Athenienſes deſtinabat, Dinon in Perſicis apud Athenæum l. 14. Sic ficus *Chartaginem* delevit, Plin. l. 15. cap. 18. Cauſamque *Gallis* præbuit, ut Italiæ ſe ſuperfunderent, Romamque caperent, Idem l. 12. c. 1. Amitrochates Indorum Rex per literas ab Antiocho poſtulavit, ut vinum dulce, caricas, & Sophiſtam mitteret, ſuo ſibi empta ære. Reſpondit ille; Vinum quidem & caricas mittemus; Sophiſtam autem vendi Græcorum leges non ſinunt, Athen. ibid. contrà Sandanes Crœſum monuit, ne in Cappadoces aut Perſas arma moveret; quod victor nihil lucrari, victus tot bona ſua amittere facilè poſſet, nam neque vinum bibere, neque ficos comedere illos, nihilque adeò apud eos eſſe lauti,

 Hero-

Herodotus l. 4. Ita *ficum vel per bella quæſiviſſe veni. ſit*, ait Plinius - *Per ſaxa, per ignes!*

1. Non piguit Gallos ficus per Saxa, per ignes
Quærere: nos cœlum ſpernere, non pudor eſt?
2. Ne pigeat ficus vel bello quærere: dantur
Non niſi Vincenti Nectar & Ambroſia.

Ergo *Militemus!* hanc quaſi Teſſeram dabat Joſua Explorator, Num. l. cit. Quam Pertinax Imperator, ſignum petenti, primam dedit Tribuno, ut Severus deindè: *Laboremus!* apud Spartian. Adde parallelum de Narſete, c. præced. num. 13.

12. Jam 2. *de ficus foliis*, quibus ſe Protoplaſti nudos tegere volebant, diximus. Illud vero non tacendum; meliùs nos veſtiiſſe Filium Dei, *Agnum illum immaculatum, qui molli vellere cunctorum operit vulnera populorum*, ut ait Ambroſius. *Deus tegat! non tu!* Contra proprias ſatisfactiones.

Pro rigidis ficus foliis, non veſtiit Agnus
Vellere: nil aliud crimina noſtra tegat,

Porrò 3. *emplaſtrum de ficubus* memoratur, 2. Reg. 20. v. 7. Eſa. 38. v. 21. Quæritur; *an naturæ virtute curaverit Ezechiam?* Solutio pendet, ex natura morbi. Ac lethalem quidem fuiſſe certum eſt. De ſpecie litigatur. Fuiſſe *Sechin* indicatur, quod Vulgatus modò *ulcus*, modò *vulnus* interpretatur: Aquila, Symmachus, & Theodotion ἕλκ☉, ut & LXX. 2. Reg. l. c. *per quod Morbum Regium intelligi volunt, cui contraria putantur, vel ſumpta in cibo, vel appoſita corpori, quæcunque ſunt dulcia*, Hieronym. Quia dulcia facilè in bilem vertuntur, & mel fit fel: undè morbus ille. Vocabulum tamen Hebræum

æum propriè ſignificat *ulcus cum inflammatione;* talia ſunt anthraces & bubones in peſte. Eâ orâſſe Regem, circumſtantiæ indicant. Pront autem Caricæ impoſitæ contra duros tumos, ad diſcutiendum & concoquendum, ut ex Gano obſervat quoque Matthiolus: & lixivium cineribus fici gangrænas expurgat, & conſuit, Dioſcorid. Itaque appoſitum quidem puto taplaſma, non contrarium aut per ſe nocivum; d utile, ex arte Medicâ; cujus ad laudem pertiet, quod tantus Propheta ejus quoque peritus erit: operatum tamen in conclamato Regis ſta-, tàm celerem ſanitatem, ut hiſtoria indicat, naræ facultate, credi nec debet, nec poteſt. Plura 'aleſius in S. Philoſoph. *Verbum omnia ſanat,* ap. 16. v. 12.

Nullos humanos ſanant cataplaſmata morbos,
Ni Verbi accedat vis operoſa DEI.

13. Matth. 21. v. 19. 20. & Marc. 11. v. 13. 14. o. *Maledicta à Domino ficus* ſterilis, ſtatim exarecit, dixi de eâ S. Analect. I. c. Certum eſt judicim hoc Domini myſticum fuiſſe. ut viſibili ſigno Juæis denunciaret inſtans excidium, de quo paulò oſt concionatus eſt, Matt. 21. v. 43. & ante Luc. 3. v. 6. per Parabolam, de quâ mox. Itaque fames uoque Domini non tam corporalis fuit, quàm Spiitualis: non cibum, ſed ſalutem populi avidiſſimè xpetebat. Illud ad literam quæritur, multoſq; torit *1. quomodò ficus in arbore quæſiverit Dominus, cùm ondùm eſſet tempus ficuum? 2. Cur arborem innoentem damnârit, quæ fructus per tempus nondùm ferre potuerit?* Heinſius, ut hæc ἄλυτα ἄπτα ſolveret

 Verba

Verba Marci corrigenda eſſe putavit, vide Walæi Annotat. Sed hoc eſt nodum non explicare, ſed ferro reſcindere. Neque illud ſatisfacit, quod inter alios Franc. Lucas affert; *Sententiam maledictionis, non arboris causâ latam eſſe, ſed ſignificationis. Nam ut arbor ficus ferret, tempus opportunum nondùm advenerat; Judæi ut fructus ederent, jam diu tempus exigebat.* At iſto modo ficus non fuiſſet Typus Judæorum, neque maledicto feriri debuit, quod ſpem Domini deluſiſſet. - *Nihil illa nec cauſa eſt, nec potuit.* Guloſi homines ficus præcoquas à ruſticis per blanditias emendicare ſolebant, undè de aſſentatoribus proverbium: *σῦκον αἰτεῖ*, **er hätte gern Feigen.** Itaque artificio ficus etiam hiberno tempore, *alieno* ut ait Plinius *anno, præcoces*, extortæ, lib. 15. cap. 18. & *qui ante tempus decerpſerant, etiamſi in proprio fundo, mulctis coërciti*, Lege Platonis apud Athenæum, quam vide l. 8. de LL. p. 916. quod viderentur, gulæ aviditate, Baccho datori ingrati, & naturæ injurii eſſe. M. Antonius, apud Mylium, *inſani eſſe hominis dixit, ficum hieme quærere:* tale eſſe, ſi quis præteritam quærat pueritiam jam ſenex. Quid ergò? Accidit hæc hiſtoria menſe Martio, paucis diebus ante Paſcha: Eo tempore jam maturos fuiſſe fructus præcoquos, meſſemque propinquam in Judæâ certum eſt, & conſtat quoque ex Matth. 12. v. 1. Luc. 6. v. 1. ubi Apoſtoli ariſtas carpunt ſolandæ fami, Sabbatho *δευτεροπρώτῳ*, quod in menſem Niſan incidit, de quo Cloppenburch. & Capellus. Quare quamvis *nondùm eſſet tempus Vindemiæ, ὥρα τῦ τρυγᾶν, Ἀρκτούρου σύνδρομος*, in Græcia, ut apud Pla-

itonen l. cit. Tamen *prodromos ficus κατ' οἰκονο-μ* in viſâ arbore non abs re ſperare potuit Do-nus: & erant illæ gratiſſimæ; quia rariores, ariores. Illud certum; *groſſos* eſſe debuiſſe ntùm, ſi Arbor ea ſpem de ſe fructûs præbuiſ-. Nam cum primô ſtatim vere erumpunt in u, ut gemmæ in vite, Cant. 2. v. 13. Matth. 24. 32. Marc. 13. Luc. 19. At cùm prorsùs, *nihil,* *i mera folia*, ut hiſtoria diſertè dicit, reperiſſet, llaque nec prodromorum, nec tempeſtivarum, tumnalium ficuum, ſpes ſupereſſet, non injuriâ aledicto percutiit arborem, - ἐτώσιον ἄχθος ἀρέ-. Talis arbor erat Judaicus populus: ſolis fo-s luxuriabant ceremoniarum, & hypocriticæ nctimoniæ: fructus nulli, ne tùm quidem Vere eunte Novi Teſtamenti prodromi, nec autum-us ſperari poterat. *De reprobis* autem ſermo eſt; am & *groſſi tùm apparebant* electi aliqui, de quibus l. cit. Cant. 2. nec maledicto rejecit Deus popu-m ſuum, quem elegerat, ut docet Apoſtolus Rom. 1. v. 2. & 29.

14. Alluſit hoc miraculo Dominus *ad Parabolam* iam *de Ficu* & *ad viſionem Jeremiæ*. Utraque igitur onſideranda eſt. Hæc prior. Legitur autem Jer. . 24. toto. Oſtenduntur Prophetæ in viſione *duo alathi pleni ficis:* Locus fuit; *ante Templum Domi-i*, in cujus atrio varia fructuum genera vendeban-ur ut in promptu haberent ingreſſuri, quæ Domi-o offerrent, ante quem nemo vacuâ manu appa-ere poterat, Exod. 23. v. 15. Matth. 21. v. 12. ut ex errandio obſervat Corn. à Lap. vel; in duobus his Caniſtris *primitiæ ficuum* oſtenſæ, quas pro more,

ex lege, in Templum ſolebant afferre Judæi. Indè *Canephoria* inſtituta à Græcis, in honorem Dionyſii aut Bacchi, quem omnium terræ fructuum ſatorem datoremque colebant. Mos autem erat, *ut Virgines nubiles, præcipuæ dignitatis, non ſine pompâ in caniſtris aureis, primitias omniũ fructuum deferrent*; ut & *in Panathenæis, quæ ad Sacrificiorum apparatum pertinebant, quod Erichthonio regnante primitùs inſtitutum* refert ex Philochoro Suidas, vide Heſychium & Natalem Comit. l. 5. Mytholog. c. 13. Quæ inſtituta à populo Dei accepta veri per quàm ſimile eſt. Cæterum in ficubus à Prophetâ viſis magna erat *differentia*. Nam in altero Calatho erant *optimæ*, quales haberi ſolent *primitivæ* præcoces, πρώϊμοι, vel ut habet Vulgatus, *primi temporis*, qui ineunte æſtate, aut ante maturantur, expetitæ adeò & electæ. His Deus comparat Jechoniam cum ſuis, qui ſponte ſuâ, Dei timentes, Chaldæis ſe dederant, primitiæ facti transmigrationis. Eos igitur indicat ſe Deus diligere, curaturúmque eſſe, ut ſibi ſerventur. Enim verò in altero calatho erant *peſſimæ*, quales ſunt groſſi, qui nunquàm ad maturitatem veniunt, & quæ ne *caprificatione* quidem meliores fiunt, ideóque decutiendæ, ne ſuccum exhauriant, & ut aliis naſcituris præbeant locum. Tales erant cum Sedeciâ impio Rege, qui minas Dei ſusque deq; ferentes reſtiterant, freti opibus ſuis & auxilio Ægyptiorum. Quibus Deus comminatur, non tantum commotionem & *excuſſionem*; ſed & arboris à radicibus *exciſionem*; ac cum malis ſuis fructibus abjectionem. Tantùm ad literam de *Viſione*.

15. *Parabola* habetur Luc. 13. v. 6. *Pater familiâs*

Deus

eus eſt: *Vinea* ejus Eccleſia, Pſalm. 80. Eſa. 5. *Fi-us*, populus Judæorum & inprimis primores ejus acerdotes, ſcribæ: *Ficus, folia tantùm amara, fru-us nullos proferens: Tribus annis viſitatur, per Mo-n, Prophetas, Chriſtum ipſum:* ut Theophylactus. tque hic *cultor* erat tàm diligens, qui jam in ter-um annum Miniſterii omnem impenderat ope-am, ut fructu exhilararet Dominum ficus: tan-ùque bonitate, ut & tùm adhuc pro eâ exora-et, ac excidii moram impetraret; quod vel cru-ifixus facere non deſtitit; ſi fortè vel *fodiendo* x ablaqueando, per prædicationem ſuam; vel tiam *lætamine* ſanguinis ſui, quem illi nefandi elut ſtercus reputabant *pinguefaciendo* & opi-nando, ad fructus pœnitentiæ ferendos idone-ım redderet, vide Salmeron. in Parab. Evang. Tract. 21. Sed ut ficus, quæ necdùm tertio anno ructum edidit, vix unquàm editura ſperatur, atque deò ne fruſtrà terram premat, exſcinditur; ita illis andem accidit. Sic ergò Judæi ſæpiùs ficui com-parantur ejusque fructibus: Conſequenter etiam *Eccleſia Catholica*, viſibilis illa. *Reſpectu* 1. *plantatio-nis:* Dei beneficium eſſe ficum, omnes ferè gentes agnoverunt. Itaque alii *Saturno* tribuerunt, in cujus honorem Cyrenenſes, ſacra facturi, ſe ficubus re-centibus coronabant, Pier. Valerian. l. 53. extre-mo: alii *Baccho*, quem & ideò Lacedæmonii *Sycitem* Naxii *Meilichium* cognominârunt, apud Athenæ-um l. 3. alii *Cereri* in Atticâ, quæ *Phytalo* hoſpiti hoc Xenium donârit, ut Pauſanias in Atticis. Sanè *fi-cus naturâ amarâ*, Dei quodam munere, ſoli cœ-lique ingenio & virtute, *dulces edit fructus*, cujus

cauſam

cauſam indagat Plutarchus Sympoſ. 5. Quæſt. 9. *Sicut Jecur*, inquit, *bile in unum locum ſecretâ fit dulciſſimum; ſic ficus contrà, omni dulcedine in fructum collectâ, ipſa dulcedinis manet expers*. An rem acu tetigerit? viderint Phyſici. Sed è cœlo quaſi mel affert, & ſuperfundit, dùm coquit & maturat. *Democrito* melleas ficus appoſuerat famula. Delectatus ille guſtu, nam ſapor planè mel referebat, juſſit in hortum ſe deduci, undè eas collegiſſet. Illa cauſam ſciſcitata, cur eò tenderet? cùm Democritus reſpondiſſet; cauſam ſe dulcedinis percupere, inſpecto nativo ſolo, invenire; aſſide, inquit, menſæ: exponam: Ego in vaſe, quod melle imbutum priùs fuerat, repoſueram, Plut. Symp. 1. Quæſt. 10. Noſtra certè omnis dulcedo à gratiæ divinæ melle eſt; nec ab intùs manat, undè nil niſi merus amaror; ſed ἄνωθεν ſuperfunditur. Itaque loc. cit. Jer. 24. Deus, *Ego*, inquit, *plantabo! ego dabo cor!* ſcilicet, *quod non ſolùm opera, ſed & voluntas noſtra DEI nitatur auxilio*, ut ait ibid. Hieronymus.

16. Pergamus; Similis eſt Eccleſia ficui *reſpectu* 2. *educationis:* Culturâ enim eget: effodienda, ablaqueanda eſt, & ſtercoranda. *Foditur anima, quandò decutitur temporalium curarum pulvis, & alleviatur ipſa. Stercus verò circumponitur per ſeveram pœnitentiam, quandò quis ſe abjicit in vitam ingloriam propter animæ ſalutem*, Theophylactus. Fodienda eſt *ligonibus Apoſtolicis*, ſtercoranda *humilitate*, vide Ambr. in Luc. l. 7. ubi pulchrè Judæi cum ficu ſterili conferuntur. Lex fodit, radices retegit, ſtolones reſecat: Evangelium lætamen addit: Porrò

3. ſimi-

ſimilis quoque *reſpectu fructificationis* : magna obique fructuum differentia eſt. Mixtura in ex- no cœtu Eccleſiæ Bonorum Malorumque per- tua eſt. Boni bonæ ſunt ficus: alii tamen quaſi ɔſſuli in vere pueritiæ, alii quaſi præcoces in oleſcentiæ æſtate, alli quaſi ſerotinæ in ſene- itis autumno, & quidam etiam ſub hiemem ma- reſcunt: gratiâ, non naturâ. Sic *per Tres annos*, ıc. 14. *Tres ætatum ſtatus quidam intelligunt*, ut ıeoph. & Athanaſ. qui dicitur, S. Script. Quæſt.). *Multi enim*, inquit, *in ſenectute demùm reſipuê-: qui per afflictiones foſſi. & per tentationes rece- ɔ ſtercore frugiferi facti, protulêre virtutem*, ſic Catenâ Corderii in Luc. Sic ficus Eccleſiæ No- Teſt. primo *ſtatim vere*, quandò vox Turturis Baptiſtæ, & poſteà Apoſtolorum audita eſt, oſſos protulit, quorum aliqui, ex Judæis ſcilicet onſtantes maturuêre, alii inutiles excuſſi perie- ınt. Cant. 2. l. c. Ab hoc die cœpit Deus bene- icere Hagg. 2. v. 20. quo fundatum eſt Domini 'emplum. Secutæ ſunt *præcoces ficus*, primiti- æ Eccleſiæ, primæ dulcedinis & præſtantiſſimæ t Act. 2. v. 46. 47. & 4. v. 32. Quales olim in Ve- :ri Populo, de quibus Hoſeæ c. 9. v. 12. Patres anctiſſimi: *ſed gaudium illud Dei non fuit niſi exi- uum: quia non diu ſteterunt*, Aben. Eſra ib. DEO uaſi bolum eripuit Beelphegor, ut ib. ſequitur pud Prophetam: ſcil. Priapus ille Moabiticus, e- gregius hortorum cuſtos. At in Novo Teſtamen- o tandem *autumnus* fuit, plenæ collectioni Judæo- 'um & Gentium. Denique 4. *reſpectu viſitationis*. Adit enim hortum ſuum Dominus. Stant in con-

ſpectu

ſpectu ejus, & in atrio Templi ficus omnes: *eò quod cunctæ ſcientiæ ejus pateant*, Hieronym. in Jer. Neque mixtim hic verſantur boni malique: *Novit Dominus, qui ſunt ſui:* jam ſecreto judicio diſcrevit, in ſuum quosque calathum. Interim ficum ad Tempus viſitat *Gratiâ:* dùm longanimis pœnitentiam exſpectat, culturamque adhibet, exorante Chriſto & operante per Spiritum ſuum. Niſi fructus ſequatur, viſitabit in *irâ* quoque, exſcindet, abjiciet, cremabit. Securis jam ad radices poſita eſt. Sic evenit Judæis ultimo excidio; ſic olim Iſraëlitis Decem Tribuum. *Fuit gloria eorum ſicut Biccurah ficus præcox ante æſtatem*, furum aviditati in prædam expoſita: *quam qui adſpexerit, vix in manum acceptam, ſtatim deglutire ſolet*. Eſa. 28. v. 4. ὡς πρόδρομος σύκου: ὁ ἰδὼν αὐτὸ πρὶν εἰς τὴν χεῖρα αὐτοῦ λαβεῖν, θελήσει αὐτὸ καταπιεῖν, Lxx. eleganter. Tam avidè itaque expetebantur: notandumque tempus præcocium, ante æſtatem.

17. Simus ergò per gratiam *bonæ ficus*; adeptamque bonitatem oſtendamus 1. fructu, non flore, 2. fructu dulci, 3. præcoci & ſerotino, 4. copioſo & perpetuo, quales ex Oneſicrito tradit Plinius *in Hircaniâ eſſe, noſtris dulciores, fertilioresque ut quæ modios CCLXX, ſingulæ ferant* l. 15. cap. 18. Et quia *ficus facillimè perdit fructus ante maturitatem*, Idem l. 16. cap. 26. Perſeverantiam à Deo flagitemus: humilitati ſtudeamus; nam & ficus altiùs evecta fatuas gignit ficus. Salmeron l. cit. *prodeſtque ſumma cacumina ferro amputare: ſic firmiores arbores & feraciores ſiunt*, Columella de Arborib. cap. 21. ſæpè conſcientiam Deo & Miniſtris ejus retegamus:

s: *gaudet enim ficus aſſiduâ foſſione*, Palladius in
rtio; & poſſunt ejus generis innumera dici,
culturâ curâque ficuum, deque earum morbis
vitiis, quæ ſtudioſè collegit Porta l. 5. cap. 16.
fructu dulci Deum & homines delectabimus,
bram quoque gratiorem præbituri non ina-
n, & meram umbram. Neque de cœlo tange-
r, Pſalm. 11. v. 6. Proverb. 3. v. 25. Nam &
m negant fulmine tangi; quod quidem Plutar-
us *amarori & pravæ qualitati ſtipitis adſcriben-
m cenſet: talia enim cælo non tangi, ut nec phocæ
lem, aut hyænæ*, Sympoſ. 5. Quæſt. 9. Sed dili-
Deus ἱερὰν συκῆν, ut Athenis ea dicebatur, Pſal.
6. v. 15. multò magis curat, ut perennet, quàm
omani *Ruminalem & Naviam* ſuam: *perſuaſi
vinis reſponſis, quamdiu ea viveret, libertatem
puli Romani incolumem manſuram*, de quâ Plin.
. 15. cap. 18. & ibid. Dalechamp. ex Feſto, Ta-
to &c.

18. Addam his aliqua miſcellanea, 1. *Ficus
uminalis* ſub Imperio Neronis, *quæ annis
CCCXXX. ſteterat, ab eo tempore quo Remi Ro-
ulique infantiam texerat, areſcente trunco demi-
uta eſt, idque prodigii loco habitum, donec in novos
etus reviviſceret*, Tacitus 13. Annal. extremo. Ac-
idit Anno U. C. 812. Chriſti 59. omen fuit, deſitu-
am in Nerone Cæſaream ſtirpem. Eodem ferè
empore cœpit emori ficus Judaica, exciſa decen-
io poſt, revixit tamen in Eccleſiâ nova, duraturâ
ſque ad mundi finem. 2. Apud Salmerorem l. cit.
citè dictum habetur: *Hoc habet ficus, ut in alterius
peciei arborem inſeri nequeat, ob eximiam dulcedi-*

nem

nem, quam non poteſt derelinquere: ita Juſtus alter non nititur, neque fidit, niſi tantùm divinæ bonitati & dulciſſimæ miſericordiæ. Repetit quodammodò Corn à Lap. laudo ἀπόδοσιν: Sed ficum inſeri etiam moro, & platano, & tiliæ aliiſque, rei ruſticæ Scriptores docent, vide Portam. 3. *Fumus è crematis fic. lignis mordaciſſimus eſt, & lixivium è cineribus ſummam habet vim abſtergendi*, Plutarch. Sympoſ. 6 Quæſt. 10. exempla iræ divinæ in reprobos ſtatut & edita efficaciſſima ſunt ad pœnitentiam media Mit dieſer Laugen muß man den Gottloſen zwagen Apoc. 14. v. 10. 11. Mich. 2. v. 6. &c. *Philippus Perſe Pater R. Macedonum cùm Aſiam incurſionibus vaſtaret, commeatus inopiâ, in cibaria Militum ficus accepi miſſas à Magneſiis: quare Myunte potitus, locum Magneſiis tribuit*, ex Polybio Athenæus, Pro ficubus fidelibus ſuis æternam urbem donabit Chriſtus. Matth. 10. v. 42. Luc. 19. v. 17. 18. Mitto alia quã plurima, & ad finem feſtino, ne ficus nauſeam pariant.

19. Supererat *fabula de Ficu* ex Judic. 9. v. 10. Sed de eâ commodiùs in Oleâ dicam, & dedi jam expoſitam in Paradigmat. S. concion. Exemplo, 52. Ex dictis apparet, Ficum arborem, eſſe Symbolum *Theologicum* Eccleſiæ: *Politicum* Boni Principis, ut & Judic. l. modò alleg. *Oeconomicum* æque Boni Patris-familiâs: Eadem cum fructibus ſuis deſignat *Verbum Dei, S. Scripturam: de his ficubus dixit David: quam dulcia faucibus meis eloquia tua! ex his cataplaſma fit Ezechiæ*, ita Lauretus. Sic Mercurio, τῷ λόγῳ τελσμεγίςῳ, Sacra faciebant Ægyptii melle & ficu, dicentes: *Dulcis eſt veritas!* Plutarch. de Iſide & Oſiride.

Extat

at elegans Paſſeratii *de ficu* carmen, in quo
aque recapitulantur, quæ huc uſque dicta
t, & alia adduntur, quæ ad Verbum Dei ſuavi-
poſſint accommodari: ut - *Cereris ſunt munera*
is.

. *Hoc dignum Phytalo pretium Dei flava benigni*
Rettulit hoſpitii,
. *Ficus Erechtheas - inſignibat Athenas.*
Ficum indè efferri nec fas nec jura ſinebant.
. *Ficus habet lactis nivei, rutilique ſaporem*
Mellis, & Ambroſiæ ſimiles cum Nectare ſuccos.
4. *Ficus alit pueros, longumque educit in ævum,*
Sollicitæ Ficus panem atque obſonia plebi,
Attentisque ſolet cœnas præbere colonis.
5. *Illa Jovis flammas, & tela Cyclopea temnit.*
6. *Continuò appenſasque jubet tenereſcere carnes.*
7. *Dùm properat prodeſſe ſimul frondetq; paritque.*
8. *Apta - ſcutis eadem eſt ſignisque Deorum.*
9. *Cinxerit indomiti tantum modò colla juvenci,*
Sponte truces animos. & corda ferocia ponet.

erbum Dei 1. *Donum eſt*, quod Hoſpes ille Pa-
archarum contulit, & Filius ejus ad homines di-
rtens, Hebr. 1. v. 1. Eſt 2. *inſigne Eccleſiæ* & no-
ejus publica, Pſalm. 147. v. ult. nec efferre licet,
eut. 4. v. 8. *Dulcedo* 3. Super mel & favos. Pſ. 19.
11. Eſt 4. *cibus* animarum - *petite hinc, juvenes-*
e, ſenesque.
Finem animo certum, miſerisque viatica canis.
. 119. v. 9. 2. Tim. 3. v. 15. 16. Securos 5. præſtat
fulmine, Pſal. 1. v. 3. 4. Prov. 13. v. 13. &c. 9. *Ef-*
acia mira, confer Ezech. 36. v. 26. Philipp. 1. v.
1. Prov. 30. v. 5. 2. Petr. 1. v. 4. Eſ. 11. v. 6. 7.

Quærit Plutarchus, *qui fiat, ut recens mactatæ ca-*
nes, ſi de ficu ſuſpendantur, tenereſcant? Reſpo-
det, acrimoniam arboris, & Spiritum indè exh-
lantem in cauſâ eſſe: ex eâdem *Taurum, quam*
ferociſſimum ficui alligatum, mox miteſcere, tact
admittere & ferociam deponere, Sympoſ. 6. Quæ
10. Plinius: *Caprificus Tauros quamlibet feroces, c*
lo eorum circumdata, in tantum mirabili naturâ co
peſcit, ut immobiles præſtet, l. 23. c. 7. ubi multa
Medicinis ficuum, quæ huc referre liceat: ut il
juvenum vires augent; ſenibus meliorem valetu
nem faciunt, minusque rugarum: ſitim ſedant, ca
rem refrigerant. Et l. 19. c. 15. *Panis ſimul & ob*
nii vicem ſiccatæ implent. Cato, cibaria ruris opera
juſta, ceu lege ſanciens, minui jubet, per fici mat
tatem, de Re Ruſt. c. 56. *Salitis ficubus caſei vice*
ſcebantur, &c. Groſſulos ex melle edebant, M
crob. Saturn. 3. c. 30.

20. *Ficus in Vineâ*, ut Luc. 13. Verbi Divini
niſtrum, *Eccleſiæ Doctorem* ſignificat. Nam 1. ut
cus eminet, 2. populum paſcit Verbi dulcedine.
bera & Corn. à Lap. in c. 1. Joël. v. 7. Ad hæ
mira hujus pomi feſtinatio, ad maturitatem prope
tis arte naturæ, Plin. l. 15. c. 18. Sic ille doceat n
coactè, 1. Petr. 5. v. 3. *nullius terrenæ rei ſed ſ*
mercedis cœleſtis intuitu. Beda ibid. & ut ficus biſ
ἀκαίρως καὶ εὐκαίρως, 2. Tim. 4. v. 2. non flore i
verborum, ſed fructu. 1. Cor. 2. v. 1. 4. prodro
edat in ſe, ut producat ſerotinas in auditoribus,
1. Tim. 4. v. 12. 16. ne ſit arbori bis mortuæ ſimilis,
ut ait S. Judas Epiſt. v. 12. ἐν πτώσει τοῦ καρποῦ ἀποβολῆς
ἢ ἐν τῇ τῶν φύλλων ἀποῤῥοῇ, ut ib. Oecumen. 4. Iæ-
zat

at *umbram* feſſis, conſolando; *anguillas ſtringat* pero folio, hæreticos confutando; *Tauros domet* oces, vi Spiritûs coërcendo. 5. Mundi *Caprifi-n* adſitam patienter ferat, muſcasque indè e-lantes, quibus fructus pietatis ad maturitatem rducuntur. *Eſt enim caprificus è ſylveſtri genere us nunquàm matureſcens: ſed quod ipſa non habet is tribuit. Culices parit, qui fraudati alimento matre, ad cognatam volant, crebroque morſu fico-m coria aperiunt, ſolemque inducunt & cereales ras*, Plin. 15. 19. Hinc *Caprificatio*, quæ & hoc æſtat, *ne decidant ficus*, ib. de eâ multa Theophra-s de Cauſſ. Plantar. l. 2. c. 12. & 13. ubi & illud; *è qui caprificandum non cenſeant, quod ficus eva-nt deteriores: itaque cùm vendunt, clamitant: s ſe venum dare non caprificatas, idque ad pre-m referre putatur plurimùm.* Sed Doctores ερίνασι *incaprificati*, inutiles ſunt. *Non Tenta-r qualia ſcit?* Sir. 34. v. 20. *Fructus*, 6. S. Mini-rii ficus ſunt, ſcil. auditores: boni quidem bonæ, dixi; ſed non omnes æquè: ſunt enim multi ρόσκαιροι, ut groſſi cadivæ, Luc. 8. v. 13. 14. & uidam foliis ſimiles, ſine fructu, ut hypocritæ. eque hoc ex defectu virtutis optimæ arboris; d vitio vel docentium, vel diſcentium, aut & eſtium extrinſecùs, quæ plurimæ ficubus infe-a ſunt, ut Luc. 8. v. 5. 12. Sic culices, formicæ, ochleæ. Patiuntur ipſæ ſuos morbos; Sca-em & quaſi podagram ac chiragram, *radica-onem & cradationem* vocant ex Theophraſto, e quibus Porta. Sic apud Joelem inter ficuum eſtes recenſentur locuſtæ, bruchi, erucæ,

& injuriæ cœleſtes, quas dicunt, non tacentur, c.1
v.4.7.12. Amos.4.v.9.

21. *Voluptates & bona Mundi caduca* ficus quoque ſunt, ut Eſa. 34. v.4. Nahum. 3. v.12. Apoc. 6. v. 13. quæ Rabſaces, Diabolus, promittit ſibi obſequentibus. Eſa. 36. v. 16. cupiuntque qui Ægyptum reſpiciunt, Num. 20. v. 5. pertæſi duræ & difficilis peregrinationis in Patriam cœleſtem. Quos *Sycophantas*, non injuriâ dixeris, de quo nomine Athenæus l. 3. & Suidas aliique. Sunt enim Sycophantæ propriè, qui & συκωροί, ficuum inſpectores, & συκολόγοι, qui de ficubus loquuntur, φιλόσυκοι ficuum amatores, ut indicat Autor Etymologici. *Sycophantarum maximus eſt Diabolus qui & Deum calumniatus eſt*, Gen. 3.v.2. *& homines, ut Jobum*, cap. 1. Suidas. Sunt mundi bona ὡς σῦκον ἐφ' ἑρμῇ, ut *Ficus ſacra Mercurio.* Nam qui ficum primitùs conſpexerat, eam huic dedicabat, quam fas erat auferre volenti, Heſych. & Suid. Inde Proverb. Manè minùs nocent comeſtæ ficus, confer Matth. 21.v.18. *Sed meridie morbifera* ſunt. Sic Nicophon in Sirenibus apud Athenæum: *Si quis ficus meridie recentes eſitaverit & obdormiſcat, febris protinùs curſu advolat.* Si quis *gloriolam*, aut *opes* deſideret, ad huc infirmus, veniâ dignus videbitur. *Pueri puerilia tractant*, At *magnos magna decent!* 1.Cor. 13.v.11.c. 14.v.20. Tob. 1. v.4. *Crudæ ficus nec ſtomacho utiles, & voci contrariæ intelliguntur*, Plin. 23. cap. 7. Itaque Demetrius Scepſius ſcripſit, *qui ficis abſtinent, vocaliores eſſe. Ideoq; Hegeſianacta, cùm pauper eſſet initiò, egregium Tragœdiarum actorem & Hiſtrionem evaſiſſe, voc*

adm

modum ſonorâ; quia per annos octodecim ficum
ı guſtâſſet, apud Athenæum, l. cit. Quid? quod
Mundi ficus veneno ſunt illitæ. Sic *Liviam* qui-
n produnt Auguſto Cæſari mortem attuliſſe.
m cùm Cæſar αὐτοχειρίᾳ συκάζειν, *ficus manu ſuâ*
pere & comedere ſoleret, quandam Livia veneno
vit: cumque ipſa comederet innocuas, illi τὰς πε-
ϱμαγμένας *obtulit*, Xiphilinus ex Dione. Fecit,
od Eva Adamo. *Corvus* Apollinis Miniſter, *miſ-*
ad fontem, ut Diis ad libandum aquam deferret,
m vidiſſet arbores groſſos habentes, volans in eis
ıſedit, donec maturæ fierent, & aquam deferre di-
lit, Apollo iratus, hac eum ignominiâ dicitur affe-
ſe, ut quamdiu fici coquerentur, corvus bibere non
ſſit, ideò quod guttur habeat pertuſum illis diebus.
rei memoriam inter aſtra ſtat corvus cum cra-
te. C. Cæſius Baſſus in German. Aratéa, & Hy-
ıus in Aſtron. Poët. At noſtros φιλοσύκους, ut
ɔulonem Evangelicum, æterna manebit ſitis, Luc.
5. v. 24. Oſeæ. 2. v. 3. 5. 12. Denique in hac ficu
endens crepuit Judas proditor. Nam *dùm ſitit*
crum, pervenit ad laqueum, Leo M. juxta Juven-
ım;

Informem rapiens ficus de vertice mortem.

21. Adjicio in cumulum pauca, huc uſque di-
ta, emblemata. 1. Ἦυρε θεὸς τὸν ἀλιτρὸν *reperit Deus*
ſe nocentem? vide Eraſm. Adag. *-fuga per terras,*
ga nulla per undas, ex Valerio Flacco.

Lubrica ficulnis foliis anguilla tenetur:
Sic fuga deprenſis non patet ulla malis.

ide Alciati Emblem. 21.

2. Didiciſſe fideliter artes! vel - *vi Sacra mitior agno!*

1. Compeſcit Taurum collo circumdata ficus:
Emollit mores culta Minerva feros.

2. Eſt ſacer in Verbo, quo corda agitante caleſcunt,
Spiritus: hic Taurorum effera corda domat.

3. Novit Deus ſuos! ex Jerem. 24.
Eſſe Deum, & pariter noviſſe bonosque malosque:
In foribus Templi bina caniſtra docent.

4. Bonos exercet noxa malorum!
Ut fera per culices cultis caprificus in hortis
Maturat ficus: Sic Deus ipſe ſuas.

5. Sibi malus, aliis bonus.
Quo caret, aliis malis affert ſæpè magiſter;
Poſſidet ingenium ſic Caprifice tuum.

6. Manet altâ mente repoſtum. vide Camerar. Emblem. apud Mylium.
Clam creſcens tandèm Caprificus marmora rumpet:
Erumpit clauſus corde aliquandò furor.


7. Rumpit, ut erumpat,
Omnia perrumpit faſtus; ſic ſæpè papaver
Exeat ut fici, findere Saxa ſolet.

Sic Tertullianus dixit Præſcrip. cap. 36. *Etiam de papavere fici graviſſima & ſuaviſſima; venoſa & vana caprificus exſurgit: Ita & hæreſes, degeneres veritatis grano mendacio ſylveſtres, de noſtro fructificârunt, non noſtræ.*

8. Dulce venenum!
Sæpe venenato ficus necat illita ſucco;
Sæpeque peſtiferum dulcia virus habent.

Has meritò quis dixerit ficus *Cauneas. Cum Marcus Craſ-*

P. 455.



SYCOMORUS.

ſſus exercitum Brunduſii, imponeret, quidam in tu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clabat: quaſi moneret Craſſum, caveret, ne iret, Ciro 2. de Divin. Plinius l. 15. cap. 19. Secuta apud thos ſtrages, & cædes Craſſi. Tantum de Ficu.

CAPUT XXXV.

De Schikemim, Sycomoris.

DE Sycomoro jam aliquid dixi *in Cedro* cap. 21. num. 12. Præter ibi explicata S. Scripturæ loca, Eſa. 9. v. 10. ut & 1. Reg. . v. 27. & 2. Paralip. 1. v. 15. ac cap. 9. v. 27. in ibus dicitur tot, Salomonis curâ & ſtudio, plantas fuiſſe paſſim Cedros, quot vulgò naſcerentur rcomori; *Ter* adhuc Veteri Teſtam. & *ſemel atte iterum* legitur in Novo. Atque ut ex iſtis jam tatis locis; fuiſſe Sycomorum *arborem* in Judæâ *equentiſſimam, campeſtri ſolo gaudentem;* quomoò Bellonius refert, ſe in ipſo limite Palæſtinæ, ropè Carbaſſara ſivè diverſorium aliquod Arabium, Sycomoros vidiſſe, ſerie quâdam in planicie iſpoſitas veluti apud nos juglandes l. 2. obſerv. 8. ita porrò apparet ex citandis; creviſſe non miùs frequentes *in Ægypto*, ac propter *edules fructus,* non minus atque vineas, pretio habitas fuiſſe. Indè inter plagas Ægypti memoratur, quod *Deus vineas & Sycomoros*, (moros habet Vulgat. ut & D. Lutherus Maulbeerbaum; nam nullum habet peregrina arbor vernaculum nomen. Lxx. tamen συκαμίνους,) *grandine percuſſerit & perdiderit,*

Pſalm. 78. v. 47. vel. 52. Fructu illo *victitaban* *pauperes*, nec matureſcebat, niſi ſcalperetur fer reis unguibus, Amos 7. v. 14. Denique *altam ma gnamque arborem* eſſe, folio & adſpectu moro ſi milem, fructu ficui, colligitur, ex hiſtoriâ Evan gelicâ de Zachæo, Luc. 19. v. 4. 5. vide quoqu Luc. 17. v. 6. Supereſt locus, 1. Paralip. 27. v 28. qui indicat à Davide quendam fuiſſe *præfe ctum* reditibus *olearum & Sycomororum in cam peſtribus* ſitarum vel ut habet Vulgatus : *ſupe oliveta & ficeta* ; Adeò hujus quoque arbori proventus ratio fuit habita , ut & in cenſu regios referretur. Itaque hæc altera quaſi fu meſſis.

2. Eſt autem *Sycomorus* deſcribente Dioſco ride lib. 1. cap. 144. *Arbor magna, fico ſimilis* πολύ κομος, *foliis mori : pomum ter aut quater fert in an no, non ramis, ut ficus ; ſed caudice ipſo : caprifico no diſſimile, dulcius groſſis, ſine granis interioribus : quo non matureſcit, niſi ungue, aut ferro ſcalpatur. Naſci tur plurimùm in Cariâ, Rhodo, locisque non mult tritici feracibus ; ubi proventu fœcundo reſtibilique ju vamentum adfert, cùm annonæ caritas premit.* Ea dem ferè Theophraſtus, qui addit *materiem cæſam continuo vivere, neque ſiccari, niſi aquâ obruatur. Quare lacubus & ſtagnis demergi, madefactam que in profundo ſiccari, & tùm ſuperfluitare, atqu innatare*, Genera ejus duo ſunt. Quam deſcri pſimus, *Ægyptia* vocari ſolet. Alterum *Cypria* dic ſolet, quam depinxit Rhauwolff p. 57. Arabes *Mumeiz* appellant, aut *Jumeiz*, & cum articulo *Aljumeiz* : In Ægypto Chriſtiani indigenæ *Tinne*

Pha-

araòn, ficum Pharaonis. Cairi incolæ, Solis ardo-us admodùm vexati, ad arborum perpetuò viren-m umbram confugere coguntur: eam ob cauſam ltis urbis locis, & per compita & publica fora Sy-moros colunt & alunt, Bellon. 2. obſerv. cap. 37. *us noſtris ſimiles eſſent, niſi putamen rubrum habe-t, ovi eſſent magnitudine, & perpetuò fiſſæ ac hian-: parum grati ſaporis, magni tamen cenſus univer-Ægypto*, Idem cap. 40. *Hortus eſt propè Memphin*, irum, deſcriptus quoque ibid. à Bellonio, *El ttaria dictus à luſtratione*, ubi Chriſtus cum Vir-ne Matre diu habitâſſe fertur, & fons in eo, lſami hortum irrigans, in quo illa Filium ſæ-lavâſſe, ejusque faſcias & pannos eluiſſe per-betur. *In eo quoque ingens Sycomorus, jam à lle & quingentis annis religione Chriſtianorum no-is: Vigent etiamnùm cacumina lætis frondibus, udex tamen circa radices fœdè mutilatus; nam ii-m, qui arborem oſculis humectant, ejus particulam ſolido frequenter abſcindunt: animi intemperantis ltâ curioſitate labefactantes, quod affectu pio ſer-re præſtabat. Sunt & plures circa villas & præ-a Sycomori ibidem, tantæ molis, ut vel terni homi-s circumplecti nequeant*, Veslingius in Proſp. Al-n. cap. 6.

3. *De nomine* & ſignificatione eleganter diſputat iercerus in Amoſi cap. 7. v. 14. 1. Quæ Luc. 17. 6. συκάμινος dicitur, eandem eſſe, quam idem vangeliſta cap. 19. v. 4. vocavit, συκομωραίαν: ſi ymon attendatur, συκομορέαν dici debuiſſe. Dio-orides συκόμορον appellari notavit, eoque nomine ræci Interpp. aliquandò uſi, ubi LXX. συκάμινον

 poſue-

poſuerunt, quod & Grotius annotavit: Corn. Celſus nomine inverſo *Meroſycon* dixit: 2. *Elias ad radices Kimhi*, putabat Sycomoron dictam à Græcis, quaſi *ficum fatuam*, μωρὸν σῦκον. Sed vera originatio eſt, quod arbor folio mori, fructu ſit ficus ut deſcripſit quoque Plinius, ſub nomine ficus Ægyptiæ, l. 13. c. 7. Jam. 3. Errare ait Mercerus, qui *Schikemim* genere maſculino putant eſſe aliam arborem, quam *Schikemot*, quod vocabulum tantùm Pſ. 78. legitur, genere fœminino: Hanc eſſe ficum *Ægyptiam* dictam multò laudabiliorem: ad Schikemim peculiarem *Palæſtinæ*, ficus agreſtes ferentem: Ratio ejus, quod multa in utroque genere reperiantur. Neque ſingulare eſſe *Schekem* aut *Schekam*, niſi forte Arabicè: nàm in Thalmudicis paſſim reperiri *Schikema* fœmininum. 4. Idem errare putat nonnullos recentiorum, qui deducant hoc nomen à Verbo *Schakàm*, quod bis legitur Jud. 5. v. 7. *Schakamati, ſurrexi*: quaſi dicas, arborem in altum aſſurgentem. Non putem tamen hanc etymologiam omninò reprobandam. Radix שקם, permutatis inter ſe *Caph & Kuph* propriè ſignificat, *matutino tempore, matureque parere ſe, & expedire*. Quod arbori huic optimè convenit. 1. Qua fructum non differt *in ramos*, ſed *ipſo ſtatim caudice* protrudit. 2. *Fœcundo proventu eſt, & ſi fructus ſcalpatur, mox matureſcit, ut quarto die demeti poſſit: 3. alius illicò ſubnaſcitur, 4. ita ſepteno partu fit numeroſa arbor, per ſingulas æſtates: 5. ſubnaſcitur etiam, ſi non ſcalpatur, fœtus quater æſtate, prioremque expellit immaturum*, ut Plinius l. c. Hoc ut arbori huic planè ſingulare accidit, quòd adeò

feſtinet,

ſtinet, ſeque *maturè expediat*, copioſo proventu; râ naturæ benignitate alimenti neceſſarii copiam ɔminiſtrantis; ita nomen indè accepiſſe, pu-, veriſimillimum eſſe. Sic Amygdalus *Schaked* feſtinando. Nec aliunde nomen virile *Sichem*, χὲμ Lxx. quod denotaret hominem agilem & :peditum.

4. Ab hoc Hebræo *Schikemim* Græcum eſt συκά-ν☉. De quo tamen lis eſt inter Interpp. *an Mo-rm ſignificet?* Et Salmaſius quidem citant. Walæo Luc. 17. probat, *Sycaminon antiquos Græciæ Scri-ores appellaſſe morum arborem & fructum ejus. Iorum autem rubi dici fructum* τῆς ἀγρίας συκαμίνου. ıdè pertendit apud Lucam l. cit. non *de Sycomoro*, :d *de moro* ſermonem eſſe. Quod & Vulgato vi-ım, & D. Luth. Neque hic reprehendi debet, quod *chikemim* quoque verterit, *Moros* ſimpliciter, Maulbeerbaum; quod neceſſitate fecit, cùm pro-rium nomen noſtra lingua non habeat. Ipſe Hie-onym. in Amos c. 7. ait. *nonnullos putare* συκάμινα *enus eſſe arboris in Palæſtinâ, in Campeſtribus naſcens ſ ficus agreſtes afferens, quæ niſi vellicentur, amariſ-imas Caricas faciant, & à culicibus corrumpantur. 'unt qui addant, ſolitas infuſo oleo dari familiæ in ſum. Nobis verò*, inquit; *quia ſolitudo, in quâ moraba-ur Amos, Thecoitica, nullam hujusmodi gignit arbo-em, magis videtur rubos dicere, qui afferunt mora, ıc paſtorum famem & penuriam conſolantur.* Sed ıuic argumento reſpondet Corn. à Lap. *Schekem* ılibi paſſim etiam ipſo Hieronymo interprete, ver-i ſycomorum, vel morum: Et regionum naturam ıc feracitatem, variis temporum mutationibus,

aut

aut culturæ defectu immutari ac perire. Adde, quod ex Bellonio & aliis conſtat, neque hodiè raram adeò in Arabiæ confiniis, quâ Palæſtinam attingit, eſſe hanc arborem: & quod olim frequentior fuerit, hominum cura ac cultura fecit, ut ex 1. Paralipom. cap. 27. cit. certum; quâ cauſâ hodie quoque copioſa in Ægypto provenit: quia tùm umbræ gratiâ, cùm fructus & cenſus colitur ſtudioſiùs.

5. Ut loco Amoſi lux afferatur, quæro *1. Quam ille Sycomorum* vellicâſſe ſe dixerit? *2. Quomodo? 3. Quo fine?*

Quam? duo genera deſcribunt Dioſcorides & Plinius ex Theophraſto: *Ægyptiam*, de quâ dixi num. 2. hæc fructu prædulcis eſt, magnitudine *ficus*, & *adſpectu*, non tamen æquè ventricoſo, ut ait Veslingius, ovali figurâ, ut Bellonius. 2. *Cypriam*, cujus groſſi non matureſcunt, niſi inciſurâ emiſſo lacte, magnitudo eorum *ſorbi*, ut Plinius, aut *pruni*, ut Dioſcorid. Hanc, ex relatione Sergii Riſii Archiepiſcopi Damaſceni, deſcribit Corn. à Lap. *frequentem Syriæ, fructu meſpili formâ & magnitudine, rubeſcente, & dulci, ſed non perindè, ut ficus. Indignam haberi, quæ in hortis & vineis colatur, in viis ſeri, & fructus Vulgò colligi*; inde proverbio dici: *Eſt ut gammayz*, ita dici, *in horto:* q. d. rhamnus inter oleas, anſer inter olores. Hæc igitur ſylveſtris quaſi Sycomorus eſt, & Caprifico quodammodò ſimilis, ut Theophylactus & Euthymius Luc. 19. poſuerunt. Neque dubium, quin de hac loquatur Propheta. Quanquàm & illam præſtantiorem Ægyptiam, paſſim in Palæſtinâ, ſtudio cultam, reditus

us Regni Davidis jam olim auxiſſe, nullus dubi-
e debeat. *Quomodò* vellicârit? dubium faciunt
riæ verſiones vocabuli בולס *Boles*, cujus radix
ſpiam reperitur. Græci habent *ἐρευνῶν*, *κνίζων*,
ἐρκνῶν, id eſt, *κεντῶν*, *ὥςε γενέσθαι πέπειρα*, He-
hio: *Vellicare* Vulgates habet: alii *ſtringere*, *per-
rere*, etiam *comportare*, D. Lutherus, ableſen.
os illud eligamus, quod ingenio hujus fructus
oprium, qui non edulis fit, niſi ſcalpatur. Undè
finis manifeſtus: Victum ſibi indè quæſiviſſe
ophetam. Id reſpondet Amaſiæ exprobranti:
ie in Patriam, ibi comede panem, & propheta!
aſi ventris cauſâ famelicus hoc prophetandi mu-
re fungeretur. Acerba inſectatio, ſed animoſa
ſponſio Amoſi. *Non ſum Propheta*, ordinarius
l. &c. *bubulcus ſum*, non pani delicatorum homi-
m aſſuetus; ſed pauperum paſtorum cibo, quem
æbent viles Sycomori,

Cornaque & in duris hærentia mora rubetis,

am per ſpeciem genus ſignificâſſe, nihil puto
ohibet, vide quæ de h. l. dixi in Quinquagena
ſtal. Conc. Rabbini, qui negant *Spiritu Prophetiæ
enquam afflatum niſi divitem*; Amoſum fingunt
oc cibo victitâſſe Prophetam, *quod ſeſe afflixerit
opter delicta, Iſraëlitarum*; *ut* Chald. alii *compor-
ſſe* mercede conductum; alii in eſum boum aut
ecorum. Verùm quid opus erat nugis?

6. Varias Patrum *Allegorias* vide apud Lauretum
Sylvâ, & Corn. à Lap. in Amos c. 7. & Luc. 19.
heophylactus in c. 17. Luc. *Sycaminum* ait eſſe
*iabolum, quod nobis autor ſit & alumnus ſeculi Ver-
is, propter cogitationes quas generat. Foliis enim*

Syca-

Sycamini paſci vermes, qui conficiunt ſerica. Eu per fidem è corde eradicandum & in Abyſſum perditi nis abjiciendum eſſe. Idem per Sycomorum, vel habet *caprificum*, in quam Zachæus adſcendit viſ rus Dominum, *fatuas mundi voluptates* intellig Ambroſius, *Judæorum Vanitatem:* adſcenſus p Pœnitentiam fit, quâ calcatur; deſcenſus per hum ſitatem. *Nemo*, inquit Ambroſius. *poteſt Jeſum vid re conſtitutus in terra:* Chryſoſtomus in Caten Lucæ citatus, *Chriſtum Aucupi* eleganter comp rat. *Egregius*, inquit, *auceps ab arbore animam a ducit calamo*, amite, virgâ quaſi viſcatâ, *ſermon* Hoc eſt *Salutare Aucupium.*

Pipilat, ut timidus Zachæus in arbore paſſer:
Attrahit hunc verbi pertica, Chriſte, tui.

Crucem Chriſti Cornel. à Lap. & Lauretus, vel pſum Crucifixum, Sycomoro ſimilem dicunt. congruit ſanè 1. *propter Mundi contemptum.* Un τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ, 1. Cor. 1. verſ. 23. 25. 2. *propt pauperum cibum*, Matth. 5. v. 3. 6. 3. *propter fœcu dum proventum*, Apoc. 22. v. 2. Proverb. 3. v. 1 4. *Regium cenſum*, Pſalm. 96. v. 7. 5. *vellicationis o ficium*, Joh. 5. v. 39. tunc enim, ut Auguſtinus a *dulceſcit, cùm dilucescit.* Non ſapit niſi meditan 6. *Vulnerum adſpectum:* Verè enim ferreis ungu bus ſcalptus eſt JESUS Chriſtus in cruce, ut nob eſſet dulcior, Pſalm. 22. verſ. 17. 7 *putamen rube & ſanguineum*, Cantic. 5. v. 10. 8. *Saporem dulc marum*, Thren. 5. v. 16. Luc. 23. v. 28. 30. Pſalm 34. v. 9. Adhæc 9. *propter unicum* in fame *ſolatium* Am. 8. v. 11. Gen. 41. v. 55. & 10. in æſtu *refu gium*, Cant. 2. v. 3. Hanc Sycomorum olim colue

ru

unt Prophetæ & vellicârunt. Hujus curæ præfecit
avid Cœleſtis miniſtros ſuos, 1. Cor. 2. v. 2. Hæc
horto *Materea* naſcitur in Eccleſiâ, quæ anima-
um purgationi dedicata eſt, Eſa. 1. v. 16. ample-
enda fidelibus & oſculanda. Luc. 7. v. 45. Adde
ligni mirum ingenium. De quo etiam Plinius:
'ateries inter utiliſſimas. Cæſa ſtatim ſtagnis mer-
itur. Hoc eſt ejus ſiccari. Sugit eam, ut lenteſcat,
ureturque & ad fabrilem materiaturam apta fiat,
'ienus humor, qui aliam omnem rigat, humoreque
orrumpit. *Et primo ſidit* fundumque petit, *poſteà*
uitare incipit, & emergit *idque ſignum habet tempe-*
ivæ, cùm innatare cœperit. Sic Chriſtus crucifixus
eſcendit, ut adſcenderet, Eph. 4. v. 9. 10. aquæ
uperfuſæ non nocuerunt. Cantic. 8. v. 7. Hinc va-
gratiæ & gloriæ, Dei ſuppellex, 2. Tim. 2. v. 20.
zc. Naſcitur in campeſtribus, corde humili gau-
et. Hinc rectè videtur Jeſus! Mundi ſycomoros,
t Ægypti, perdet Deus, Pſal. 78. fides eradicatas
rojiciet in mare, Luc. 17. utinam paſſim creſceret
n omnibus viis noſtris, pluresque ſint Sycomori
uàm olim Cedri! Nam per fidem ſe in cordibus
ropagat Chriſtus, ut fiamus ipſi ſimiles, Eph. 3.
'. 17. Rom. 8. v. 29.

7. E multis, quæ hinc peti poſſunt, aliqua dabo
mblemata.

1. Ad hiſtoriam Luc. 19. *Feſtina, deſcende!*

Ocyùs adſpecto deſcendere oportet JESU!
Me teneant triſti dulcia poma morâ.

2. *Deſcendit ut adſcendat.* De ligno Sycomori.

Sycomori lignum cùm mergitur, enatat: & mens
Freta Deo nullis obruta ſidit aquis.

3. In

3. *In Mundo immundo mundus* Jac. 1. v. 27.

Sycomorus mediis intacta levatur in undis;
Inque luto mundi mens bona munda manet.

4. *Beati pauperes!* Matth. 5. v. 3.

Spernit ſpernentes hæc ficus, paſcit egenos:
A Chriſto exſpectet non niſi pauper opem.

5. *Laboranti!* 2. Theſſ. 3. v. 10.

Hos fructus ut edas, ferratis unguibus antè
Scalpe: laboranti dat ſua dona Deus.

6. *Vireſcit vulnere virtus.*

Cottana ceu crebro dulceſcunt vulnere: ſic mens
Dulcior adverſis fit, meliorque malis.

Cottana ficus Syriæ peculiares, caricis tamen minores ſunt, quales in Sycomoro, Plinius l. 13. cap. 5.

7. *Dolor & voluptas invicem cedunt:* - medio de fonte leporum ſurgit amari aliquid.

Acre parit dulcis ceu Cypria ficus acetum;
Lætitiæ ex ipſo triſtia fonte fluunt.

De *aceto Sycite*, Plin. l. 14. cap. 16. Columella l. 12 cap. 17. fit Alexandriæ quoque ex Sycomoris, Dioſcorid. l. 5. cap. 24.

8. *Adſpiret modò mitior aura!*

Dulceſcit Zephyro perflante Ægyptia ficus:
Aura modò adſpiret cœlica, dulcis ero.

Fructum Ægyptiæ ficus, quam Sycomorum nonnulli vocant, indigenæ ferro leviter ſcalpunt, ut tamen in arbore relinquant. Is vento agitante intra triduum matureſcit, odorus & eſu jucundus: præſertim ſi Favonius adſpiraverit, Athenæus l. 2. Hac ſpe boni ſe in patientiâ ſuſtentant.

9. Denique eſt quædam *Pſeudo ſycomorus* dicta in Ita



MORUS.

Italiâ *nuſquam niſi in Monachorum clauſtris naſcitur:* floribus ſtellatis purpuraſcentibus, & admodum odoratis, racematim cohærentibus. *Baccas edit virides, fœtidi ingratique ſaporis, deleteriæ facultatis, quas ne aves quidem ullæ deguſtant :* Oſſeo intus exagonoque nucleo, *è quo Monachi verticillos faciunt, quibus funiculo trajectis mulieres ſuas numerant preces*, Matthiolus, qui & depictam exhibet, & Clusius in Hiſpan. p. 55. *Blandum venenum!*

Falſa uti Sycomorus: quos flore invitat, eosdem
Interimit fructu blanda ſuperſtitio.

CAPUT XXXVI.

De Bacha, Moro, Pyro.

I. VOcabulum בכא *Bacha* quinquies legitur, de quo Marinus in Arcâ Nohæ: *ferè incertum eſt, quid ſignificet. Communiori ſententiâ eſt Pyrus, vel Morus arbor, à fletu fortaſſe dicta, juxta Pyrami & Thisbæ fabulam, etſi nobis cauſa ignota ſit. Ego arbitror, locum extitiſſe omnibus notum, quod ibi magno mororum copia eſſet. Nonnullis eſt rivulus aquæ, è terrâ erumpens, ad pedes montis: per translationem eleganter ſic dictus, quaſi illius planctus, à radice* בכה *Bacha ſcilicet: vel eſt Toar montis propriè, quod magis arridet, ex quo pluribus locis aqua ſcaturiret. Nos ſingula loca expendemus.* 1. Eſt Pſ. 84. v. 7. *Tranſeuntes in vallem Habbach, fontem ponent eam.* Hoc eſt, per vallem ubi ſunt mori arbores, in ſicco & arido loco creſcentes: quam ad feſta

adſcendentes Hieroſolymam ita fodient, aquas
ducendi gratiâ, ut tota quaſi vallis in fontem abea
Schindlerus. Lxx. habent, κοιλάδα τοῦ κλαυθμῶν
Vulgatus, *vallem lacrymarum*, quos ſequutus I
Lutherus: das Jammerthal / Thränenthal; a
vallem fontis, ubi fons, per lapillos decurrente rivu
lo, leni murmure quaſi planctum edit; *alii valle*
fletus; nam *babbachah* per ה in fine, fletum ſigni
cat, & inde fontem, qui ut aquam emittit, ſic ocu
flentes lacrymas: alii *vallem Mori*, ut Tremellius,
eſt *aridam & ſiticuloſam*, quibus locis gaudet mo
rus; ita Vatablus, Rob. Sephani. Hic etſi nul
argumento appareat *Bacha* morum eſſe, ſenſus t
men non eſt adeò obſcurus. Beatos prædicat D
vid, qui, ad feſta inprimis annua, frequentare po
ſint domum Dei: qui, quamvis vel per Vallem *Ha*
bacha, quod certum locum deſignare ſatis mani
ſtum eſt, eumque ſiticuloſum & deſertum, iter f
ciant; tamen ſtudio ſuo & frequentiâ paſſim ciſte
nas effodiant, & fontes, ut totum locum quaſi fo
tem efficiant. Sic faciunt fideles in *valle* hac *mi*
riarum. *Ciſterna & fontes* Templa & Scholæ ſu
ubi aqua conſolationis.

Arida contendunt qui per loca, conſita moris;
Cœleſtes optant, queis recreentur, aquas.

Moros præcipuè albas, in ſiticuloſis locis naſci, m
râ naturæ benignitate, audiemus. Qui per Arab
Syriæque ſolitudines hodiè iter faciunt, *aquam*
utribus ſecum deportant, ut ex Ægypto olim in S
riam profecturi *in hydriis*, Herodotus. l. 3. que
lege, quo modo Arabum Rex Cambyſi, per ari
loca Ægyptum cum Exercitu petenti, aquam ſu
mir

niſtraverit? Qui magno beneficio incolas, aut pe-grinos demereri volunt, *puteos* alicubi *effodiunt* iſſimos, qualem propè Sues deſcribit Bellonius 2. cap. 55. aut *ciſternas*. cap. 71. & 100.

2. Deindè *Bechaim* fit mentio 2. Sam. 5. v. 23. iterùm v. 24. eademque repetitur, 1. Parali-om. 14. v. 14. & 15. ubi, cum Philiſtini irru-ionem feciſſent, Deus juſſit Davidem, *ut à tergo vaderet, è regione Bechaim: cumque audierit ſtre-tum in cacuminibus Bechaim, quaſi incedentis*; m de adventu Dei confiſus, fortiter aggredere-r hoſtes. Ex quo loco *Bacha* arboris eſſe no-en probatur. Sed cujus? Lxx. habent ἄλσος κλαυθμῶνος *lucum in loco fletus*; & locis poſte-oribus, ἄπιον poſuerunt, id eſt, *pyrum*, ut & Vul-atus: cæteri ferè *morum*, Hebræi tamen veſtu-ores apud Hieronym. in Tradit: *Bechaim Idolá* terpretantur: non *quod iis non niſi lacrymis ſa-ificaretur*, ut apud Corn. à Lap. ſed quod mor-iorum eſſent ſimulachra; ſigna luctus, annuo-ue planctu culta, ut Sap. 14. v. 15. Jul. Firmic. e Errore Profan. Relig. Fulgent. in Mytholog. c. Fuiſſe locum, qui *Clauthmon* diceretur, ſive λσος λεγόμενον κλαυθμῶν, propè Hieroſolymam valle Raphaim, Joſephus lib. 7. cap. 4. & alii dè teſtantur; neque abſurdum eſt credere, Moris conſitum fuiſſe, quæ luctus Symbolum pecie præferrent, & à luctu nomen haberent. um ipſum locum eſſe, qui Judic. 2. v. 1. *Bochim* à flendo dicitur, putat Cornel. à Lap. ibid. lii alibi; quod perſequi nihil opus eſt. Illud unum x hac collatione claret *Bechaim fuiſſe arbores*;

 quare

quare & in Targum eſt, 2. Sam. 5. l. cit. אילניא *Ilanaja*, quod Hebræi dicerent *Elonim*, de quc
Quercu in ſuprà.

3. Si pergas quærere; *utrum mori fuerint*,
Pyri? neſcio, an, non dicam rationibus, ſed ta
tùm conjecturis ullis, explicari poſſit? videam
tamen. De *Bachà* arbore hæc ex S. literis hal
mus: *locis gaudere ſiticuloſis*, vallibus, & campis a
dis: *folioſam eſſe*, & agitante vento magnos ed
ſtrepitus: *ſylvam facere denſam*, & opacam, ut
ctus umbrâ exercitus Davidis, à tergo potuerit
pervenire hoſtibus non advertentibus: deniqu
fletu veriſimili etymologiâ appellari; videric
adeò, plantatam ἐν κλαυθμῶσι, ſivè iis locis, qua
fletu, in rei alicujus mœſtæ memoriam, nom
eſſent conſecuta. Putant enim à radice ה
Bachàh dictam, quæ ſignificat *flere*, cum ejul
aut gemitibus. Affine בוך *Buch*, animo turbat
perplexus fuit, ex repentino luctu & mœrore,
neſciat quis, quò ſe vertat. Videtur quoque *Ba*
dicta à *Bacha*, mori fructus. Hæc *Moro* conve
re facile probatur: Sabuloſa loca quærit, gaud
que cæmentis; indè in ruderibus ſeri ſolet. S
co loco fructus parit ſapidiores: humidis, fr
doſior fit, Porta l. 5. cap. 17. In ſolitudinibus,
magni æſtus, naturæ beneficio naſcitur, ad re
ciendos peregrinantes. Teſtis Hubertus Th
mas Leodius de Friderico II, Electore Palatin
6. p. 106. Præmiſſus ille, *in Valle fluvii Ana*, *U*
dam, ut pararet Principi hoſpitium, jam anim
agenti Comiti Pincernæ, & ſibi, ſalutem attulit,
pertâ inter dirutos muros arido & ſiticuloſo ca

P

moro, &c. *De foliis*, notum eſt: verſatur enim e oculos. Nemora quoque indè opacat, quod a adeò celſo caudice exſurgit.

Uſque minus fiat ſævis obnoxia ventis,
Iratique Jovis telo fugit ardua moris.

Ceratius in Moro. Apud eundem, quæ ſequun-, huc etiam ſpectant:

Morus in antiquis arbor gratiſſima Lucis.
Omnia ſanguineis non ſunt niſi triſtia moris.

m Vulgò - *funeſta putant de ſanguine mora*, ex ulâ Babylonia, de moro candidâ in nigram tatâ, memini in nomenclatore ſuprà cap. 3. m. 9. Itaque ſomniorum Interpretes *mora ſan-nem, vulnera, cædes, ſignificare* docent, ut Ar-nidorus lib. 1. cap. 75. Demetrius Ixion apud henæum mora putabat dici, quaſi αἱμόῤῥοα; *guinea* vocat Virgilius, & *cruenta*. Hæc pro *ro*.

4. Contra *Pyrum* verò iſta: 1. quod Diopha-s habet, *gaudere frigidis, aquoſis, & uberibus lo-* 2. Quare Theophraſtus ait, *in Ægypto, propter orem inhoſpitalem, & ſylveſtrem & mitem malè ſe bere*: 3. & quanquàm *Syriam* dixit Plinius *pyra ore nigro donare*, quod ad luctum fortè aliquod gumentum præbeat; Tamen, 4. nuſpiam in S. li-is memoratur *pyrus*, neque nomen aliquod He-aicum legere memini. Arabibus *pyra eſſe humech-* niſi mendoſus eſt locus, notat Serapion c. 114. ertullianus inter arbores Sodomiticas, intùs fa-lâ plenos fructus edentes, recenſet - *pyra, Perſica*, ſuo loco dicam, autoritate Poëticâ. Mitto alia c cauſam reperio, cur Bechaim vel Græci ἄπια: vel

vel Vulgatus *Pyra* verterit? *Non omnis fert omnia tellus.* Pyra puto Europæ tam peculiaria; quàm palmas & Sycomoros & alias Syriæ & Ægypto: non quod his nulla pyra fuerint; nam præter *Syriaca*, etiam *Alexandrina* nominat Plinius l. 15. cap. 15. ſed quod rara, nec fortè in ſylvis. Sed viderint doctiores. Addam tamen nonnulla. 1. Nomen *Pyrus*; *pyrum*, Græcam originem indicat: πῦρ ignis eſt, à בער *Baàr* ardendo, unde noſtrum Brennen/ & Feuer. Retinent noſtri, Biren. Notatio ſumpta *à figurâ*: quæ pyris *turbinatior*, ut Plin. 15. cap. 15. & quaſi Pyramidalis. Malim tamen dici *Pyrum* ἀπὸ τοῦ πυροῦ à *frumento*, aut πύρνου, id eſt, *edulio*, *alimento*; undè Theocrito πυρναῖον quod edule eſt: Hebræi בר *Bar* dicunt, undè *Far*. Nam pyra 2. & inter cætera poma prima ferè in cibos venerunt, & cocta, aut ſiccata maximè laudantur. *Argivorum pueri quibusdam feriis, per jocum ſe* βαλλαχράδας *appellabant: quod ſub Inacho pyris ſylveſtribus victitarint; & tùm primum Græcis in Peloponneſo, pyra cognoſci cœperint undè & illa Apia Terra à pyris*, Plutarch. in Quæſt. Græc. 51. Quæ confirmant, Syris pyra olim non fuiſſe familiaria: quare cum Inacho in Peloponneſum traducti, cùm novo cibo adſueſcerent, *Bar* Syriacè appellârunt. *Vino & aquâ coquuntur, atque pulmentarii vicem implent*, Plin. l. cit. & lib. 23. c. 7. *decocta mire ſalubria dicit & grata.* In ſole areſacta, Birenſchnitz / oder Spältlein / *biemis temporibus, non minùs ac ficus aridæ, cibaria ruſticorum adjuvant*, Columella l. 12. cap. 14. *Fit & vinum de pyris: quod hieme durat, primâ æſtate aceſci*

Palla

lladius in Februar. cap. 25. Id quoque largiùs
mptum inebriat: ipſe porcos vidi, devoratis
acibus, poſt preſſuram reſiduis, ebrios, miros
:diſſe ludos. Cruda tamen pyra noxia ſunt, *one-
ſa etiam valentibus*, & quædam ſtrangulant. Un-
è Proverbium: *Tam facilè, quam Vulpes pyrum
meſt*, & illud Scholæ Salernitanæ - *ſine vino ſunt
ra virus*, de quo vide ibidem doctiſſimum Inter-
retum Renatum Moreau, p. 545. &c. Denique 3.
pion dictam pyrum, ὡς ἥκιςα πίνουσιν, vel *quod lo-
s ſiticuloſis naſcatur*, unde & ὄχνη dicta ſit quaſi
χόη, ut habet Etymolog. quanquàm hanc ratio-
em ſecuti videantur Græci illi, qui *Becbaim* ver-
:runt Ἀπίους, ut dixi; nugæ meræ. *Pyra ſolo ju-
antur irriguo, &, ut genus hoc arboris proficiat,
requenti humore, & aſſiduis foſſionibus colendum eſt*,
alladius l. cit. Quare ſi πίνω Ἄπιος, oportet ut
llpha illud non ςερητικὸν ſit, ſed ἐπιτατικόν. Nam
x comeſta pyra potum deſiderant: juxta vulga-
um illud;

Cum pyra manducas pro conſuetudine ducas,
Ut citiùs potes, quicquid habere potes.

4. *Species* tàm multæ, ut neque numeros con-
tet neque nomina, vide Plinium, Columellam,
Macrobium; adde & Athenæum l. 14. inter recen-
iores inprimis Portam. *Prima adventu decerpique
roperantia, Superba ideò dicta ſunt: parva ſed ocyſ-
ſima*, Plin. l. 15. cit. Zuckerbirn / Muſcatellerbirn.
mago Φιλαύτων & præcocium ingeniorum. Sed
*ſerotina in hyemem usque ad matrem pendent gelu
matureſcentia*, ſervarique diutiùs poſſunt, Ibid. Præ-
coces ſunt ὠκύμοροι.

Ut pyra mox pereunt nimium properantia carpi,
Ingenium præcox dulce, peritque cito.

Quare *feſtina lenté.*

Ut pyra, quæ durent, ſerò de matre recedunt:
Sic hiemem præcox vix feret ingenium.

Illud omittere non libet Horatii *de Pyris Calabri hoſpitis*, l. 1. Epiſt. 7. nam, quia Calabri hoc fructu abundant, valde ſibi liberales videbantur, ſi pyra ad nauſeam usque & vomitum conviviis apponerent, hortarenturque & devorare largiter & domum abſportare; addito etiam verborum lenocinio, quo donum commendarent, elegantes homines & urbani: ſe tanti pyra facere, ut niſi auferant, paullò poſt porcis relinquenda ſint. Ita, inquit,

Prodigus & ſtultus donat quæ ſpernit & odit.

Digna dignis! ſtultè liberalitatem oſtentat, qui dat, quæ nolit accipere.

Dignis digna dato: Calabri non more coloni
Da pyra; mox porcis objicienda tuis.

5. Redeo ad *Morum*: 1. Maccab. 6. v. 34. *Elephantis oſtenditur* αἷμα ςαφυλῆς ϗ μόρων, *ut acuantur in prælium. Sanguis mororum*, ſuccus eſt ille ſanguineus. Quæritur, *quomodò oſtenſus? quo fine & effectu!* Valeſius in S. Philoſoph. cap. 82. oculis tantùm objectum fuiſſe putavit. *Sic in Hiſpaniâ* inquit, *qui tauros agitant, rubris induti veſtibus proſiliunt, ut irritent. Frivolis*, ait Seneca, *turbamur, & inanibus. Taurum color rubicundus excitat: ad umbram aſpis exurgit: urſos Leonesque mappa proritat*, de Irâ l. 3. cap. 30. At Serarius vinum rubrum & ſuccum mororum *in potum præbita* diſputat.

. Quod 3. Maccab. cap. 5. v. 1. & 30. Elephan-
s legamus, *vino mero, thure copioſa temperato,*
rgiùs potatos *efferari* ſolitos. 2. Quod Ælianus
cat; *Elephantis pugnaturis vinum, non modò ex*
vis, ſed etiam ex oryzâ factum, propinari, Fullo-
us nuperus & doctus interpres conjungit u-
mque ſententiam. Mihi prior placet, ut ſim-
cior & textui propiùs accedens. Vino poto,
æſertim addito *thure, quod largiùs hauſtum ma-*
am adfert & interficit, Dioſcorid. 1. cap. 70. effe-
ri Elephantos, certum eſt. Sed neque rubro
ous eſt; neque mororum ſuccus naturâ, ad in-
mmandum quicquam opis adferet. Denique
ni meri hauſtus non illicò operatur furorem, ſed
intervallo. At inter ipſa prælii initia rubro co-
re confeſtim irritandi erant Elephanti. *Quo-*
odò id fiat? bene docet Valeſius, quem vide.
ovi ipſe, qui conſpecto ſanguine ſtatim defice-
nt animi deliquio: ita iracunda & ſanguinis ſi-
ntia, aut eum metuentia, animalia, hoc colore
jecto phantaſiæ, ad vindictam provocantur.
d & *candidâ veſte in rabiem agi Elephantos*, au-
r eſt Plutarchus de Fort. Alex. orat. 1. objectum
im viſibile, candore excellens ſenſum afficit ve-
menter, terretque & ſpiritus concitat. Idem
utarchus monet mulieres, ut iis abſtineant,
ibus mariti irritari poſſint: *Nam & qui Ele-*
antos tractant, ſplendido, & qui Tauros puniceo
ſtitu non uti: & Tigres, tympanorum circum pul-
torum ſonitu, ita in rabiem agi, ut ſe ipſas diſcer-
ant, in conjug. Præcept. Denique Sanctii in 1.
accab. l. c. ſingularis opinio eſt: *non efferari* vino

 rubro

rubro conſpecto has belluas, *ſed animari: quod ita in memoriam iis revocetur, eo vini medicamento morbos ſuos ac vulnera ſæpiùs fuiſſe curata: hâc enim medicinâ uti ſolere Indos*, ex Æliano lib. 13. cap. 7. Sed qiud mororum ſanguine fiet? & quid ſi Elephanti hoc remedio non antè uſi? Cùm ſatis certa habeamus, incerta perſequi quid attinebat?

6. Seges hinc variorum Emblematum. 1. *Opinio terret!*

Frivola perturbant animos. Ita ſanguine mori,
In rabiem Barri ſæpè feruntur agi.

2. *Irritare cave:* non eſt placare ſuave: ut vulgato rhythmo dicitur.

Puniceis Barrûm qui tractat, veſtibus uti;
Irritare virum non ſolet uxor amans.

3. *Nondum uſque ad ſanguinem!* Hebr. 12. v. 3. 4. vide Locum.

In pugnam exacuunt Elephantos mora cruenta;
Et Chriſti nequeat nos animare cruor?

4. *Fac illis Domine, ſicut Madian!* Pſalm. 83. v. 8. Judic. 7. v. 22.

In rabiem & cædes hoſtes omtio vertit:
Tigridas ut bombis Tympana pulſa ſuis.

5. *Fide & ſimplicitate!*

Ut rubor & candor Barros; ita Dæmona terrent
Sanguine tincta Fides, puraque ſimplicitas.

7. Addam alia: ut 6. Sericei velleris gratiâ, ut ait Porta, crebra ſunt mororum hodiè in Italiâ plantaria. Hinc Chryſoſtomus in Catenâ Luc. 17. v. 6. *Quemadmodùm mori foliis vermes nutriuntur;*

ſic &

c & *Diabolus per technas ſuas & inſidias ſeculi altior xiſtit*, *vide* cap. præced. num. 6. Aliter Ambro- us in Lucam. l. c. *Mori fructus primùm albet in flo- e, deindè jàm formatus irrutilat, maturitate ni- reſcit: ſic Diabolus ex albenti angelicæ flore naturæ, & poteſtate, rutilante prævaricatione dejectus, tetro nhorruit odore*, forte potius nigrore, *peccati*. Sic lli per συκάμινον arborem apud Lucam, Diabo- um myſticè intellexerunt. Eſt autem Morus Græcis eadem μορέα & συκαμινέα, Dioſcorid. Græcis etiam μορίαι Sacræ Minervæ oleæ, autore Seleuco in Etymolog. cit. Μόρος verò *mors*, à μείρω, ut σπόρος à σπείρω, ibid. hinc fortè Μόρος, propter colorem nigrum & ſuccum cruentum, morti Sacra. Undè fabula illa Babylonica, vide ſuprà num. 3. Quæ notatio cum Hebræo *Bachà* ſatis concinit. ibid. Arabes תות *thuth* vocant, Serap. cap. 132. & Hottinger. At Hebræis טיט *tit lutum*. Species duæ, alba & nigra. *Sapiens arbor* dicta, quod ſerò germinet, & inter primas fructificet, vide Plinium & Alcitat. Pulchrà Paſ- ſeratius.

Sit pudor inſanis, Morus ſapit: *illa doloſo*
Nil temerè credit Zephyro: nam veris adulti
Jam certum exſpectans ſolem, non germinat antè.
Frigoris infeſti quàm cuncta receſſerit aura,
Tùm floretque viretque ſimul, longæque rependit
Damna moræ, atque unâ totam ſe nocte profundit;

Indè ait *Prudentiæ* Sacram eſſe, Sit nobis imago Crucis. *Hinc veſcor & veſtior!*

E moro paſti nent ſtamina ſerica vermes:
Me cibat & veſtit mors tua, Chriſte, ſimul.

Jam,

Jam, 7. *Tardè conſulta, propere rem gere.* Delibe-randum diu, quod ſtatuendum ſemel eſt,

Tarda viret, fructus properat mox edere morus;
Conſilio tardus, promptus & eſto manu.

8. *Dubios prænoſcite caſus!*

Proſpiciens hiemis differt ſe exponere morus;
Qui ſapit, exſpectat tempus, & ante videt.

9. *Tres humanæ vitæ ætates.*

1. *Flore albet, rutilat creſcens, matura nigreſcit*
Morus & ætatum tempora trina notat.

2. *Mora, ut acerba, & acuta dein, ſunt dulcia tandem,*
Fit ſenſim humanum mitius ingenium.

Mneſteus apud Portam: *Mori germinatio ſera, maturatio cita. Diu enim vires colligit, inde virium collectarum impetu facto, tam celeres progreſſus ad germinationem facit ut ſonitum facere videatur. Fructus ſtatim ab ortu candidus, mox rubens, cum maturuerit ater: ſic ſuccus primùm acerbus, deindè acutus, tùm dulcis,* &c.

CAPUT XXXVII.

De Hadàs Myrto.

1. SExies legitur hoc vocabulum, quod myrtum ſignificare plerique conſentiunt. 1. Inter feſtas frondes, quas in Scenopegiis geſtare mos fuit Nehem. 8. v. 16. ubi LXX. habent φύλλα Μυρσίνης, de quo loco ſuprà c. 2. num. 25. 2. Eſai. 41. v. 19. & 55. v. 13. ubi illi: ἀντὶ τῆς κονύζης, vel ἀκαλήφης, μυρσίνη: quaſi dixerit, *pro urticâ myrtus:*

Pro-



MYRTUS.

roverbium de fortunâ in melius mutatâ, de qui-
us locis actum cap. 4. num. 1. & 11. Denique tribus
cibus Zachar. 1. v. 8. 10. 11. Qui locus ſupereſt
xpendendus. Videt Propheta 1. *Ducem*, non
lexandrum Macedonem, ut voluit Arias Monta-
us: nec Michaëlem, aut Gabrielem, Eccleſiæ Tu-
larem Angelum, de quo & pro quorum iſta al-
ro pugnant Ribera, Caſtrius, Sanctius, Cornelius
Lap. quos vide; ſed ipſum *Dominum & Salvato-
m*, Eſa. 63. v. 2. Pſalm. 45. v. 4. 6. Apoc. 6. v. 2.
19. v. 11. 13. Sic Hieronymus, Cyrillus & alii,
uos citant, *Eccleſiarum magiſtri*, ut & Hebræi apud
alatin. l. 3. cap. 24. Ejus deſcribitur 2. *Equitatus*;
det enim *in equo ruffo*, ut ſe indicaret eſſe ἐμ-
πειροπόλεμον, καὶ εἰδότα τὰ τακτικά, Cyrill. Exod.
5. v. 3.

Bello armantur equi, bello hæc armenta parantur.
olor vel *ſanguinem ejus* ſignificat, cujus vi & me-
to ſemper debellavit hoſtes Eccleſiæ ſuæ, ut Za-
har. 9. v. 11. Apocal. 19. l. cit. vel *iracundiam*, ſan-
uinem hoſtium jam jam effuſuri, ut Cyrill. & Eſ.
3. l. cit. 3. ſequitur *ſitus*: ſtabat enim *inter myrteta*
ἐν μέσῳ μυρσινεώνων, etſi Lxx. habeant *inter duos
ontes: in profunda valle*. Additur denique 4. *comi-
tus*, equitum Angelicorum ala, Eccleſiæ auxilia-
s; ſed hæc jam non ſunt hujus loci quæ apud In-
rpp. legi debent. Tota viſio Conſolatoria eſt. Ar-
umenta ducuntur *à Dei præſentiâ*, juſtaq; in hoſtes
cclesiæ ſuæ iracundiâ; *ad Angelorum*, pro Dei po-
ulo excubantium, *frequentiâ* & induſtriâ; & *à pa-
rnâ Dei*. intercedentis Filii intuitu *benevolentiâ*.
Dulciſſima imprimis Eccleſiæ cum Myrteto com-
aratio, de quâ ſtatim.

2. Undè

2. Undè nomen *Hadàs* acceperit, & Græcum μυρσένη, velut apud Galenum μοῤῥίνη, neſcio an quis explicârit? Nam quod Radix *Hadas* ſignificet, *ſaliit*, aut *feſtinavit*, Thalmudicis; neſcio quomodò convenire debeat? *Edeſſam* Syriæ & *Edeſſam* Siliciæ urbes *à myrtetis* dictas docet Bochartus in Canaan p. 602. & hoc cognomen fuiſſe Eſtheræ plerique ex Eſth. cap. 2. v. 7. Eadem eſt *Atoſſa*: veriſimiliter *à pulchritudine*: undè & Arabibus, Æthiopibus, Thalmudicis טוס *thus* & Græcis ταώς, ταῶν, pavo, avium pulcherrima. Undè proverbium in floridè veſtitos: πόθεν ὁ ταὼς οὗτος; *undè nobis hic pavus?* apud Lucian. in Nigrino. *Pulchram alitem* vocat Panegyriſtes Maxim. & Conſtant. *Pavonum formoſum gregem*, Phædrum dixiſſe notum, fab. 4. Neque abludit Syriacum טס *thas*, quod *auri bracteas* ſignificat: undè nomen *Thaſo* inſulæ, Bochartus pag. 425. Quomodò pavo P. Syro.

Plumato amictus aureo Babylonico:

Nam qui ταὼς derivant ἀπὸ τῆς τάσεως τῶν πτερῶν, *quod pennas* laudatus *expandat*, puto nugari. Neque inſolens, unius organi literas, *Daleth & Theth*, permutari. *Hadaſſam* igitur & *Atoſſam* crediderim dictam *Venerem*, pulchritudinis & Amorum præſidem Deam. Quam & Romani *Murtiam*, id eſt, μυρτίαν dixere, Plutarch. Quæſt. Rom. 20. Eodem ſenſu *Eſthera* dicta; quod nomen Perſis, Græcis, Latinis & nobis *aſtrum*, ſtellam, einen Stern / & per ἀντονομασίαν, Veneris ſignificat. Arabibus tamen Myrtus, *As* dicitur, ut apud Serapion. c. 92. & cum articulo *Alas*. Sic Chaldæus interpres Es-

theram

eram ait dictam *Hadaſſam*, id eſt myrtiam, *quod ſta fuerit: juſtos enim comparari* לאסא *Laaſa my-o*, nempè apud Eſaiam ll. cit. ut Bochartus cit. p. 2. *Aſa* autem Syris dici potuit myrtus à medicinâ de Schindler. in אסה *Aſah*. Et indè fortè per ... ϑεσιν ſervilium literarum *Hadaſſa*. Sed hæc do-ioribus relinquo, qui judicabunt quoque annon μύρτ☉ μύρτον, ut apud Nicandrum & ejus cholia ſten, ut & μυρσίνη, ab Hebræo fonte? quaſi catur *Moraſa*, myrrhina myrtus, aut ab *amaritu-ne*, undè & *mare* Latinum, & μύρον *unguentum*, x cauſis mox dicendis: ſivè à principatu *Mare* Sy-s *Domina*, undè *Martha*.

3. Eſt autem *myrtus* inter arbores, quod *roſa* in-r flores: *utraque Sacra Veneri, propter eximiam ul-hritudinem. Quare apud Eleos in Templo Gra-arum ha Veneris Comites ſtabant; una roſam, alte-talum*, propter luſus juvenum, *tertia myrti fron-em manu geſtantes*, Pauſan. in Eliac. poſter. l. 6. on procul à fine.

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Jaccho,
Formoſæ Veneri myrtus, ſua laurea Phœbo.

Multa de myrto Plin. l. 15. c. 29. nos ea breviter babimus, quæ huc ſpectant. *Species* variæ: Cato ecenſuit *nigram*, *candidam*, & *conjugulam* dictam: uæ fortè *Tarentinæ*, *Exoticæ*. *Noſtrati* dictæ apud Plin. reſpondent: prior *golio minuto*; poſterior, quam putat dictam conjugulam, aut conjugalem, *atulo*; media *denſiſſimo*, *ſenis foliorum verſibus*, &c. Eſt & alia *ſativa*, alia *ſylveſtris*. Hæc humi-ior frutex; illa culturâ in arborem quodammo-

dò

dò adoleſcit: quæ tamen neglecta in fruticem re
dit *Baccæ* colore differunt, & odore. Ex nigris f
vinum ſimile, & ex albis album. Si non ſiccentur
gignitur oleum, cui etiam vini Sapor quidam, &
ſimul pinguis liquor ineſt. *Odoratiſſima* eſt in Æ
gypto: ſpirat autem gratum odorem foliis & *flo*
ribus; è quibus, his maximè, ſtillatitius liquor eli
citus ſuavè redolet. Ripis & marginibus aqua
rum litoribusque lætatur, ac humidis umbroſisqu
vallibus: frigidis tamen locis non ſolet manſue
ſcere; itaque nulla in Olympo, nulla in Ponto pro
venire potuit, quanquàm ſummo ſtudio, vel reli
gionis causâ, conſita. *Litora myrtetis gratiſſima*
- lotos aquas, litora myrtus amat. Circa Bosphorum
Cimmerium, in Panticapæo urbe, omni modo labora
vit Rex Mithridates, & cæteri incolæ, ſacrorum ce
tè causâ, laurum myrtumque habere: ſed non con
tigit, Plin. 16. cap. 32. Gaudet arbor crebro re
purgatu, & in proceram altitudinem excreſcit
ad texile vaſculorum opus utilis, vide Portam l.
cap. 29. ubi ex Didymo: *Lætiore comâ virebit, ub*
rioremque fructum pariet, ſi comes roſæ conjung
tur: & cum myrto roſa conſortium iniens fructuoſ
emicabit, &c.

4. *Cur Eccleſiæ Judaicæ imago oſtenſa fuerit*
Myrteo Prophetæ? & *quomodò juſti myrtis ſimiles*
prolixè exſequitur Cornel. à Lap. ſed, dùm ſibi n
mium indulget, ſatis coactè. Si textu inhære
mus indicatur Eccleſiæ conditio, qualis tùm fu
rit in Babylone 1. *ratione ſui*. Non malè Sanctiu
cùm captivitatem irent Judæi, ſimiles fuiſſe *fa*
cibus maris & frugiperdis, Pſal. 137. v. 2. ſed p

pœn

enitentiam evaſiſſe *ſimiles myrtis*. Inter tot per-
:os reprobos, ſupererant piæ reliquiæ. Eæ, qui-
is electa conſtabat Eccleſia, comparantur myr-
:o 1. *propter perennem viriditatem*, quod ne qui-
m ſæviſſimâ iſtâ hieme virorum amiſerint, Plin.
5. cap. 20. Pſalm. 1. v. 3. Jerem. 17. v. 3. Deindè
propter venuſtatem, undè & roſæ comparatur
ccleſia, Cant. 2. v. 2. Grata autem myrtus non
ntùm *foliorum* virore; ſed etiam *florum* odore
accarumque ſapore, quo etiam vina imbuta com-
endantur: undè *myrtidanum* Plinio, quod Græ-
s *Myrtites*, & *Myrſinites*. Ipſa varietas delectat
peciērum. Et eſt quoque in Eccleſiâ alia quaſi
yrtus Nigra, quæ in medicinâ maximè laudatur,
t docet Dioſcorides: prodeſt ſuccus baccarum
ontra phalangii morſus, & ictus ſcorpionum, ocu-
orum inflammationes lenit & ulcera ſanat deco-
tum jus, capillos fluentes continet &c. Dioſcor.
z Plin. 23. c. 9. Quæ *ad Chorum*, ut ajunt, perti-
ent, & verbi divini efficaciam ſignificare poſſunt.
Eſt & *alba*, topiariis & ſepibus utilior; quæ deno-
are poterit ſtatum Politicum, variaque Pacis & Bel-
i munia: nam myrtus arte Topiariâ in varias for-
nas hominum, equitum, peditum, animalium item
& avium effingi ſolet. Eſt denique etiam *Conjugu-
la*. Hæc nomen accepit ab eventu: *Quippè ita tra-
ditur; Romanos Sabinosque, cùm propter raptas vir-
gines dimicare voluiſſent, depoſitis armis, purga-
tos verbenâ myrteâ, eo in loco, qui nunc, ut ait Pli-
nius, Veneris Cluacinæ ſigna habet. Cluere enim an-
tiqui purgare dicebant. Et hæc verbena ideò tùm ele-
cta, quia conjunctioni, puto conjugio, & huic arbori*

Venus præeſt, l. 15. cap. 29. Sic in antiquiſſimis Qu-
rini, hoc eo, ipſius Romuli delubris *Sacræ fueru*
myrti duæ, altera Patritia, & altera Plebeja dictæ: f
tidico quodam & memorabili augurio: nam quo tei
pore vel Senatus vel plebis autoritas Romæ præv
luit, aut eviluit; eodem alterutra vel florebat, v
langueſcebat, Ibid. ſed in Domo Dei utraque co
juncta æquè floret, Pſalm. 92. v. 14. quia utramq
Deus æquè ordinat & curat, Rom. 13. v. 1.

5. Tale igitur myrtetum quoque fuit Eccleſ
Babylone captiva, reſpectu ſui: ſed & 2. *ratio*
DEI; Sacra habita fuit myrtus *Veneri*, Sacra qu
que *Baccho*. Nam & hunc Ariſtophanes dixit fe
re σέφανον Μύρτεον, & illa myrto ſe coronavit, q
tempore ad judicium de formâ, cum Deabus ce
tatura, profecta eſt, ex Nicandro, vide Meur
arboretum. Sed & Minerva chara fuit, propt
Myrſinen Atticam puellam, quæ ab æmulo juven
quem curſu ſuperâret, interfecta, in hanc muta
arborem fingitur. Quæ fabula ex Hebreo voc
bulo, *Hadas ſaliit*, enata eſt. Logi ridiculi! Eſt t
men inde mos in Sacris, ut Verbenis myrteis a
luſtrationes uterentur, coronis his capita re
mirent, cingerent --*feſtâ frondentia myrtô Lin*
na inprimis in ſolennibus nuptiarum, cujus gen
ris multa Athenæus habet, & exindè Porta, Meu
ſius &c. Nihil Deo Vero & uni gratius myrte
ſuô, vide Eſ. 62. v. 3. 4. 5. Hebræi in Zachar. l. c.
apud Hieronym. *Myrtos intelligi volunt Prophet*
& Sanctos. Hac redimitus coronâ in cœlos a-
ſcendit *Ovans* Deus noſter, Pſalm. 68. v. 18. & j-
ſto tamen Triumpho, ut decebat fuſo tàm copio
ſangu-

nguine: neque enim, qui ſolo *Amore* vicit, aliâ
iam *Amoris coronâ* redimitus eſſe debet; *de O-*
ntibus vide Plinium l. c. A Gellium, & alios. *De*
ronâ Naucratito myrteâ, & Veneris miraculo, le-
da narratio eſt Polycharmi apud Athenæum
. 15. *Heroſtratus Olimpiade 23. Naucratin Pa-*
iam ſuam repetiturus, Veneris imagunculam in
pho Cypri emit. Ortâ mox tempeſtate, qui in ea-
m navi erant, omnes ad eam confugerunt, Deæ Sa-
tem ſuam commendantes: adfuit invocantibus
icò propitia, totiusque navis ambitum myrtis viren-
bus complevit, odore ſuaviſſimo nauſeâ laborantes
creavit, ſolem reduxit. Reverſus domum Hero-
ratus, ſimulacrum Deæ & myrtos in Veneris æde de-
icavit, evenitque ut hæ novo miraculo ſtatim revi-
erint, &c. Quam hæc ſimilia hodiernis miracu-
s; & poteſt hæc narratio de multis monere atten-
um: Hoc verò Dei miraculum eſt perpetuum,
uod navim Eccleſiæ ſemper recentibus myrtis
oronat, easque virentes conſervat. Supereſt
militudo 3. *ratione Loci.* Nam & tùm *in profun-*
a valle, ad aquas Babylonis captivi reſidebant:
x ſemper Eccleſia militans, donec in Montibus
Dei triumphet, verſatur *in valle lacrymarum.* In
Laconiâ non procul à Maléæ promontorio urbs
ſt, à conditore Herculis filio, Bœa dicta. Is illò co-
oniam deduxit duce Lepore; nàm oraculum erat;
Dianam oſtenſuram, quo loco urbem fata condi
vellent? Leporem ergò conſpectum ſecuti exules,
ùm ſub myrtum ſe recepiſſe conſpicati eſſent, eo
oco urbem muniverunt: Myrtum deinceps co-
uerint, Dianam Servatricem celebrantes, Pau-

ſanias in Lacon. Nos ad myrtetum hoc Domini confugiamus, - *Sedes hîc Fata quietas oſtendunt.*

Ad Babylonis aquas myrtetum, in valle profundâ,
Eſt ſtatio, Chriſto præſide, fida piis.

Nusquam præſentior æther! Eſa. 57. v. 15.

Angelicis tuta excubiis ſtat myrtea ſilva;
Dignatur celſam nec Babylona Deus.

Apud Trœzenios *myrtus* reperta *perforatis foliis*: negabant ſic natam; ſed, quòd Phædra, Hippolyti amore furens, crinali acu perterebrans folia, inſaniam interim ſuam oblectârit, indè vulnera hæc retinuiſſe. *Saucius omnis amans,*


Pertuſis creſcit foliis Trœzenia myrtus:
Sic ſtulto inſanus pectore ſævit amor.

Meminit Pauſan. in Attic. & Corinthiac. Denique per *Myrtum & Roſam* conjunctas pulchrè exprimi poteſt, *Bonorum ſocietas.*

Ceu myrtus ſociata roſæ fœcundior exit;
Fit melior ſocio mens bona juncta bono.

Pro Epithecâ: Hieron. Lauretus *Myrtetum* Zacharianum notat deſignare *S. Scripturam, in qua latet Chriſtus*, ex Ruperto. Quod de *Myrteo unguento* ibidem addit ex Eſth. 2. v. 12. mendum eſt in quibusdam Codicibus Vulgatæ verſionis. Nam in fontibus eſt *Schémen Hammor*, id eſt, *unguentum myrrheum.*

CAPU



OLEA SATIVA.

CAPUT XXXVIII.

De Zaith, Oleâ.

DE *oleâ & oleo*, tàm multa ſunt S. Scripturæ dicta, ut ſi quis, non dico omnia, ſed tantùm pleraque velit explicare, volumen itis grande poſſit conficere. Quare compendio tar, & *Oleam Sacram* per Topica deducam, Saraque profana mixtim ſpargam.

Incipio *à Nomine:* quod Germani Latinique à Græcis acceperunt. Undè verò Græcis ἐλαία, vel λαὶς, quod Minerva primùm impoſuiſſe dicitur, erivetur? variæ Grammaticorum conjecturæ unt, vide Etymol. M. quas referre non eſt operæ pretium. Mihi nomen è Phœnice ortum videtur, indè & olea. Notum eſt nomen DEI Phœniium *Elion*, ἐλιοῦν Philoni Byblio; Heſychius, ἐλαιοῦς, el ἐλαιοῦν potiùs, ἐν Κύπρῳ ὁ ζεύς. Indè Pœnoum *Alonim & Alonoth* Dii, Dea. Sic ab *El* Deus, *Elah*, Dea; indè ἐλαὶς, divinum quaſi donum. Sic Syrorum Deus ἐλαιαγάβαλος, *Heliogabalum* Græci dicunt, quaſi dixerit *Deus creator*. Sic apud Heſychium, Ἀθῆναι, ἡ ἐλαία, potiùs Ἀθηναῒς. Quod nomen cum Syriaco & Arabico *Zaithunà* ex Hebraico *Zaith*, bene concinit: ut *olea* à Deâ repertrice ἐλαία, & *Dea* viciſſim ex repertâ oleâ, Ἀθήνη, nominatæ fuerint. De ipſo *Zaith*, nihil habeo quod dicam. Arabibus, Syris, Chaldæis, Æthiopibus commune eſſe docet D. Hottingerus: Pœnis uſitatum quoque fuiſſe, nomen urbis *Auzate*, in Lybiâ ab

Ithocalo conditæ, quæ & *Ilzita*, ab olivetis dicta
indicat, Bochartus p. 529. In Græco κότινος, quo
ἀγριελαίαν ſignificat, veſtigia Arabici *Zaithon*, ve
Caiton, ſuperſunt. Radicem oportebat eſſe *Zùth*
alioquin non abluderet verbum אזח *azàh* incendit
nec סות *Suth*, incitavit, neque *Zythum*, potus ex
aqua & hordeo Ægyptiorum: & proximè accedi
Hebraicum צית *Zith*, ſuccendit, aut יצת *jazath*
flagravit. Oleum Camino addere, Proverb.

2. *Cauſa efficiens prima*, ſivè ſator datorque olea
Deus celebratur. Eſa. 41. v. 19. *Dabo*, inquit, *in de
ſerto Ez Schemen*, ubi Vulgatus: *lignum olivæ*, d
quo ſupra cap. 3. num. 33. & cap. 4. num. 5. Et a
pud Oſeam 2. v. 5. cùm Idololatriæ Diis ſuis adſcri
berent *Schémen* oleum, v. 8. contradicit Deus, ſe
& dare, & auferre ingratis ait, *hajizhar* oleum, d
quo plura In Oleo. *Miniſtri* ſunt cultores, ἐλαιῶν
quibus procuratores Regii præfecti, 1. Paralipom
27. v. 28. Gentes etiam profanæ Dei munus eſſ
agnoverunt, - *oleæque Minerva Inventrix habit*
fuit: quæ poſt diluvium *primam Athenas in Acropo*
excitaverit, eoque pignore dato vicerit Neptunum
quâ de re diverſas tabulas recitavit Porta Neapoli
tan. in Oliveto ſuo, ſivè lib. 6. Villæ, cap. 2. Orig
nugarum ex S. hiſtoriâ Gen. 8. v. 11. de quâ dein
ceps. vide Auguſtin. de Civ. Dei l. 18. cap. 9. & 10
& ibid. Vivem ac Coqueum. Athenienſes cùm Pi
raticam exercerent terræque optimæ ac fertiliſſi
mæ culturam negligerent, hac fabulâ ſivè ab Ægy
ptio Cecrope, ſivè ab alio Rege ſucceſſore ejus
admoniti ſunt, ut Pacis præferrent ſtudia & artes.
Pax una triumphis innumeris potior.

Neptu

Neptuni prælata fero cur Palladis arbor?
Cedant arma togæ; Pax bona cuncta parit.
us olei, quàm vini! Demoſthenis apophthegma
Artes cura vigil nocturno diſcit olivo: (eſt.
Hinc doctæ nomen Palladis arbor habet,
x Marciano Capellâ.

3. Colligi hinc poteſt, *quandò coli cœperit olea,* leumque exprimi. Tarquinio Priſco regnante ecdùm ullam *in Hiſpaniâ, Italiâ, Africa*, fuiſſe ex eneſtellâ, refert Plin. l. 15. c. 1. Ab anno U. C. 83. coli cœpiſſe, quo tempore Nebucadnezar renabat adhuc Babylone, Amaſis in Ægypto, Phaaris Agrigenti. Si *Cecrops ex Ægypto Athenas* attut, conſequens eſt, ut coli cœperit in Græciâ, quo empore Moſes adhuc in aula Pharaonis fuit, ante ugam in Midianitidem. *Ægyptii* Mercurium ſuum radunt docuiſſe rationem exprimendi oleum; pud Diodorum Sicul. l. 1. c. 17. & ſeqq. ubi refert, *Oſiridem* cum exercitu adiiſſe varias gentes nationesque ut terræ culturam edoceret, & à belluinâ vitâ ad humanam eas aſſuefaceret. Memorant etam Græci olei inventorem *Ariſtæum*, qui ut habet Oppianus Cyneget. 4. v. 268. primus, inter alia reperta,

Fructus agreſtis pinguisque expreſſit olivæ.

Docuitque culturam & κατεργασίαν hanc in Eubœâ, Ceo, Thebis, unde à canibus interfecto filio Actæone, in Sardiniam & tandem Cumas venit; dictus deò *Jupiter Ariſtæus & Apollo Agreſtis*, Apollonii Scholiaſtes, Servius in 1. Georgic. &c. vixit ille paulò poſt Cadmum, cujus filiam Autonoën in matrimonio habuiſſe, Bacchumque educâſſe fertur; anno à Moſis exceſſu ferè 40. Fugit autem *Cadmus* è

Phœnice, quo tempore Cananæi, pulſi à Joſuâ, novas paſſim ſedes quærere coacti fuerunt. Ita ergò in Europam olei uſus, ut alia, ex Phœnice & Syriâ vicinâque Ægypto translatus eſt. Prima oleæ memoria apud Moſen extat in hiſtoriâ diluvii, neque dubium eſt ex Armeniâ in Chaldæam, & indè in Syriam ejus culturam à Patribus traductam: in benedictione Jacobi *cum frumento & vino, oleum* jungitur, apud Vulgatum Interpretem, Gen. 27. v. 28. & 37. atque illo profugus oleum quoque ſecum è patrio ſolo extulit, cap. 28. v. 18.

4. Quod David præfectos conſtituit, qui publicas curarent oleas, imitati videntur Athenienſes; Μορίας vocabant oleas publicas, quas ſi quis in fundo ſuo, propiùs admoto aratro, viſus eſſet attigiſſe, mulctabatur; qui verò truncaret, aut effoderet, Sacrilegus habebatur, dirisque devotus patriâ fortunisque carebat; ut ex Lyſiæ Orat. 6. *de Sacra olivæ trunco*, apparet. Ea cura ſpectabat ad γνώμονας, qui quotannis viſitarent. Sacræ erant Minervæ; Heſychius & Suidas, & in Tutelâ Jovis Μορίας dicti, apud Sophoclem in Oedipo Coloneo. Hinc Paſſeratius.

- - Stirpi tanta eſt reverentia Sacræ,
Numina nulla ſuis uri ut patiantur in aris;
Exigat & pœnas uſu polluta profano: ex Plinio.

Fabulati etiam ſunt *Halirrhotium* Neptuni filium; cùm oleam Palladis, odiò ejus & invidiâ victoriæ, quam contra Patrem retuliſſet, exſcindere conaretur, ſecurim ſuis ſibi cruribus impegiſſe. *Epimedines* urbe Athenarum expiatâ, à Cylonio piaculo, cùm magnam cives pecuniæ ſummam offerrent, nihil

l aliud præter ſacræ oleæ ramum popoſcit, eo- accepto abiit, Plutarch. in Solone. - *Noli me gere!* Pſal. 7. v. 15.

Se lædit, quicunque pios: oleæque ſecurim
Impactam illidit cruribus ipſe ſuis.

eſt pretioſior auro! Quævis terra alit artem.

Et Sacer argento prælatus ramus olivæ;
Et cæco potior docta Minerva Deo eſt.

5. *De materiâ ligni* ex Theophraſto Plinius: iem, vetuſtatemque non ſentit: rimam fiſſu- aque ſponte non capit. Præter oleam & olea- um omnia, in maritimis navibus, obnoxia tere- i. Indè minora ex radicibus olearum ſculpta ulacra. Epidaurii Delphico Apolloni, de ſte- tate ſoli ſui conqueſti, juſſi ſunt *Damiæ & Auxe-* ſimulacra erigere, & quidem *ex olea*. Eâ tem- ſtate nulla uspiam erat, præterquàm Athenis, tis olea. Indè ergò petere coacti, pactique nt quotannis ſacrificia Minervæ & Erechtheo ſe ſſuros. Itaque ſecerunt, jam fertiliore terrâ gau- ntes, usque dùm tandem iſta ſimulacra Æginetæ ſtuliſſent. Ea cùm Athenienſes repeterent, nec dibus ſuis amoliri poſſent, injectis funibus vi ahere cæperunt. Sed & horrendum intonuit, & rra concuſſa tremuit, actique in inſaniam, qui ahebant, ſe invicem trucidaverunt, *Herodotus* in erpſichore. Ita ludificabatur Diabolus ſuperſti- oſus. In Templo Salomonis, tùm alia, cum *duo berubini* erant, facti *ex lignis olivarum*, interprete ulgato, 1. Reg. 6. v. 23. & ſeqq. in fontibus ſunt ze *Schamen*, de quibus ſuo loco. Targum tamen i habet quoque *Zeithe*. Alii ligna *pinea* ponunt, vel

 Cupreſ-

Cupreſſina: moti fortè ſimulacrorum iſtorum giganteâ ſtaturâ; fuerunt enim decem cubitorum, ſive quindecim pedum. Sunt tamen oleæ ſativæ quandoque prægrandes, ut notat quoque Dodonæus; & *Schémen* Hebræis ſæpè oleum eſt: undè & noſtra D. Lutheri verſio habet; von Oelbaum-Holtz. *De his Cherubinis* varia diſputant Interpp. quæ collegit Corn. à Lap. in Exod. c. 25. Significâſſe *Angelos*, providentiæ divinæ adminiſtros, ex S. Scripturâ conſtat: nec malè Patres, *duo Teſtamenta* denotâſſe, quæ Arcam & propitiatorium obumbrant, *velando myſteria*, & ſe reſpiciunt, *conſonando*, Auguſtinus Quæſt. Exod. 105. Materia ligni, Dei miſericordiam indicat, de hac enim teſtantur. Pulchrè Auguſtinus, vel quicunque eſt, l. cit. *In arcâ juſſa ſunt poni, Lex, & manna, & Virga Aaron. In lege præcepta ſunt: Virga poteſtatem ſignificat; manna gratiam: quia, niſi cum gratiâ, non eſt poteſtas faciendi præcepta: Veruntamen quia lex à quovis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium eſt deſuper. Ad hoc enim opus eſt, ut propitius ſit Deus; & ideò deſuper ponitur, quia ſuperexaltat miſericordia judicio.* - Dei tegit indulgentia noxas.

Nemo adeò legem perfectè implevit, ad omnem
Juſtitiam indigeat quin bonitate Dei.

6. *Ad formam* pertinent *ſpecies & partium deſcriptio. Species* ſunt ἐλαία ἥμερος, mitis & *ſativa olea*, & κότινος ſivè ἀγριελαία, *Oleaſter*; meminit Apoſtolus Rom. 11. v. 17. 24. de quo in comparatis.

Nec pingues unam in faciem naſcuntur olivæ,
Orchites, & Radii, & amarâ Pauſia baccâ,

Virgil.

irgil. 2. Georg. & aliæ multæ differentiæ, ex
arione, Varrone, Columellâ. Plinio, &c. *Partes*
nt, *radix*, Rom. 11. v. 17. defigit autem olea
arvam, è quâ cæteræ ſe diffundunt grandiores,
contortæ, ſummo hærentes ceſpite, ex Theo-
hraſto: Hinc ſurgit *caudex*, quem & procerum
craſſum oportet eſſe alicubi, ut Cherubino-
um tàm grandia exindè fieri potuerint ſimulacra.
uare & *maximo intervallo ſeri præcipitur olea.*
uod tamen variatur locorum natura. Non alia
ajor in Bætica arbor. In Africa verò, fides penes
utores erit, miliarias vocari multas narrant, à pon-
ere, olei, quod ferant annuo proventu, Plin. 17. cap.
2. *Folia* habet ſemper virentia, Gen. 8. v. 11. Sic
d fretum maris Rubri ſitæ oleæ, etſi maris æſtu reci-
rocante toties invadentur, tamen omni tempore flo-
ent, Agatharchides apud Photium cap. 53. *Flores*
ecuſſi ſpem auferunt fructus, Job. 15. v. 33. am-
iunt enim fructum in medio incluſum, & ma-
efacti cum eo defluunt: ſe cùm cadivi appa-
ent quaſi perforati, tunc probè defloruiſſe ar-
umento eſt. *Nocet oleis nimia fertilitas:* ſolent-
ue largum florem induentes, perperam exuere;
ræſertim *cùm defloreſcentem vitem & oleam per-*
uſſit imber; quoniam ſimul defluit fructus Plin. 17.
. 25. De *frondibus* dixi ex Nehem. 8. v. 15. in Sce-
opegiis, cap. 2. De *Baccis*, quas Habacuc vocat
Maaſè Zaith, opus oleæ c. 3. v. 17. mox in oliva-
ione, ex Eſa. 17. v. 6. &c. differunt magnitudine,
x olei copiâ. *Magnitudine copiam non conſtare in-*
dicio ſunt, quæ Regiæ vocantur, ab aliis majorinæ, ab
aliis Phauliæ, grandiſſimæ, alioquin minimo ſucco;
Et

Et in Ægypto carnoſiſſimis olei exiguum: Decapoli verò Syriæ, perquam parvæ, nec Cappari majores carne oleo tamen commendantur, Plin. 15. cap. 3. Quantò plus carnis, tantò minus Spiritus & gratiæ, Galat. 5. v. 24. *Nuclei* denique in baccis, de quibus Vulgatus Baruch. 6. v. 42. de Virginibus Babylonicis, *quod ſederint funibus circumdatæ, in viis* ad Templum Veneris Milittæ, *ſuccendentes oſſa olivarum*: Græcè τὰ πίτυρα, furfures, de quo loco plura S. Analector. Volum. 1. p. 154.

7. *Finis, effecta*, & uſus ex *adjunctis* elucent. Inter ea principem locum tenet *utilitas*. Quâ de causâ, *cùm olim Dj, quas vellent eſſe in tutelâ ſuâ, legerent arbores*, placuiſſetque *Quercus Jovi, Myrtus Veneri, Laurus Phœbo, Pinus Cybele, Populus Herculi, Minervæ propter fructus gratior fuit oliva*: quoniam ut epimythion addit Phædrus, 56.

Niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria.

Eſt autem oleæ præcipua utilitas *in baccis*, & *oleo* expreſſo; ad cibos, unguenta, medicinas, lumina nocturna, & alia. *In cibos* veniunt baccæ carnoſiores. *Quam ob cauſam Italicis transmarinæ prælatæ cùm oleo vincerentur. Sale tamen condiuntur. Sunt & prædulces, per ſe tantum ſiccatæ, uvisque paſſis dulciores: admodùm raræ in Africâ, & circa Emeritam Luſitaniæ*, Plinius 15. cap. 3. De his tamen nihil invenio in P. Literis, nec *de conditurâ*, de quâ multa è ſuis autoribus Porta.

Oleum verò cibis pro condimento additum lautioribus ex Ezech. c. 16. v. 13. conſtat: ubi Deus ſe cibâſſe ait Populum ſuum, quaſi Regiam Virginem, *ſimilâ*,

ilâ, melle & oleo. De Mannâ locutum putant
haldæus & alii. Nec abnuo. Sed & illud ita præ-
rabant, ut *tortulæ,* quas vocat, Vulgatus, ἐγκρυ-
ίας, ſub calidis cineribus in ollâ aut teſtâ coctæ,
porem redderent ſimilæ cum melle, & oleo,
xod. 16. v. 31. Num. 11. v. 8. De ſimilibus pla-
ntis vide Athenæum & alios. Atque hic eſt quo-
ueAſeritarum *pinguis ille panis, deliciæ Regum,* Gen.
9. v. 20. abundabant enim oleo & frumento, ut
des, quâcunque veſtigia ponerent, q. *oleo intinge-*
nt, aut & oleo lavarent, Deut. 33. v. 24. Job. 29.
6. Mox plura de Sacrificiis.

8. *Unctui* frequentiſſimè adhibitum legitur ole-
m. Fuit autem in Populo Dei uſitata unctio alia
acra, alia *profana.* Sacra, *rerum & Perſonarum,*
uæ oleo, ut re Deo ſacrâ, conſecrabantur, expia-
antur: Sic Lapides & Stelæ, aut monumenta,
recta in rei alicujus ſacræ memoriam, ungi ſole-
ant, Gen. 28. v. 18. & 35. v. 14. indè frequens
aganorum ſuperſtitio, ut *lapides olivi unguine de-*
buerentur: cujus meminit Theophraſtus in Cha-
acter: Apulejus in Apolog. & Florid. Arnobi-
s & alii, eorumque Scholiaſtæ. A *Bethelico* illo
acobi citato, nomen ortum ut βαίτυλοι diceren-
ur Magici lapides, quos deſcribit Damaſcius in
ſidoro apud Photium cod. 242. Verùm hæc &
lii obiter; nam propriam tractationem require-
ent. In Tabernaculo omnia erant *oleo* conſecra-
a, & quidem *Sacro,* cujus confectio deſcribitur
Exod. 30. v. 25. vide c. 40. v. 9. Levit. 8. v. 10. 11.
ndè *Chriſma* in Eccleſiâ. Et apud gentiles uncta
idola, ſignaque militaria Românorum, vid. Tacit. 1.
An-

Annal. & Lipſium ibid. n. 106. Uncti item *Sacerdotes*, Exod. 29. v. 7. cap. 30. v. 25. *Reges*, 1. Sam. 10. & 1. Reg. 39. An & *Prophetæ?* ex 1. Reg. 19. v. 16. *Leproſi*, quandò expiabantur, Lev. 14. v. 17. Confer Plinium l. 13. Capp. 1. 2. 3. & ex noſtris Clement. Alex. l. 2. Pædag. cap. 8. Significabat hæc unctio gratiam Spiritus Sancti, *ſine cujus numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.* Sed hæc aliis memoranda relinquo.

Profana unctio in Conviviis, in Balneis, & aliâs ſanitatis, hilaritatis, voluptatis gratiâ creberrima, 2. Sam. 14. v. 2. Pſalm. 23. v. 5. & 45. v. 8. & 104. v. 16. & 141. v. 5. Eccl. 9. v. 8. Eſa. 61. v. 3. Luc. 7. v. 46. Dan. 13. v. 17. 2. Paralip. 28. v. 15. Uncti etiam mortui, Joh. 12. v. 2. Gen. 50. v. 2. 3. ut alia prætercam. Hinc olea in Apologo Jud. 9. v. 9. gloriatur, *pinguedinem ſuam à Diis & hominibus magnificri.* Mirumque cum oleum omnibus plantis ſit πάγκαλον, ut ait Plato, & inſectis animantibus, apibus in primis, lethiferum, quod & Clemens Alex. annotavit. l. cit. hominibus oris non voluptatem modò, verùm etiam Salubritatem afferre. Indè vulgatum illud: *intus mulſo, foris oleo*, vide Portam cap. 5. *Uſum ejus ad luxuriam vertêre Græci, vitiorum omnium genitores*, Plinius 15. cap. 4. Sed abuſum eum ipſi ex Aſiâ Græciæ intulerunt. Multa de hoc profano uſu vide apud Stuck. *de Sacrif.* pag. 55. & *Conviv. Antiq.* pag. 229. & 365. & ſeqq. Dempſter. ad 5. Roſini p. 868. *De Balneis* & balneatorum unguentariâ, Plautus & Petronius cum Interpp. *De mortuorum pollincturâ* Kirchmann. l. 1. de Funer. capp. 7. & ſeqq. & Sponda-

nus

is in S. Cœmeter, l. 1. p. 3. c. 3. quædam etiam, c pauca, La Cerda in 6. Æneid. v. 219. & deinps *De Luctatorum*, Palæſtritarum, *Ceromate* elens locus eſt apud Statium, 6. v. 844. nataque Prorbia: *ne oleum quidem adſpexit:* & *oleum operame perdit, qui bovem mittit ad ceroma*, Hieronymi. dè unctio Baptiſmo juncta, ad ſignificandum; *files ita inunctos ad ſacra certamina evocari, ſub itore munerum Chriſto*, ut apud Dionyſium de cl. Hierarch. c. 2. Quo ſpectat quod apud Aenæum l. 15. Sophocles *Venerem* depingit delitam *unguento*, ad ſpeculum ſe contemplari; *Paldem* verò *oleo* unctam, exerceri, vide ibidem alia ura. Sed *de uncturâ* ſatis.

9. *De Medica facultate* olei, Eſa. 1. v. 6. & Luc. . v. 34. *Duo ſunt liquores, corporibus humanis graſimi, intus vini, foris olei, arborum è genere ambo ecipui, ſed olei neceſſarius*, Plin. 14. c. 22. extr. Qui *amurca* olei l. 23. c. 3. *Vulneribus in linteolis impotur, luxatis in lana: ingens hic uſus, utiq; inveteramedicamento. Et* c. 4. *omni oleo mollitur corpus, viremque & robur accipit. Laſſitudinem refectio eſt: ulnerariis emplaſtris utile, faciem purgat*, &c. Indè regrinantes oleum in lecytho ferunt, vide Gen. 3. v. 18. 2. Paralip. 28. v. 15. unctioq; pedes Luc. v. 37. 46. Joh. 11. v. 2. & 12. v. 2. 3. Quod remeum in luxum vertit, Plin. 13. cap. 3. *Cervus æger eæ ramuſculos mandit, & ſanus fit. Locuſtas quoque lia oleæ arroſa liberant ab ægritudine; culices non ngent te, ſi abſinthii herbam cum oleo coquas, & te perunxeris*, Ambroſius 3. Hexaëm. cap. 8. *pes ſi quis ſuperfundat oleo, properè necantur, eò*

quod

quod obductis poris aërium ſpiramen haurire neque ant; continuoque ſi quis acetum bis ſuperfundat, illic revivifcunt, eo quod vis aceti poros illos aperit, Idem l. 5. cap. 22. Cervus ad oleam, peccatoris imag eſt, quem *Chriſti gratia ſanat*,

Cervus ut ægrotus folio ſanatur olivæ;
Sic medicina animi gratia, Chriſte tua eſt.

Virtus mollitiâ deſtruitur, duritiâ extruitur, Tertullianus.

Sicut apes oleo enectæ recreantur aceto;
Sic animum frangunt mollia, acerba fovent.

Sic de *Moris* Plinius 15. c. 24. *Tingunt manus ſucc matura, eluunt acerba.* Undè Proverbium: ἡ σ κάμινος συκαμίνῳ σμήχεται. *Hinc polluit, indè re purgat!*

Proſpera conſpurcant animos, quos aſpera mun dant:
Sic mora inficiunt dulcia, acerba lavant.

10. De olei uſu *ad lumina*, Lucernisque Exo 25. v. 6. & 27. v. 20. Zachar. 4. 3. 12. Matth. 2 v. 3. & ſeqq. dixi S. Analect. Volum. 1. l. 5. c. 4 v. 43. & volum. 2. l. 1. c. 14. Nec vacat, nec libe actum agere. *Homo*, ut dixit Epictetus, *eſt Luce na vento expoſita*, Lucernæ ſunt *doctores Eccleſi* Matth. 5. v. 15. Candelabrum inter duas oleas Z charianum, perpetuam verbi divini lucem fore d ſignat, miniſterio piorum Doctorum & Magiſtr tuum, vide Comment. D. Balduini pag. 327. *Nu quàm lux iſta peribit!*

Semper erunt oleæ, foveant quæ lumina Templ
Semper erit JEſus Zerobabelque aliquis!

Plu

ura de olei olearumque utilitate non addo cla-
t hinc & ſequitur *Dignitas*, quæ vel indè apparet
iòd *Dei donum* toties prædicatur, Deut. 7. v. 13.
11. v. 14. Jerem. 31. v. 12. Oſe. 2. v. 22. indè
elus Dei, & ira adverſus ingratos, Oſe. 2. v. 8.
zech. 16. v. 19. & 23. v. 41. ac maledictio, Deut.
3. v. 40. 41. &c. Quare plerisque *ſacrificiis* ad-
tum oleum. Exod. 26. v. 2. 40. Levit. 2. v. 1. 5.
& 6. v. 21. quò pertinent ſacra *lagana*, & *colly-
des*, Levit 7. v. 12. Num. 6. v. 15. de Sacrificio
men *pro peccato* vide Lev. 5. v. 11. Adde *primi-
as & decimas*, Deut. 12. v. 17. & 14. v. 23. & 18.
4. *Frondes* geſtatæ in manibus, de quibus ſuprà:
ndè & Poëtæ - *ramum precantis olivæ* dixerunt;
lem,

Vittatæ laurus & ſupplicis arbor olivæ:
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.

iam ſupplices veniam pacemque petentes manu
eſtabant.

Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

Quin & *oleo foliis* coronabantur, ut Æneas, 5.
Æneid. v. 774.

Ipſe caput tonſæ foliis evinctus olivæ,

t Mopſus apud Flaccum, 3. v. 424. Sacra facturus.

Tempora tùm vittis, & ſupplice caſtus olivâ
Implicat:

t Tibullus l. 2. Eleg. 1. de luſtratione agrorum.

Cernite fulgentes ut eat Sacer agnus ad aras,
Vinctaque poſt oleæ candida turba comas, &c.

ic & Judæi prælatâ ἐλαία Dei invocabant ἔλεος,
lamantes *Oſianna!* Cur *in Olympicis* victores
leaſtro; Athenis *athletæ*, & qui de Repub. bene

meriti eſſent *oleâ*, eâdemque Romæ *ovantes coronati*, fuerint? longum eſt perſequi, & alia id genus, vide Pauſan. in Eliac. prior. Plin. 15. cap. 4. Portam. c. 2. Apud Virgil. 12. Æneid. v. 766. eſt *Sacer Fauno Oleaſter*.

- Nautis olim Venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant. &c.

Talis erat Megaris in foro, quæ arma peperit, Plin. 16. cap. 39. de quâ & in Acerrâ meâ. Tales quibus *mel in ore, fel in corde!* Pſalm. 55. verſ. 22.

Odi ceu portas Erebi, queiscunque doloſum
Mollius eſt oleo os; corde ſed arma tegunt.

11. Superſunt oleæ oleique variæ *proprietates*; *oleæ* quidem pinguedo, Jud. 9. v. 9. & perennis vigor, ac vivacitas, Pſalm. 52. v. 10. undè & epitheta; *olea virens, & pulchra fructu ac ſpecie* Jer. 11. v. 16. & Proverbium, *gloria ejus quaſi olea*, Hoſe. 14. v. 6. Virgilius dixit, *tardè creſcentem, pinguem, vivacem, pallentem*; ut Ovid. *albentem*: Silius, *Canentem*; Statius, *glaucam*; Sidonius, *æternùm virentem*; Ovid. *Semper frondentem.* Olim *tarda res erat*; *quare Heſiodus negavit, oleæ ſatorem fructum ex eâ percepiſſe quemquam*, Plin. 15. cap. 1. *At nunc*, inquit, *in plantariis ſerunt, translatarumque altero anno decerpuntur baccæ.* Contrà, ut *tardè creſcentia longo ævo durant, que velocia ſunt, citò occidunt*, Idem 17. cap 13. Sic *firmiſſima ad vivendum olea, ut quas durare annis ducentis conveniat inter autores. Olympiæ oleaſter, ex quo primus Hercules coronatus, & nunc cuſtoditur religiosè*, ait Idem 16. cap. 44. *Et Athenis olea* ibidem *durare traditur, in certamine*

ine edita à Minervâ; Fluxerunt autem ab Hercu-
obitu, usque ad Veſpaſianum & Plinium anni ſe-
mille trecenti; & à Cecrope Athenienſium pri-
o Rege, plusquam mille ſexcenti. Sed hæ fabu-
ſunt. Illud vero verum, facilè *regerminare oleam*
am è ſucciſo trunco, & quod ſoli illi proprium,
plures partes diſciſſo: quodque mirere magis,
iam elaboratâ jam materia, ſi modò locum
ımectum nacta ſit, ut *& cardo valvæ & poculum*
no immerſum regerminâſſe prodantur, Porta ex
heophraſto cap. 15.

Quin & caudicibus ſectis, mirabile dictu,
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.

anit Virgilius. Adeò cauta proſpexit naturæ
nignitas, arboris tam utilis & neceſſariæ pe-
nnitati. Quantò magis *pretioſa Dei mors San-*
orum?

Caudicibus ſectis, ſicco revireſcit oliva
Ligno: juſtorum mors pretioſa Deo eſt!

ſalm. 116. v. 15. *Sola immortalis habetur!*

Virtus, ut clavâ quæ nata eſt Herculis arbos,
Caneſcet ſeclis innumerabilibus.

ide Pauſan. in Corinthiac. & Eliac. prior.

12. *Oleo* verò accidunt, τὸ λεῖον, undè quidam
ræcè dictum putant, & indè Proverbium: *Verba*
leo leviora, molliora, glatt wie Oel/ Pſal. 55. v. 22.
ἀκέραιον: Sic *flumina fluunt inſtar olei*, non
ntùm quæ leniter, ſed & quæ pure, & ſincere,
zech. 32. v. 14. τὸ ῥευστὸν, quod diffluat facile, nec
ſinat manu contineri, ut de muliere improbâ
xit Salomon, Prov. 27. v. 16. tàm non prohiberi
oſſe, quo minus rixetur & obmurmuret, quàm ſi

quis Ventum velit tenere ne ſuſurret ; & ut *ole-um dextrâ non patimur ſe ſtringi*, *quin* liquore, au & odore, ſi quo imbutum eſt, *ſe q. Clamando pro-dat*; ſic & illam facere. Plenæ rimarum ſunt, hac illac diffluunt loquaces. Lepidiſſima in talem Li-banii Declamatio eſt, *Moroſi cujusdam ſe ipſum ac-cuſantis*, ubi inter alia: οἱ πάλαμοὶ πρότερον ἂν ςαῖεν ἢ τὸ ταύτης ςόμα, Et deindè: *Dodonæum ſupera as: nam etſi flagello à ventis agitato percuſſum re-ſonet, tamen, ſi venti quieſcant, tacet.* Adde τ ὕγρον, quod humore ſuo irriget & *penetret* inte-riora, ipſa *oſſa*; ut Pſalm. 109. v. 18. quo etiam re-fertur illud Eſai. 10. v. 27. *Computreſcet jugum facie olei.* De quo Variæ ſententiæ. Nam ole-um à carie ligna tuetur illitum: undè & inunct ſimulachra. Ergò de ferreo jugo aliqui expo-nunt. Nam *qui mollire ferrum volunt, oleo ungunt qui obdureſcere, ignitum in aquam mergunt*, Port cap. 5. Sic h. l. Sanctius, quod non probat Cor nel. à Lap. alii, pro *Computreſcet*, ponunt, *laxabi tur & ſolvetur.* Sed plus eſt, quod dixit Prophe-ta; tantam olei fore affuſi copiam, ut jugum li-gneum permadeat, ac pinguedine nimiâ ſolvatur Hyberbole eſt. Denique ad lævorem olei per-tinet quoque *nitor.* Undè *nitidus oleo*, mollius blandius, *guttur meretricis*, Proverb. 5. v. 3. *Si qui inter aquas merſus, oleum ore emiſerit, clariora fa-ciet ea, quæ profundi tegebantur occultis.* Ambroſ. 1 Hexaëmer. cap. 9. *Mare oleo tranquillari*, ait Pli-nius l. 2. cap. 130. *& ob id urinantes ore ſpargere quoniam mitiget naturam aſperam, lucemque depor-tet.* Ibidem refert, *in mari Rubro oleas naſci, fruti-*

cesqu

ſque virentes. Lapis Thracius aquâ incenditur, leo reſtinguitur, &c.

CAPUT XXXIX.

Oleæ cultura & cura.

HÆc quoque ad ea ſpectat, qua *Adjuncta* vocantur, ſeorſim conſideranda, ut reſpirandi ſpatium ſit. Memorantur autem i S. Literis Olearum 1. plantatio, 2. inſitio, 3. oliatio, 4. olei expreſſio. 5. adſervatio; denique 6. mptio & venditio.

Plantationis mentio fit Deut. 6. v. 11. Deus poulo ſuo dedit *oleas, quas non plantaverunt ipſi:* uod repetitur Jeſ. 24. v. 13. Magna piorum feliitas! Niti in poſſeſſiones impiorum, frui illorum iboribus, carpere fructus, quos illi irritâ ſpe eduaverant. - *En queis conſevimus agros!*

Inſere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites!

ic Deut. 28. v. 40. *Oleas habere* quam plurimas, *ec tamen oleo ungi*, maledictio eſt: vide contrà, ſai. 65. v. 21. 22. Amos. 9. v. 14. Plantantur autem oleæ omnibus ferè modis, ſemine, ramo, taeis, trunco, ligno, radice, aliiſque, quos recenſet 'orta, cap. 13. & ſeqq. Vulgatior tamen per taeas, quia celerior fructus. Nam *qui ex ſemine, uod eſt nucleus, tardiùs enaſcatur caulis, ideò poiùs in ſeminariis taleas, ait Varro, quam nucleos ſeimus. Meliùs tamen truncis*, id eſt, ramis detrunatis, *quàm plantis olivetum cònſtituitur*, ut Palladius

in Februar. cap. 18. & Columella antè de Arborib. cap. 17. *De inſitione*, ſed planè contrà naturam, locus eſt Rom. 11. v. 17. &c. de quo in comparatis. Hæc interim notanda ſunt: *Ab arbore pulli, qui abs terrâ naſcuntur, eos in terram deprimendos, poſt indè biennio effodiendos, ferendosque* monet Cato, cap. 51. *Ex omnibus ſtirpibus longè minorem impenſam deſiderat olea, quæ prima omnium arborum eſt*, Columella, 5. cap. 7. Vetus proverbium eſt; *eum qui aret olivetum, rogare fructum; qui ſtercoret, exorare; qui cædat, cogere: quod tamen ſatis erit octavo anno feciſſe, ne fructuarii rami ſubindè amputentur*, Idem cap. 8. *Oleæ, quæ in proceritatem extenduntur, evanidæ fiunt, parumque fructus ferunt. Si oleam poſueris eo loco, undè quercus effoſſa eſt, morietur: ideò quod vermes quidam ſunt, qui in radicè quercus naſcuntur, & educantur, iique maximè ſemina oleæ conſumunt.* Idem de Arborib. cap. 17. *Cerrus item & eſculus exciſa radices noxias relinquit: quarum virus olem necat*, Pallad. Febr. cap. 18. Denique *Græci jubent*, ut hic quoque habet, *olivam, cùm plantatur & legitur, à mundis pueris atque virginibus operandum: credo, recordati, arbori huic præſulem eſſe caſtitatem.* Sic Florentinus Græcus: *oportere collectores olivarum jurare, quod à ſolâ propriâ uxore veniant, & non ab alieno cubili. Et in Anazarbo Ciliciæ pueros caſtos oleam colere, eaque de cauſa fertiliſſimam eſſe.* Hinc igitur Minervæ dicata. Quæ ad locum Pſalm. 128. v. 3. de liberorum educatione, pulchrè aptantur.

2. *Olivantibus* lex eſt, Deut. 24. v. 20. non adeò diligen-

iligenter colligendos fructus, ut peregrinis, viduis, pupillis, aliquid remaneat. His paucis reduis, comparantur reliquiæ populi, Eſai. 17. v. 5. & cap. 24. v. 13. indicaturque vaſtitas & ſotudo, cladique, paucos ſuperfuturos. Actus collectionis deſcribitur verbis, *Chabat*, decutere, excutere; perſcrutari ramos, nachleſen/ nachſchüttlen: & apud Eſaiam, bis ponitur *nakaph*, concedere, ſtringere. Undè colligere licet, olivantes vel perticis decuſſiſſe, vel manibus ſtrinxiſſe oleas. At inquies, *antiquiſſima olivantibus lex fuit: oleam ne ſtringito, neve verberato*, Plinius: Sed Cato addidit, qui legem hanc tulit; *injuſſu Domini, aut cuſtodis*. Varro l. 1. c. 5. explicat: *oleam, quam manu tangere poſſis, è terrâ, aut ſcalis, legere oportet potiùs, quàm quatere: quod ea quæ vapulavit, inareſcit, nec dat tantum olei: (fit enim cum injuriâ arborum ſequentisque anni damno*, ut Plinius) *at quæ manu ſtricta, melior eâ, quæ digitis nudis legitur, quàm quæ cum digitalibus, &c. Quæ manu tangi non poterunt, ita quati debent, ut arundine potiùs, quàm perticâ feriantur. Gravior enim plaga, Medicum quærit*. Hanc legem ſibi ſcitam putent, qui caſtigandis delictis præſunt. Deus ipſe non perticis quatit, ſed q. arundine, cùm oleam ſuam non vult perdere, ſed futuræ *olivitati* ſuperſtitem ſervare: nec cum digitalibus ſtringit, ne & *ramos glubat, & ad gelicidium relinquat retectos*, ut Varro habet. *Miſereſcit in irâ*.

Decutit haud baculo legulus, ſed arundine, olivas:
Sic ſcit & iratus parcere Jova ſuis.

Imitentur ſuperiores. Boni Paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere. Ne ſtringito oleam. *Collige, non deglube.*

Collige, ſed non ſtringe oleam digitalibus uncis,
Ut fructus anno lata ſequente ferat.

3. De expreſſione olei, uſurpatur verbum *Hizhir*, oleum facere, à *Jazhar* oleum, Job. 24. v. 11. Ubi Jobus de Tyrannide & injuriis potentum queritur, qui pauperes compellunt, ut nullâ mercede *exprimant oleum, ſinuntque ſitire eos inter ipſa torcularia*, quæ calcant. At Deus vetuerat, ne vel bovi trituranti os capiſtro obligetur. Apud Joël. 2. v. 34. *Torcularia redundabunt oleo & vino.* Mich. 6. v. 15. *Calcabis olivas, nec oleo ungeris; & muſtum, ac non bibes vinum.* Oleo conficiendo, ut docet Columella l. 12. cap. 50. varia inſtrumenta adhibita fuerunt præcipuè *molæ & trapetum. Baccæ diligenter mundatæ protinùs in torcular deferebantur, noviſque fiſcinis incluſæ integræ, prælo ſubjiciebantur, ut quantum poſſet pauliſper exprimeretur. Poſteà reſolutis corticulis emoliebantur: quod deindè primum effluxiſſet, in rotundum labrum protinùs Capulator deplebat, & in fictilia labra, huic uſui præparata, defundebat,* &c. *Molæ*, ut apud nos, *vel ſubmitti, vel etiam elevari poterant pro magnitudine baccarum, ne nucleus, qui ſaporem olei vitiat, confringeretur,* Idem; de his molis loqui Jobum l. cit. putant, ut D. Lutherus, Oſiander, &c. *Præla premebantur vectibus*, ut docet Cato: apud Syros calcando pedibus: undè *Daràch Zaith* ambulando calcare, & premere oleam, Mich. l. cit. & *Daràch Gath*, calcare torcular,

lar, Thren. 1. v. 15. &. *De Capulatione*, ſive
fuſione, quâ oleum *capulis* exceptum *depleri*,
ſubindè in alia atque alia labra *eliquari* ſolebat,
iidem, Cato & Columella, docent; accipi poteſt
cus Jerem. 40. v. 10. ubi, *ponere Schemen Bike-
n Oleum in vaſis*, de quibus, etiam Num. 4. v. 9.
e Lecythis, ampullis, lenticulis, nil opus eſt ad-
re. Nam ad nomenclaturam ſupellectilis per-
nent.

4. Denique reponebatur oleum & aſſervaba-
r in *Ozeroth*, 1. Paralip. 27. v. 28. 2. Paralip. 11.
11. *Miskkenoth*, 1. Paralip. 32. v. 28. Confer.
ehem. 10. v. 37. 38. & cap. 13. v. 12. id eſt, in
pothecis, cellariis, cellis oleariis, promtuariis.* De-
que belli tempore, cum domi tutò reponi non
oſſent, *frumenta, olea, mella*, & id genus, *in agris*
abebant, *Matmonim theſauros abſconditos*, Jerem.
1. v. 8. Cappadoces appellabant *Syros*, aliive
arbari, ſpeluncas, aut ſcrobes & granaria ſub-
rranea, quorum Plinius, Curtius, præter Scri-
tores noſtros Rei Ruſticæ meminerunt. Ipſum
ocabulum Hebraicæ originis eſt. Nam *Sur re-
overe, clam deponere*, ſignificat. De emptione,
enditione, vid. 2. Reg. 5. v. 26. Nehem. 5. v. 11.
uc. 16. v. 5. &c. Pertinet huc illud Salomonis
heſaurus deſiderabilis, & oleum, inprimis ad lætiti-
m & lautitias neceſſarium, *in habitaculo Sapien-
s; ſed ſtultus diſſipabit*, Proverb. 21. verſ. 20. Ma-
num vectigal parſimonia. Prodigus gurges eſt &
orago patrimonii. Item alterum ib. v. 17. *Amans
ini & olei non ditabitur*. Quæ duo, ut hactenus ſæ-
è, plerunq; conjungi ſolent, maximè in luxûs de-


 ſcri-

ſcriptione, ut Sap. 2. v. 7. - *madidus unguento comam, gravisque vino*, Seneca in Thyeſtâ, Nos pergimus in oleæ culturæ deſcriptione.

5. Ad *Subjectum* locum. *Oliveta* dicuntur, Græcis ἐλαιῶνες. *Nulla aut perfervidum cœli ſtatum patitur, aut gelidum: itaque æſtuoſis locis ſeptentrionali colle, frigidis meridiano gaudet*, Columella *In Theſſalia circa Lariſſam, emiſſo lacu, frigidior facta eſt regio, oleæque deſierunt, quæ priùs fuerant*, Plin. 17. cap. 4. In Indiâ ſteriles ſunt, præterquàm oleaſtri fructu.

Difficiles primùm terræ, collesque maligni
Tenuis ubi argilla, & dumoſis calculus arvis,
Palladiâ gaudent ſylvâ, vivacis olivæ.

Virgil. 2. Georg. v. 177. & ut *Bacchus amat colles*, ut idem; Sic & Olea *arduo locorum ſitu mediocriter ab humore ſuſpendi, ac feracibus ventis agitari*, Pallad. Nam & Sole opus habet, quo coquatur, & vento, quo refrigeretur in æſtu. Undè Varro ex Catone; *agrum oliveto conſerundo, niſi qui in ventum favonium ſpectet, & Soli oſtentus ſit, alium bonum nullum eſſe*, 1. cap. 24. Sic ergò Vinea Dei conſita *in Cornu filio olei*, Eſai. 5. v. 1. de quo alibi dictum. Palæſtina *terra bona*, *terra olei olearum*, Deut. 8. v. 8. ubi *ſugere* licebat *mel de petra, & oleum de duriſſimo Saxo*. cap. 32. v. 13. Hinc Salomon quotannis dabat Hiramo XX. *Coros*, (de quibus Waſerus, Capellus & alii, & hic quidem capere potuiſſe corum olei libras Romanas 1080.) *olei puriſſimi*, quod *Schemen Cathith* dicitur, *oleum contuſum*, geſtoſſen Oel/ *quod ſponte deſluit contuſis oleis*, expri-



p. 507.



xprimiturque citra operam præli, Vatabl. malim illud intelligere, quod Latini vocabant *prima preſſura; quoniam longè meliores ſaporis eſt, quod minore vi præli, quaſi lixivium defluxerit*, Columella, l. 2. c. 50. vide 1. Reg. 5. v. 11. 2. Paralip. 2. v. 10. Inter proprias Judæorum merces oleum cenſetur, Ezech. 27. v. 17. Jobus ſibi in Aſitide quondam *de petris & rupibus fluxiſſe rivos olei* refert, cap. 29. v. 6. quod Proverbiale eſt, ut cap. 20. v. 17. χείμαρροι ἐλαίου.

Flumina jam lactis jam flumina nectaris ibant.

Oliviferæ regiones etiam celebrantur *Aſſyria*, 2. Reg. 18. v. 32. *Italia*, ut Apoc. 18. v. 13. *Principatum enim in hoc bono obtinuit Italia toto orbe*, Plin. 15. cap. 2. &c. *De Monte Oliveti* celeberrimo, vide Adrichomium: naſcuntur etiam nunc ibi frequentes oleæ, quæ multum olei reddunt, Bellonius 2. obſervat. cap. 83. Pinge oleam in colle, inter ſolem & Ventum. - *Æſtum refrigerat aura*.

Ni Zephyri adſpirent, dùm Sol coquit, haud fit olivum:
Sicca, niſi adſpiret gratia, corda manent.

Hebræi, ut R. Salomo & R. Kimhi in Amos c. 1. v. 1. *regiones oliviferas*, ajunt, *parere viros Sapientes*. Tales naſci, ubi frequentes oleæ. Non adeò abſurdè: nam *ingenia hominum* plerunque *Genius locorum format:* itaque in regionibus temperatis, naturâ ferè & illa temperata. Si tamen cultura accedat, certum etiam *Magnos poſſe viros*.

Vervecum in patriâ craſſoque ſub aëre naſci.

Palluntur tamen, quod naturæ tribuunt Amoſi The-

Thecoitæ Sapientiam, quæ gratiæ Spir. Sanct potiùs adſcribenda eſt. *Talis enim artifex il Spiritus eſt: implet paſtorum armentarium, & Pr phetam facit*, ut ait Gregorius Rom. in Evang hom. 30. Neque certum eſt, *Thecoën* fuiſſe *oliv feram.* Nam etſi Cyrillus dicat *irriguum & pa ſcuis abundantem locum* fuiſſe, quod & Adricho mius teſtatur; tamen Hieronymus αὐτόπτης, diſta bat enim tantùm paſſuum ſex millibus à Bethle hem, *ſolum circa arenoſum & ſterile* deſcribit, *qu nihil frugum naſceretur: ideòque plena paſtorum o mnia eſſe, ut ſte.ilitatem terræ, pecorum multitudin compenſent.*

6. Pertinent etiam huc *Contraria*, & ſi qu forte ſunt remedia. Talia ſunt olearum *morbi* principio interno, & *peſtes*, aut noxæ, quæ extrin ſecus ſuperveniunt. Sic *nocet oleis nimia fertilitas* ut & Vitibus. *Vermiculationem etiam ſentiunt oli væ: ancipiti eventu; quandò cutem ſubeunt nati fructum adimunt: augent, ſi in ipſo nucleo fuere, ero dentes eum. Gigni prohibent pluviæ, quæ fiunt po Arcturum: facit enim refrigeratio, uti* Theophra ſtus in cauſis, *ut fugiant omnes. Clavum etian patitur olea, ſivè fungum placet dici, aut patellam. Hæc eſt Solis exuſtio. Nocere tradit Cato & muſcun rubrum.* Inter ea, quæ foris infeſta, *peſſimum eſt cum deſloreſcentem percuſſit imber, quoniam ſimul de fluit fructus. Sunt ex eâdem causâ naſcentes erucæ dirum animal; eroduntque frondem, aliæ florem, a depaſtam arborem turpi facie relinquunt*, ſæpè etian dum florent oleæ - *venti nocuere protervi*, frigu æquè ac æſtus adurit, undè Horatius - *oleamqu*

momor

omorderit *æſtus*, &c. Hæc ex Plinio pleraque 17. cap. 24. ubi plura. Remedia etiam quædam alia apud Portam, quæ quibusdam S. Scriptu- locis illuſtrandis ſerviunt, & ad mores ap- icari poſſunt. Sic inter oleæ vitia eſt *defluxio rum*, Job. 15. verſ. 33. & ſterilitas, ſi quandò *entiatur opus olivæ*, Habac. 3. verſ. 17. ut *ſpem entita ſeges* dicitur, & *fundus mendax*, Hora- o: & inter peſtes, *erucæ* referuntur, Amos 4. erſ. 9. Joël. 1. v. 4. Solentque talia, cùm acci- unt, aliarum calamitatum eſſe prænuncia. Ut ontra.

Si benè floruerint oleæ, nitidiſſimus annus erari ſolet. Erucæ, bruchi, locuſtæ, cum oleas liasque frugiferas arbores depaviſſent, prævidit oël prædixitque adventum Chaldæorum, c. 1. & . Olearum ſterilitas apud Babylonios, vaſtitatem viduitatem ſimul denunciabat, apud Habac. ut ſa. 47. v. 9. Etiam in Onirocriticis Aſtrampſychi lud huc ſpectat:

Ὁρῶν ἔλαιον ἐκφύγῃς πᾶσαν βλάβην,
Oleum videns, vitabis omne noxium.

ic apud Artemidorum, *oleam videre floridam, radicibus innixam, & fructus habentem matu- os, bonum. At ſi vindemiantur olivæ, id quidem liis omnibus bonum, præterquàm ſervis, propterea uod non ſine plagis fructus ejus decutiantur*, l. 2. ap. 25. Athenis à Perſarum exercitu incenſis, *lea* quoque in Arce *Minervæ* conflagravit, eo- demque die revixit, & ſi qua fides, in altitudi- nem duorum cubitorum repullulavit, Herodotus lib. 8. Pauſan. in Attic. Ac *oleam* quidem *ambu- ſtam*

ſtam regerminâſſe, quod Theophraſtus ex Plinius commemorant, miraculum non eſt; tàm citò repullulâſſe, credat qui volet. Potuit tamen omen eſſe reſtituendarum Athenarum. Sic *Laodiceæ adventu Xerxis Plantanus in oleam mutata*; & Neronis ruinâ, in agro Marrucino, Vectii Marcelli *olivetum viam publicam transgreſſum*, arvaque indè è contrario in locum oliveti profecta, inter prodigia legitur. Sic inter ea, quæ ſub Auguſto contigerunt, ut *ejus imperium per omnia venturi Chriſti gratia præparatum comprobaretur*, ut ait Oroſius l. 6. cap. 20. hocquoque refertur, quod *per totum diem Romæ, in tabernâ meritoriâ. fons olei largiſſimus fluxerit*. Baronius à Calliſto, eo loco Eccleſiam titulo DEI Genitricis erectam, refert: legique ibi hanc Epigraphen: *In hac primâ Dei Matris æde, tabernâ olim meritoriâ. olei fons è ſolo erumpens, Chriſti ortum portendit*: & illa *priſca carmina*, quæ quantæ, veſtutatis ſint ipſa clamant;

Hic oleum fluxit, cùm Chriſtus Virgine luxit:
Hic & donatur venia quodcunque rogatur.

Illud in Ammiani Marcell. l. 23. præterire non licet: Julianum Apoſtatam refert in Perſiam tendentem, cùm *Zaitam* veniſſet, *qui locus Oleæ Arbor interpretatur*, Gordiani Imp. tumulum acceſſiſſe, ac poſtquam ei parentâſſet, pergeretque Duram, deſertum, oppidum, oblatum ei eſſe immanis Leonis, jaculis militum confoſſi, cadaver: Id obitum Regis ſignificâſſe, ait; incertum quidem cujus; Sed eventum mox declaraviſſe, inter omnia ac præſagia fuiſſe interitûs Juliani. *Leo* Tyranni ingenium ſignificabat, & exitium; *Zaita* olea Eccleſiam, contra

quam

...um fremens minas ſpirat. Verùm de his quoque ...s. Superſunt *Comparata.*

CAPUT XL.

Similia ab Oleâ deſumpta.

EX dictis jam multæ S. Scripturæ Allegoriæ, Parabolæ & alia id genus illuſtrari poſſunt. Videamus præcipua loca.

...Inſignis eſt *allegoria Rom. 11. v. 16 17. 18. & ſeq.* ... Judæorum rejectione & Gentium adoptone. ...quitur Apoſtolus de quâdam *Myſtica olea*, per ...um intelligit corpus Myſticum Eccleſiæ Ca...licæ in terris. *Radix* hujus oleæ, Chriſtus eſt: ...*ncus*, ſeu caudex è radice, ipſa Eccleſia: *rami*, ...mbra hujus: Eorum alii, κατὰ φύσιν, *natura-* ... dicuntur, Judæi ſcilicet; non quod naturâ eſ...it, aut carnali generatione, membra veræ Ec...ſiæ; nàm naturâ omnes æquè filii iræ nati ſu...is, Eph. 2. v. 3. Joh. 3. v. 6. ſed quod ab ortu ipſo ...rticulare Dei fœdus ad ipſos pertineret, *jusque* ...*rem*, ad privilegia Eccleſiæ, ex promiſſione Gra..., Gen. 17. v. 7. ut tamen per circumciſionem ... *in re* conſequerentur, aut iſtâ neglectâ toto ...c jure exciderent, ibid. v. 14. Hinc ergò *San-* ...*tas* iſtorum *ramorum* naturalium; & altera *rela-* ...*va*, fœderalis, & in potentiâ proximâ conſequen... abſolutam, per Sacramentum; idque per genera...nem carnalem, à SanctisPatribus, qubus cum fœ...s hoc Deus iniverat, ex ſingulari gratiâ propter ...riſtus ex iis naſciturum; *altera abſoluta*, Spiri-

tualis

tualis, & actu acquiſita jam per Sacramentum, & regenerationem ſpiritualem, quâ inſiti Chriſto radici ſuccum ab eo vitalem, *τὴν πιότητος pinguedinem & unctionem* 1. Johann. 2. v. 20. conſequuti ſumus. Et de his tamen ramis prædicatur, quod quidam, ſcilicet qui in Chriſtum credere nolebant, ſeverâ & juſtâ Dei *ἀποτομίᾳ exciſi* fuerint: non tamen æquè omnes *ἀποτόμως, & finaliter*; eò quod quidam inter eos electi, æternùm perire nequiverint, quos Deus iterùm oleæ inſerere potuit, & inſerendo utique ſalvos fecit, juxta decretum ἀμεταμέλητον. Alii verò rami ſunt *παρὰ φύσιν præter naturam adoptati* ab oleâ, per gratioſam inſitionem, cum naturâ eſſent *ex Oleaſtro*; & tales erant gentes.

2. Multa hic myſteria confertim proponuntur. Nos tantùm, quod hujus loci eſt, ſpectemus, 1. *Gentium naturalem conditionem*; ea per Oleaſtrum Symbolicè indicatur. Paſtor ille Appulus apud Ovid. 14. Metam. fab. 11. cauſam comparationis benè expromit: propter maledictum os, & convitia, morumque petulantiam, in oleaſtrum transformatus.

> *Arbor enim eſt; ſuccoque licet cognoſcere mores.*
> *Quippè notam linguæ baccis oleaſter amaris*
> *Exhibet; aſperitas verborum ceſſit in illas,*

Adde, quod *ramos* ferè habeat *aculeatos*: *baccas* ſolis avibus, turdis, ſturnis, merulis, gratas; quæ viſco capiuntur indè innumeræ; ut habet Matthiolus. *Naſcitur ex oleæ ſativæ nucleo*: ut & fideles generant filios iræ, & peccati, ſui ſimiles naturâ, non

gratiâ

atiâ. *Neque humanâ curâ mitefcit oleaſter*, ſivè ſur-
lis feratur, ſivè transferatur: *Ex oleâ fit incuriâ;*
l ſi ex oleaſtro fieret olea, prodigium haberetur, ut
heophraſtus. Ita ſolius gratiæ miraculum eſt,
: infidelibus fieri fideles. Tanta naturæ, ex
rruptione, pravitas eſt! Ad bonum prorſus
turâ indoneus nemo: *ad malum proni ſemper*
nes!

Neglecta ex olea fit bacca oleaſter amara;
Sic hominum ingenium degenerare ſolet.

reptos oleaſter fuit in quo implicitis habenis, fu-
ens novercæ inſidias, Patriſque diras Hippolytus
rru hæſit, fractiſque rotis, excuſſus crudeli mor-
interiit, de quâ Ovidius 15. Metam. Fab. 45. &
neca Actu 4. v. 1080. & ſeqq. in Hippolyto.
leaſter ille calumnias novercæ ſignat. Plures
guæ perverſæ veneno perierunt, quàm ferro,
. 28. v. 22. *De Olea ſtrepta* non procul Epidau-
, Pauſan. in Corinth. Herculis manu circumdu-
am, faciem intortam accepiſſe & retinuiſſe: indè
omen: *Si itur ad orcum!*

Fertur equis auriga: rotis dùm denique fractis
Excuſſus, lacero corpore, morte cadat,

lea *Strepte* dici poteſt *Meretrix* ex Proverb. 5.
3. & μυςικωτέρως *Prava Concupiſcentia*, Volu-
as, humana Sapientia, de quibus Salomonium
ud plerique accipiunt. Hic, quotquot ferè per-
nt, currum ſuum evertunt, veri Hippolyti,
ptati equis ſuarum perturbationum, illò undè
mo niſi Dei Filius revocare poſſit - *non fortibus*
rbis aut ope Pæonia, ſed - *valido medicamine*

Kk *Verbi,*

Verbi, - *Dite indignante receptos*, Ovid. l. cit. Sic Ephrem. adv. malas Mulier. Meretricem dixit, *naufragium in terrâ.* Vetus verbum eſt: *Fuge meretrices!*

Ne currum evertas, ſtreptam fuge cantus olivam:
Sæpè etiam in terrâ flebile naufragium eſt.

Gades inſula, quæ noti orbis terminus eſt, propè fretum Herculeum, *Cotinuſa* dicta à frequentiâ Cotinorum, id eſt, oleaſtrorum. Totus ferè orbis terrarum ante Chriſti adventum ſic dici potuit, poteſtque etiam nunc. - *Pauci quippè boni*, ut Eſai. 17. v. 6. & 24. v. 13. Mich. 7 v. 1. 2.

Ut pauca pendent excuſsâ ex arbore oliva:
Sic rara eſt pietas, innumerique mali.

Apud Hieronymum Eſai. 41. *per duas & tres, atque iterùm quatuor & quinque olivas*, quidam Veterum *XII. Apoſtolos Domini, Jacobumque Fratrem Domini, & Paulum vas electionis* intelligunt. Idem c. 24. cit. *Paucitatem electorum tempore Antichriſti* ſignificari cenſuit, de quâ apud Matth. 24. v. 24. Luc 18. v. 8. Pergamus, & videamus.

3. Jam quoque 2. *Gentium gratioſam inſitionem*. Quam diſerte ait Apoſtolus factam παρὰ φύσιν, & *contra leges inſitionis*. Nam 1. non ſolent oleæ per inſitionem propagari. Tarda res eſt, & ſerò percipitur fructus, vix poſt annos multos, deinde ſi, quod non rarum eſt, accidat comburi olivetum, germina, quæ ab imo repullulant trunco, iterùm ſylveſtres pariunt oleas; redeunt enim ad natu-

ram

n matris: at ſi urbanæ conflagrent oleæ, idem
ɔx renatæ reſtituent olivetum, ſic Plinius &
rta l. 6. cap. 18. ſic accipiunt illud Virgil. l. 2.
:orgic. v. 302. *neve oleæ ſylveſtres inſere truncos*,
:. quod tamen aliò ſpectat; ut docet La Cerda.
rrò 2. nil magis contra naturam eſt, quam ut
:aſtri ſurculus inſitus oleæ trunco, mites ferat
ctus. Itaque contrà fieri oportet, ut olea in ſe-
ur Oleaſtro, quo hic mitiorem & urbanum habi-
n induat. *Juxta legem agriculturæ bonus ſurcu-
inſeritur, in bonam arborem. Hi cùm eſſent radice
la, inſerti ſunt in bonam arborem.* Commenta-
: nomine Ambroſii h. l. pluribus, Auguſtinus in
ılm. 72. *Modus* inſitionis hujus vocatur ab Apo-
lo, ἐγκεντρισμὸς: omnium frequentiſſimus eſt:
m, ut canit Virgilius 2. Georg. - *enodes trunci
ecantur, & altè*,

Finditur in ſolidum cuneis via: deindè feraces
Plantæ immittuntur; nec longum tempus, & in-
gens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbor.

: aliis dicere modis, non eſt hujus loci. Ad hunc
o neceſſaria ſunt; ut ſcilicet *ramus aliquis, aut
res*, qui debeant inſeri, ut alienam adoptent ſo-
lem, *amputentur*: deindè, ut hæc *ſoboles à matre
avellatur*, quo in aliam poſſit inſeri. Ita ergò
Oleâ Eccleſiæ Judæi quidam, ut ait Apoſtolus
ἐκλάσθησαν *defracti*, exſectique ſunt, v. 17. con-
Gentes *ex oleaſtro exciſæ*, paganicæ impietatis, in
ɔrum locum inſitæ ſunt. *Finis & effectus* hujus
ſitionis indicatur, quod Gentes hoc pacto fa-

 ctæ

ctæ ſunt *conſortes radicis*, *& pinguedinis τῆς καλλι-λαίας* illius; Chriſti ſcilicet, & gratiæ Spiritu Sancti. *Quia ſicut emittitur ſuccus à radice in ra-mos, ut vivant; ita & in Chriſto vivunt omnes cre-dentes, ab illo bonum omne accipientes, cujus & mem-bra ſunt*, Remigius h.l. Johan. 15. v. 5. Nota au-tem, hanc inſitionem per ſectionem duobus mo-dis fieri ſolere: *aliquandò* etenim *reſecto trun-totius arboris*, inprimis ſylveſtris, inſurculant feraces plantæ, ut ait Virgilius: hæc eſt ἐμφύτε illa, cujus meminit S. Jacobus Epiſt. cap. 1. v. 2 de quo loco ſatis dixi in Paradigm. Concion. Ex-emplo, 56. *aliquandò rami tantùm aliquot* ex ar-bore frugiferâ præciduntur, ſivè quod arefacti inutiles ſint, ſivè quod eandem arborem vari fructuum genere onerari volupe ſit, &c. Deniqu hac agit Apoſtolus. Deindè *ſurculos* ita frugifer arbori, aut alteri *inſitos*, à radice ejus & ſubjec trunco accipere *colorem*, *ſaporem*, *odorem*, *magn-tudinem*, *vimque germinandi*, docet pluribus Po ta lib. 4. cap. 18. Sic moro inſita Citria poma ru beſcunt; mora in albâ populo albeſcunt: ma in cotoneo, ſaporem odoremque æmulantur. *Olea viti inſita botros & olivas producit, ut ſi qu fructum guſtet & uvæ acinum, & oleæ baccam gu percipiat*, ex Florentino. Nam arbor talis ut nat ralibus ramis quaſi mater; ſic adoptivis ut nutri lac idem ſubminiſtrat, quo fructus pariant uni modi. Denique quod concludit Apoſtolus, *ra-mos naturales ex oleâ defractos iterùm poſſe inſeri*, modò feraces ſint, & viviſcant, certum eſt, no tamen adeò uſitatum; cùm in terram depacti c

tiù

; adoleſcant, & fructus ferant. Hæc de h.l.
s; quæ Theologi hic obſervant, inprimis con-
Calvinianos, vide apud D. Balduin. & D. Wel-
, &c.

4. *In ſtatu Eccleſiaſtico* oleæ comparantur, 1.
leſia ipſa, ut Jerem. 11, v. 16. ubi Deus *vocat*
nen Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, fecitque vocan-
, *uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam: ſed*
ta per ſuperbiam igne iræ ejus ſuccenſa eſt, combu-
ue ſunt ejus rami, ita ibid. Hieronym. Argumen-
comparationis ex Topicis ſuprà peti debent.
: indicatur oleæ hujus, *felix conditio*, quæ à
o plantata, culta, dilecta in tantam ſuccrevit
chritudinem, ut foliis ſemper virentibus, fru-
que copioſo gratiſſima eſſet; mox *repenti-*
combuſtio; quæ non rarò accidit, ſi fortè -
autis paſtoribus excidit ignis, ut Virgil. 2. Ge-
. v. 304. quem pinguedine ſuâ, quamvis vi-
tes, oleæ facilè comprehendunt, ut tota ne-
ra conflagrent, ut Idem eleganter deſcribit.
letur autem Propheta innuere, oleas, ſi in al-
 tollantur, cœleſti igne inflammari. *Spes* ta-
n ſubjicitur animis piorum, fore, ut ambuſta
c olea reviviſcat: quod poſt captivitatem Ba-
onicam evenit. 2. *Ejus Miniſtri*, ut Zachar.
v. 3. & 14. & Apocal. 11. v. 4. Rationes com-
rationis D. Cluverus in Apoc. adducit, ab ad-
ctâ *vivacitate & perenni virore* Doctrinæ, Eſa.
. v. 8. ab *utilitate*, ad S. lumina, Matth. 5. v. 14.
os, unctionem, medicinam, de quibus ſuprà:
ignitate, quod profanis uſibus oleam pollui ne-
 haberetur, Plin. 15. c. 30. quod ſtringi, ver-

berarique vetitum, Pſalm. 105. v. 15. quod eſ
pacis quaſi interpres & nuncia, Eſai. 52. v. 7. V
ctorum caronis dedicata, &c. Denique 3.
omnes, ut David Pſalm. 52. v. 8. cujus hæc ſpe
fore ſe oleam ſemper virentem, fertilem, vivace
pinguem, & quidem in Domo Dei. Colligo, pr
pè tabernaculum & Templum oleas quoqu
ſacras fuiſſe, ad oleum ſacrum, quales Athe
diximus, & *in Hyrnethio* Epidauriorum deſe
bit Pauſanias in Corinth. Sic ergò peculi
DEI bonitate & tutelâ gloriatur David. Co
fer Sirac. 50. v. 11. Lacedæmonii cùm Attica
ferro atque igni popularentur, oleis tamen p
percerunt metu Palladis, & dirarum exſec
tionum Athenienſium in Sacrarum olearum v
ſtatores. *Qui tangit, pupillam Dei tangit,* Za
2. v. 8.

Ante fores Templi Sacratas ſi quis olivas
Læſerit, iratum ſentiet ille Deum.

5. *De Statu Politico* agit illa pulcherrima, Pa
bola aut *Apologus Jobami* Juduc. 9. v. 8. & ſe
Reprehendit ille Sichemitarum impiam *in q*
rendo Regem *ambitionem*, cum injuria Dei, quo S
lus eſſet Populi ſui Rex, 1. Sam. 8. v. 7. & ſtult
in eligendo, perverſionem; quod peſſimum omni
Regem conſtituiſſent, ſeque ſimul tot ſcelerum
ciſſent reos. Partes ſunt: προμύθιον, ad excita
dam attentionem: *Audite me, ut vos audiat De*
παθητικόν. Fabulatores olim præfari ſolebant:
ſem parate, & auream accipite fabulam; ut in Pl
Epiſt. Hæc præfatio rei magnitudinem deceb
ſequitur Μῦθος, de inſanâ arborum ambitione,

Cl

um regnum optimæ reſpuiſſent, peſſimi rubi lectione: Subjicitur ἐπιμύθιον & applicatio, aut onnexio cum narratione & exprobratione, ac nprecatione. Quæritur 1. *quâ veriſimili ratio-ne arbores fingantur Regem quæſiviſſe?* Reſp. quod nter omnes creaturas aliqua ſit q. Monarchia, Dei ſupremum imperium ſignificans. *Rex unus ſt apibus, dux unus in gregibus, & in armentis Re-ctor unus*, Cyprianus de Idolor. Vanit. Sic Sol nter ſidera, Leo inter animalia, Aquila inter a-ves, inter piſces Balæna, inter metalla aurum, in-er lapides adamas, regnant, Prov. 30. v. 30. 2. *Quam ſtulte hoc quæſiverint!* Reſp. quod non con-ſiderârint antè, fieri ne poſſet? & an ex re ipſa-rum eſſet futurum? quæ duo ubi abſunt, ſtulta omnis deliberatio eſt. Sic *cùm Simia plebis ſcitum ſcripſiſſent*, de condendâ urbe, *vetula quadam ab incepto prohibuit, docens;* facilè capiendas eſſe o-mnes, ſi intra muros concludantur, *Priſcianus* in Præexercitam. 3. *Cur & oleæ, ficui, & viti dela-tus principatus?* Reſp. cauſa indicatur, in ipſarum recuſatione. Nam etſi dignitate aliæ videantur excellere, & Cedrus ſupra omnes emineat; in Rege tamen eligendo publicæ utilitatis maximè habenda erat ratio. *Salus publica ſuprema lex eſto.* Hujus autem reſpectu *Olea prima arborum eſt*, ut diximus è Columellâ: *Ficus*, ad cibum ne-ceſſaria, proximos illi honores occupavit: tertius locus debetur *Viti* ad lætitiam datæ. Confer Phæ-dri fabulam, de Minervâ oleam eligente, ſuprà citatam. Itaque prudenter Jotham his arboribus, & hoc ordine Regnum deberi judicavit. Neque

 probo,

probo, quod ait Serarius Quæſt 18. *adoleſcentia-rem fuiſſe, neque tantum natura indagatorem, u accuratam horum potuerit inſtituere comparationem.* 4. *Quid ergò Jotham ſignificare voluerit?* an quod Regnantium virtutes, *Sapientiam, pietatem, juſtitiam, clementiam, alacritatem* per has arbores voluerit demonſtrare Symbolicè? Non puto eò reſpexiſſe: multò minùs, quod SS. Trinitatis myſterium in mente habuerit; quaſi exprobrârit Sichemitis, *Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum,* rejeciſſe, & ita juſto eveniſſe judicio, ut *Rhamnus infernalis* regnum ſibi vindicârit, quæ accommodatio Tropologica & Anagogica eſt apud Hieronymum in Habac. cap. 3. v. 17. Mens erat; optimo quosque bonis donisque ſuis contentos, dignitatem regiam recusâſſe huc usque ſemper; ne dum aliena appeterent contra Deum cui Soli hic honor eſſet debitus, amitterent propria: Et tamen habuiſſe dotes, hoc regio axiomate non indignas: *oleam* quidem, *pinguedinem illam Diis & hominibus laudatam*, propter tot uſus ſacros & profanos; *Ficum* verò *dulcedinem fructuum*, inprimis hominibus expetitorum; *Vitem* denique muſti *ſuavitatem*; quâ *& Dii delectentur*, propter ſacra libamina, & hymnos ſimul decantatos, colentiumque alacritatem ex vino ortam; *& homines:* Hoc enim, ut Varro habet, *hilaritatis ſeminarium eſt. Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos.* Hoc medicamento triſtitia pellitur, quæ & ad Dei cultum, & ad humana negotia tardos facit, ac pigros. Quare hoc volebat Jotham: Si omninò Regem habere voluiſ-

pluiſſent Sichemitæ, quærendum tamen fuiſſe, *qui Deo & hominibus acceptus eſſet*, qui & ſacra ... è & humana commodè curare poſſet; à quo omnes humanæ vitæ ſtatus maxima redunda... t utilitas: aut ſi talem nanciſci non poſſent; ...oximo tamen loco eligendum fuiſſe, qui ne... ini oneroſus, nemini damnoſus, *Largas opes* & ...erem bonorum proventum, ad vitam ſuſten... ndam *ſufficere poſſet & vellet*; denique ſi neque ...*neſtatis*, in quâ omnia ſunt, neque *utilitatis* ſuæ ...tionem habituri fuiſſent, *jucunditatem* tamen ...ectare debuiſſe; ut talem haberent Regem, ...b quo *tranquillo & hilari animo* vitam tranſige...nt. *Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.* ...ria tamen in univerſum ſunt bonorum gene..., *honeſtum, utile, jucundum:* primum omnibus ...nteponunt, *Sapientes;* alterum, *avidi;* tertium, ...*luptuoſi:* quibus iſtorum nihil, ſed omnia con...aria appetuntur, mente capti ſunt, & ut ajunt ...*ippocraticis vinculis alligandi.* Hanc inſaniam ...xprobrat Sichemitis Jotham, quod Rhamnum ...uaſi Regem creâſſent, inter damnatas ſpinas peſ...nam, de quâ ſuo loco. Quæ omnia demon...rant Jothamum ex ipsâ Politicâ prudentiâ ſa...entiſſimè, & rebus præſentibus accomodatiſſi...è, hunc Apologum eſſe commentum. Et poſ...t tota hinc extrui *Politica Prudentia:* 1. de opti...â Reip. formâ. 2. De Regum electione, officio ...: fine & q. ſcopo. 3. De diverſis ſubditorum mori...us & ſtudiis. 4. De Tyrannide, &c. Sed hæc alius ...ci ſunt.


6. Ad *ſtatum* denique *Oeconomicum* pertinent

pulcherrima illa felicis domûs ac familiæ pictura, apud Davidem Pſalm. 128. v. 1. 2. 3. *Pater familiâs* pius Deique timens orat & laborat: eum *Vitis* q. pergulana cingit *uxor* fœcunda, viri amans, domeſticæ curæ intenta, & q. domo affixa; *liberi* menſam coronant, velut *novellæ olivarum, Kiſchthile Zethim*, ὡς νεόφυτα τῶν ἐλαιῶν. Hinc omnigena DEI benedictio. Dixi de hac ſimilitudine, quantum ſatis erat, in Tab. Oeconom. Meditat. 12. Parentes liberos, 1. *caſtè generent*; nam & oleam ajunt non provenire niſi caſtis manibus plantetur, ut ſuprà. 2. *ſollicitè educent*, menſam præbeant, domi contineant, moderatè coërceant. vide quæ de curâ, & culturâ olearum dixi cap. præced. Sæpè - *venti nocuêre protervi*; Sæpè *Capræ* morſu: *nam omnia novella ſata carpendo corrumpunt, & non minimum oleas: ſaliva earum fructui Venenum eſt.* Varro, & Plinius l. 15. cap. 8. *Malè etiam ponitur olea, ubi Quercus effoſſa ſit; quoniam vermes, qui erucæ dicuntur, in radice quercûs naſcuntur, & tranſeunt*, Plinius 17. cap. 18. Sed de his aliis jam abundè. Sic novellæ hæ plantulæ feliciter creſcent, perpetuò virides, ſpe florentes, fructu fœcundæ, ætate vivaces. Indè parentum lætitia, & mutua concordia, ac pax domeſtica, & conſolatio denique etiam in morte, Sirac. 30. v. 1. 2. 3. *Domus amica, domus optima!*

Si vitis fœcunda domum (menſam) *ſi cingat oliva;*
Quid Patri poſſit gratius eſſe pio?

7. Co-

p. 523.



J: à M: sc:

7. *Columba ramum olivæ afferens* Nohæ Geneſ. 8. v. 13. *illa à primordio divino pacis præco*, Chriſtum demonſtrat, Tertullian. adv. Valentin. cap. 2. Olea enim *ſignum pacis apud nationes prætenditur* etiam: *Sic carni noſtræ emergenti de lavacro, poſt vetera peccata, Columba Sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens*, Idem de Baptiſmo cap. 8. Hinc fabulæ Gentilium. *Xiſuthrum* Aſſyrii *a diluvio aves emiſiſſe, exploratum, an alicubi terræ apparerent? & Deucalioni columbam nunciam fuiſſe tempeſtatis ac ſerenitatis*, narrabant Theſſali, vide Alex. Polyhiſtor. apud Cyrillum l. 1. adv. Julian. & Plutarch. de Animal. ſolert. Argonautis quoque,

Dux erat ignoto miſſa Columba mari.

Quærunt de oleâ hac, *an naturaliter virorem ſuum retinuerit*, toto anno diluvio merſa? *an miraculo germinaverit?* Hebræi ramum hunc *è Sione allatum* fabulantur: *hoc ſolum, fluctu terras mergente, cacumen eminuiſſe*, ut de Parnaſſo Poëtæ. Sed non jubet his immorari.

De oleo quoque multa, quæ adferri poſſent, prætereo. Monet Eliſa 2. Reg. 4. v. 3. ut *vacua* cordis *vaſa* adferamus, ſi oleo gratiæ Spiritus Sancti impleri deſideremus. *Tàm largo fonti vas inane admovendum eſt*, ait Auguſtinus. Nam plena reſpuunt: nec oleum patitur mixturam. Alta petit ſemper; cætera ſubſidunt, & ſi abundent, expellunt. Hoc oleum venditur in Tabernâ Eccleſiæ, emuntque *prudentes Virgines*, dùm tempus eſt, quo fides accenſa lucet. Idem - *lux, medicina, cibus.*

Hoc

Hoc oleum, per Evangelium, & veniæ promiſſionem, infunditur *Vulneribus*, ut dolorem mitiget, & cicatricem inducat, Matth. 25. Luc. 10. Cùm Largus Ægypti Præfectus, ſub Auguſto Cæſare, exercitum duxiſſet in Arabiam Felicem, inuſitato morbo maxima pars interiit, cui præter ἔλαιον οἴνῳ μεμιγμένον nullum fuit remedium, Xiphilinus in Auguſto. Verùm hæc aliis relinquamus.

CAPUT XLI.

De Thamar Palmâ.

1. PAlmæ crebra quoque mentio eſt in S. Literis: tàm *naturalis*, quæ תמר *thamar* dicitur (ut Exod. 15. v. 27. ubi Iſraëlitæ *Lxx. palmas & XII. fontes*, repererunt: quod repetitur Num. 33. v. 9. Ita Levit. 23. v. 40. *in feſto Tabernaculorum* juſſi ſunt geſtare inter alias frondes, *Cappoth*, ramos, vel ut habet Vulgatus, *Spathulas palmarum:* de quibus iterùm Nehem. 8. v. 16. & nos ſuprà c. 2. Et Joël. 1. v. 12. *Palmam* queritur æſtu nimio *exaruiſſe*, inter cæteras arbores fructiferas, quarum proventu lætari ſolent homines: Pſalm. 92. v. 12. *Juſtus ut palma florebit:* Cant. 7. v. 7. 8. *Statura Sponſæ ſimilis palmæ: dixi*, inquit Sponſus, vel ut alii Chorus puellarum, *adſcendam in palmam, apprehendam* palmites vel *fructus ejus:* Laudatur enim palmæ proceritas, & rectitudo, indè & idola *inſtar Palmæ*, erecto corporis ſtatu, *fabrefacta*, ad exemplar hominum, Jerem. 10. v. 5. *Kethomer*,



PALMA MAIOR.

omer, formæ Maſcul. ut Judic. 4. v. 5. ubi habi-
ſſe Debora dicitur *tachat - thomer ſub palma*. In-
palma id eſt rectitudo, *fumi* Cant. 3. v. 6. Joël. 2.
30. qui rectà adſcendit q. columna: & *Thame-
rim obeliſci*, viæ indices, Jerem. 31. v. 21.) quàm
tificialis, quæ ornatus ac myſterii causâ in Tem-
o, in parietibus ac oſtiis, viſebatur, 1. Reg. 6. v.
9. 35. ut Ezech. 40. & 41. capp. adde 1. Reg. 7.
36. De *Mulieribus, urbibusque* nomen à *Thamar*
leptis, nil opus eſt plura addere, vide Marinum
Greg. Lex. Sanct. Denique in N. Teſtam. φοίνιξ
alma memoratur Matth. 21. Johan. 12. v. 13.
poc. 7. v. 9.

2. Apud Chaldæos, Arabes, Æthiopes idem
rè nomen eſt. De etymi ratione nil comperi
rabum, cum ת *thau punctato*, radix, *thamar*,
gnificat, *fructificavit*. Quidam derivant à *Ma-
ib rebellis*, contumax *fuit*, ut notat Marinus,
uod ponderi reſiſtat. Græcum φοίνιξ πολύσημον
entem, arborem, avem ſignificat. Sic quod Da-
id cecinit; *juſtus ut* φοίνιξ *florebit*, de ave ac-
eperunt quidam veterum, ut Tertullianus de
eſurr. Cam. dixi S. Analect. Volum. 1. l. 3. c. 3.
ag. 165. Contrà, ubi Jobus dixit: *in nidulo meo
noriar, & multiplicabo dies meos ſicut* חול *chol*,
ap. 29. verſ. 18. LXX. poſuerunt, ὡς στέλεχος
οίνικος, & Vulgatus; *ut palma*: cùm de Ave
Arabicâ potiùs accipiendum ſit, quæ ſola in ni-
ulo ſuo mori ac reviviſcere credita, in S. Ana-
ect. l. c. Mitto alia ſignificata vocabuli Græci.
De Etymo lis eſt inter Grammaticos. *Phœnices*
lii dictos putant, quod φένιοι quondam fuerint

καὶ

καὶ λῃστρικοὶ τὸν τρόπον: alii *à colore* vel *Rubri maris*, undè profecti litora Syriæ occupârint; vel *purpuræ Tyriæ*, undè φοινίσσω τὸ βάπτω: alii à fabuloſo quodam *Phœnice Tyrio*, Cadmi, & Cilicis fratre de quo Apollodorus l. 3. Biblioth. princip. Recentiores ex Hebræâ linguâ derivant, de quibus Bochartus in Phaleg. l. 4. cap. 34. & in Canaan. lib. 1. cap. 1. ipſe Phœnices putat appellatos, quod ſe gloriari eſſent ſoliti *Bene* - vel *Phene Anak*: probabili ratione. Mihi veriſimillimum videtur, eundem fuiſſe Græcis Regem *Erythram* & *Phœnicen*, qui à Mari Rubro, & eâ parte Arabiæ, quæ adjacet usque ad mare noſtrum, Mediterraneum, regnârit vide Conon Narrat. 37. & 40. ut Strabonem, Pauſaniam, Plinium taceam. Ac Philo quidem Byblius primum ait *Cognomen Phœnicis adeptum* χνᾶ, id eſt, *Canaanem*: Sacra verò hiſtoria *Eſavum* diſertè docet, *Edomum* appellatum fuiſſe, ſivè φοινὸν, ἐρυθρὸν, πυῤῥὸν, Etymolog. Nec dubito, quin ante migrationem Cadmi in Græciam, mare *Erythræum* Rexque *Erythra* innotuerint: ex hujus nomine *Synonymum* confinxerunt *Phœnicis*, comites *Cadmi*; quod patrii nominis *Canaanis* puderet, ſivè propter Nohæ maledictum, ſivè propter clades toto orbe celebratas, quas à Judæorum Duce paſſi Joſuâ, novas ſedes quærere coacti fuerunt. Indè jam *palmæ* quoque nomen, ut φοῖνιξ audiret; non tam, quod Phœniciæ frequens & q. propria arbor eſſet; quàm *à colore fructus*, qui *Spadix & Spadica*, ut color indè *Spadiceus*, φοινὸς, *Phœniceus*, quaſi ſanguine tinctus. Nec longè abeſt notatio, quam adfert

fert Etymologici Autor. *Phœnicem arborem di-* *διὰ τὴν τῶν σελέχων ὀξύτητα, eò quod tangentes* *uentent, & ſanguine tingant : undè juſti palmæ* *nparentur ; quoniam Salutaribus doctrinis pun-* *nt acuantque mentes audientium*, De Ave Phœ-ce vide Kirchmajer. in Diſp. Zoologicis. *Palma* *ta quod oppanſis eſt ramis, in modum palmæ homi- : fructus ejus dactyli à digitorum ſimilitudine*, dor. 17. Etymolog. cap. 7. Convenit Hebræum בלם *Balam*, conſtringere, ligare, claudere; hinc λάμη, & ruſticorum proprium verbum, *palma-*, id eſt, *materias allegare*, Columellæ l. 11. cap. circa fin. Nam in oriente *foliorum* antiquiſſimus *us* fuit *palmæ, ad funes, & vitilium nexus*, Plin. 13. p. 4. & 16. 24.

3. *Deſcriptio* hæc eſt; 1. *Partes* ſunt; *Radix* læ fimum averſatur, ſale gaudet, & ſalſo ſolo: *i tale non eſt, ſalem adſpergunt, non radicibus, ſed ulò longiùs*, Plinius 13. cap. 4. *Gaudet & riguis, toque anno bibere cùm amet, anno ſitienti*, Ibid. cœ-m, puta, quærit calidum, terram humectam, ut ox: *Caudex*, procerus & altè exſurgens: undè *dua palma*, Virgil. *Cortex* utrum lævis, an aſper, abris, circùm cultellatisq́ue q. pollicibus grada-n diſpoſitis? quæritur. Diodorus Siculus l. 2. cap. 3. *Palmæ ſtipite ſunt aërio, præcelſo ac tereti, & un-que vertice tenus glabro.* Plinius l. cit. de Sylveſtri æfatus, fruticem non excedente; *reliquæ*, inquit, *retes atque proceræ, denſis gradatisque corticum llicibus, ut orbibus, faciles ſe ad ſcandendum Orien-populis præbent : utilem ſibi arborisque induviis*

circu-

circulum, mirâ pernicitate, tùm homine ſubeunt[e].
Pro pollicibus, Clariſ. Reineſius monuit legen-
dum, *Cochlicibus*, 2. Var. Lect. cap. 9. Theo-
phraſtus apud Portam Villæ lib. cap. 23. *Corti-
cem* palmæ tribuit, *cùm adoleſcit, lævem; ſcabrio-
rem, cùm ſeneſcit.* Veslingius in Alpin. cap. 7. *Ar-
bor*, inquit, *ipſa quò magis aſſurgit, eò minus ramo-
rum abſciſſorum nodis horret: annoſior nodos penitùs
obliterat: per tubera quædam inæqualia*, nos poll-
cus videtur dicere Plinius & formâ non ſunt adeo
diversâ, *ſcanſilis: ſcabrum tamen corticem ad ex-
tremum usque ſenium ſervat. Vero ſcilicet virtutis
ſimulacro, quam calloſas obtinere manus rectè pro-
nunciavit Sapiens Romanus.* Ita Willeramus Abba
in Cant. Canticor. cap. 7. v. 7. de Palmâ, ait quo-
ca - *aſpera muſca*

Corticis horrifici ſit parte ſub inferiori.

Et Honorius in eund. loc. *Palma eſt inferiùs aſpe-
ra; & ſuperiùs pulchra: Quia Eccleſia hic fuit aſpe-
in preſſuris; ſed Victoriâ potita de vitius, pulch-
fulget in cœlis:* uterque ſequutus Greg. M. in Can-
l. cit.

4. Sequuntur *Palmites & folia:* hæc *cultra*
*mucrone ſunt, lateribus in ſeſe bifidatis, Coma fe-
omnis*, & fructus, *in Cacumine.* Neque defluu-
unquàm, ſed ſemper perennia manent, & eaden
Dulcis medulla in cacumine Cerebrum *appellatu-*
Plin. l. c. ἐγκέφαλον Græci dicunt. Dioſcorides
ἐγκάρδιον τοῦ πρέμνου, *cor caudicis: ab eo enim inſe-
tis ſibi ramis vitalis vigor ſuffunditur, & nutrimen-
gerulæ fibræ in altricem terram deſcendunt. Exem-
ptum in cibis expetunt Aphrodiſii*, laſcivi, Veslingi
l. c.

cit. Undè Nicander in Georg. Cerebrum palmæ
οις ἄσπαςον ἔδεσμα *Cibum juvenibus expetitum*
ocat. *Corpus plenum facit, largiusque nutrit, ſed*
entriculum gravat, ſitimque excitat, Diphilus,
pud Athenæum l. 2. ext. Meminit Xenophon.
. Exped. Cyri: *Milites*, inquit, de Clearchi copiis
ocutus, *medullâ palmæ veſci cœperunt, multis &*
enus ipſum, & propriam quandam in hoc cibo ſua-
itatem admirantibus. Id tamen capiti infeſtum
rat: palma ipſa, medulla adempta, exareſcebat:
hilo lib. 1. de Vitâ Moſis: *Palma vitalem vim*
abet, non in radicibus defoſſum, ſed in ſummo ſitam,
uaſi Cor: in ramorum medio à quibus circum qua-
ue ſtipatur, ut Princeps à ſuis ſatellitibus; Eadem
atura eſt mentis, quæ Sanctitatem deguſtavit: Solet
nim ſurſum ſpectare, & in ſublimibus verſari: oc-
upata contemplandis divinis pulchritudinibus, nau-
ifaciens terrenas, & hæc luſus reputans, illa ſeria.
Paſſeratius de Palmâ;

Huic cerebrum tribuunt, quo mox areſcit adem-
pto,
Raptorem inſano capitis priùs ulta dolore.

Fructus palmæ racemis propendet. Quem ſola
rborum *in Spathis* habet, quas & *elatas* vocant,
Plin. 12. c. 28. Sunt eæ involucrum quoddam flo-
entium palmarum, pulvinaris facie, extremitati-
bus in acutum deſinentibus, duarum Spithama-
rum longitudine: eo dehiſcente prorumpunt flo-
res, & dactyli, qui per Autumnum matureſcunt,
Dioſcorid. c. 126. l. 1. & Matthiolus ibid. Arabes
Dachel appellant, ut Veslingius notat; apud Pli-

 nium

nium lib. 13. c. 4. Legitur nomen *Dabula*; quam Juba apud Scenitas Arabas omnibus ſaporibus præferat. *Debela Palatha*, vel caryca Hebræis eſt, aut *Carica*, ficus vel maſſa ficuum. *Dattiles* vocant Hiſpani quoque palmarum dactylos, & inde alii: Nomine ex Arabiâ petito, non Græcæ originis. Sic fructum Spathâ incluſum, ait Dioſcorides, quibusdam dici *Boraſſum*: Serapion habet *Baſſar*, quod à *Biſſer* nunciando, aut à *Bazâr* vindemiando poſſit fortè derivari.

5. Hæc de partibus, videamus 2. *Species*. Unde quinquaginta numerari poſſe docet Plin. 13. c. 4. *Clariſſimæ omnium*, inquit, *quas Regias appellavêre; ab honore, quoniam Regibus tantum Perſicis ſervabantur: Babylone natæ uno in horto Bagou dicto* &c. Nobiles etiam *Margarides*, *breves*, *candidæ*, *rotundæ*, *acinis quàm balanis ſimiliores: quare & à margaritis nomen acceperunt*. Meminit ex Plinio Paſſeratius:

Non ego te indictam gemmis cognata, relinquo
Margari, quam de ſe voluit natura renaſci:
Namque tuo exemplo, poſtquam occidit unicus ales,
Se reparat, magni ſpatiis redeuntibus anni.

Et ideò *putatur avis Phœnix, ex hujus palma argumento nomen accepiſſe*, ait Plinius l. cit. Tota potiùs hinc conficta videtur. Inter alias ſpecies eſt Ægyptia *Adipſos* dicta, de quâ in Acerrâ meâ l. 1. num. 77. & 78. Fructus dicitur πῶμα, *à potando*, quod ſitim reſtinguat, ante plenam maturitatem: nam cùm nigreſcit, matura *Phœnicebalanus* dicta, ve-

ſcente

entes inebriat, Plin. 12. cap. 22. Palma Indi-
ı, cui *Coquos* nomen indiderunt Hiſpani quod
ıces, quas fert Cercopitheci caput, repræſen-
nt; Indis *Maro*, fructus verò *Narel* dicitur,
arſias ab Horto Aromat. hiſt. lib. 1. cap. 26.
luſius in Notis deſcribit: *caudice non eſſe ſcabro,
palmæ, ſed lævi; & adſcenſu difficilem, ideoque
arteis vinculis cingi per intervalla:* ei non abſimi-
eſt *Areca*, &c. Nomen *Maro* cum *Tamarà* be-
convenit, *Tamarindus* alia planè arbor eſt, nec
llam cum palmâ habet ſimilitudinem, ait Ves-
ngius. Depictam cum ſiliquis, quas fert, vide
pud Matthiolum. Nec *Tamar* ſolum ſignificat
actylum, ſed apud Arabes *fructum omnem*, ut
ldit Vesling. vide quæ de etymo nominis nota-
num. 7. Ut à *thamar* fructificando, dictam hanc
borem ejusque fructum omninò putem: Fert
nim uberrimum, *meminique*, ait Idem Veslin-
us, *ſic onuſtum fuiſſe dactylis ſuis unicum racemum,
eum attollere à terrâ præ pondere vix ſuſtine-
m.*

6. Eò pertinet 3. diſcrimen *Sexûs*, de quo
ulta Plinius l. cit. & Dalechamp. ibid. Herodo-
s jam olim: *paſſim in Babylonicâ regione naſci
lmas, ex quibus cibos, vinum, & mel conficiant:
aſculas dici, quarum fructus aliis alligentur, ut ea-
m quoque palmulæ à culicibus, quaſi caprificatio-
. maturentur: Culices enim in maſcularum fructu
ſci, ut in Caprifico*, lib. 1. p. 35. meminit quoque
thenæus. Ammianus Marcellinus de eâdem ferè
gione: *Oriri ibi palmarum arbores, earumque in-
ntia nemora: quaquâ inceſſerit quisquam termites*

 & ſpa-

& ſpadica cernit aſſidua, quorum ex fructu mellis & vini conficitur abundantia: maritari palmæ ipſa dicuntur, facileque ſexus poſſe diſcerni: additur etiam fœminas generare, ſeminibus marium illitas, &c. lib. 24. - *nutant ad mutua palmæ Fœdera*, ut canit Claudianus de Nupt. Honori & Mariæ. Sic Plinius: *circa ſingulos mares plures natant, in eum pronæ blandioribus comis*, l. cit. Leontius; *recreari fœminas manu arboratoris, ſi demulcens marem, baſium quaſi indè afferat illis, atque blandâ manu contrectet; aut ſi flores ex mare carptos amaſiæ capiti circumdet.* Similia ex Theophraſto refert Porta, & aliis, dixique ex Achille Statio Volum. 1. S. Analect. p. 192. Meminit Paſſeratius elegantiſſimis verſibus, ſed pluribus, quàm ut deſcribere libeat; ubi ex Pontano quoque palmas duas, alteram marem *Brunduſii* alteram fœminam *Hydrunti*, tamdiu ſteriles fuiſſe quoad adoleviſſent eò usque, ut mutuo frui poſſent adſpectu: & ex Plinio ait;

At ſi fortè marem excidat ſcelerata bipennis,
Tùm viduas nimio perhibent ſterileſcere luctu.

Vide etiam Scaligeri Exercit. 173.

7. His adde 4. *Situm*, cœli ſolique, *Judæa maximè inclyta eſt palmis: ſunt quidem & in Europâ vulgoque Italia, ſed ſteriles: fructum in maritimis Hiſpaniæ ferunt, verùm immitem: dulcem in Africâ, ſed ſtatim evaneſcentem. Nobilitas in Judæâ, nec in totâ, ſed Hieriechunte maximè:* indè urbs ea *palmarum* Hebræis, vide Marin. & Adrichom. Sic Lucanus - *arbuſto palmarum dives Idume.* In Æthiopiæ fine *quinque earum, nec plures arbori-*

adunt, non raritate magis quàm ſuavitate mirabi-
s, Plin. l. c. In Arabiæ deſerto *Elim* eſt, Septua-
nta palmis & duodecim fontibus clarus locus,
e quo Hieronym. de Manſionib. ex cap. 15. Exo-
. *Poſt Mara venitur in Elim*, Proverbio ſimile:
er amara ad dulcia, per crucem ad lucem. Fon-
s illos vidiſſe narrat Bellonius; in ampliſſimâ
lanitie ſolo ſterili, arenoſo, nitroſoque ſitos eſſe,
aſſibus forſitan quinquaginta inter ſe diſtantes.
e Palmis nihil adjecit, l. 2. obſerv. cap. 57. &
9. *De uſu* 5. jam dixi non nihil; *de Vino* pal-
arum vide Plinium quoque lib. 14. cap. 16. eo
arthi & Indi utuntur, & totus Oriens. De *Aceto*
enophon 2. Exped. Cyri l. c. *de Tragematis &*
ellariis Idem, & Plinius, Athenæus, &c. Apud A-
ulejum 2. Metamorph. ſunt *baxea palmea, qui-*
us pedes indutus erat Zuchlas Ægyptius Propheta:
c l. 11. *Solea palma victricis foliis intexta.* Paulus
remita *contextis palmarum foliis veſtiebatur*,
ieronym. in Vitâ.

Palma dat adverſus rapidos umbracula ſoles,
Palma trabes tectis ſolidas paſtusq́; miniſtrat &c.
Palmarum foliis mandavit ſcripta vetuſtas
E quibus & validos docuit connectere funes.

ollectis palmarum foliis varia opera concinnabant
onachi, quæ poſteà in oppida mittebant, ut indè
uſtentarent vitam. Paulus Abbas, *palmarum fructi-*
us ſecurus, hortoq; medico, cùm ſufficientem haberet
limoniæ ſuæ ſubſtantiam, id quod toto anno ſollicita
ura laboraverat, quotannis ſuppoſito igne concrema-
vit, ut ſemper haberet novi operis materiam, re-
fert Caſſianus de Sp. Acediæ l. 10. c. 24. Strabo &

 Plutar-

Plutarchus memorant, *Babylonios carmen cantare ſolitos in laudem palmæ quod CCCLX. habeat utilitates*, quot in anno Lunari dies ſunt. Itaque *Anno hieroglyphicum* apud Ægyptios fuit, quoniam ſingulis menſibus quoque μίαν βαΐν *ramum unum* procreet, Horapollo 1. hieroglyph. cap. 3. In Æthiopiâ *ſiccæ* palmulæ *farinæ in modum ſpiſſantur in panem*. E palmis *prunæ vivaces*, *ignis lentus*, Plin 13. v. 4. cap. ubi plura. Innumeras etiam commoditates hodie num præſtat palma indica, *Coquifera*, quas recenſet Scaliger Exercit. 158. Sect. 2. & Garſias hiſt. Arom. l. 1. cap. 26. Pertinet eodem uſus *materiæ*, è quâ Cyrus Babylonem obſidens fundamenta locavit turrium: *Palmæ enim, quum aliquo premuntur pondere, ſursùm velut in gibbum incurvantur, ut aſini clitellarii*, Xenophon Cyripæd. lib. 7. ubi & paulò poſt refertur: *Januas* ædium Babylone *è palmarum materie fabricatas, & bitumine unctas* fuiſſe, ut facilè conciperent ignem. Plura Plinius, Porta, & alii. Mitto alia, quædam differo.

8. Ex dictis apparet, *cur juſtus palmæ comparetur*, Pſalm. 92. cit. *cur Sponſæ ſtatura*, & forma regalis? Cant. 7. l. cit. Nempè, quomodò Homerus Odyſſ. 6. quem multa è S. Literis mutuatum alii docuerunt dudum, *Nauſicaam Alcinoi Filiam Palmæ* comparavit, *ad Apollinis Delii aram enatæ*; propter eximiam arboris pulchritudinem, quæ omnes ſenſus oblectat: Foliis & palmitibus ἀειφύλλοις καὶ ἐμπεδοφύλλοις, Paſſeratius:

> *Sola viret ſemper, frondes & ſemper eaſdem*
> *Palma tenet, ſeræ longinqua ad fata ſenectæ.*

Tùm

ñam & *gemmis* acinorum, aut balanorum: quarum aliæ certant candore *cum margaritis*, ut dixit Plinius lib. 13. cap. 4. aliæ *electro* aureo colore, ut Xenophon l. c. aliæ purpura *pyropis, pariterque gustum demulcent & viſum*, ut Diodorus Siculus l. 2. c. 53. *Radix* juſtitiæ fides eſt, quæ *fimum* odit, in quo computreſcunt jumenta Diaboli. Joël. 1. v. 18. Habac. 2. v. 6. Malach. 2. v. 3. gaudet *Sale* Sapientiæ, Levit. 2. v. 13. Marc. 9. v. 49. Coloſſ. 4. v. 6. *Salis maxima in ſacris autoritas, quandò nulla conficiuntur ſine molâ ſalsâ*, Plinius l. 31. cap. 7. *Caudex*, recta intentio: undè palma Q. Smyrnæo, ſivè Calabro lib. 5. ὑψηλὴ, ψαύουσα πρὸς οὐρανὸν, ubi Montem Virtutis pingit in clypeo Achillis, in quo ipſa, v. 50. & ſeqq.

Invicta pedibus ſtat nixa cacumine palma.

recludens immeritis mori Cœlum, negata tentat iter via, Horat. 3. Od. 2. *Virtus durioribus negotiis enitescit, & aſpernatur declivem facilitatem, maximoque ſudore arduum laudis adnititur*, Symmachus l. 9. Epiſt. 81. Quare *Muſæ quoque palmis coronatæ* ut Phornutus docet de Diis, *non tàm propter homonymiam, quod Phœnices primi literas invenerint, quam*, διὰ τὸ τεθηλὸς, καὶ ἱμερτὸν, καὶ ἀείζωον, καὶ δυσαναβάτην, καὶ γλυκύκαρπον τοῦ φυτοῦ, quæ omnia huc ſpectant, vide Pſalm. 1. v. 3. Coloſſ. 3. v. 1. *Materia* nulli cedens oneri, Conſtantia eſt, victrix adverſitatum, 1. Johan. 5. v. 4. *Propterea* inquit Plutarchus Sympoſ. 8. *in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ; quoniam ingenium ejuſmodi ligni eſt, ut urgentibus, opprimentibusque non*

cedat, A Gellius l. 3. cap. 6. *Cor* & ἐγκέφαλον Chriſtus eſt, quo præſente vivimus: ipſe enim Vita eſt, Joh. 14. v. 6. & 15, v. 6. Itaque non poteſt areſcere juſtus, viget ut in igne rubus, Exod. 3. v. 2. ut palmæ in Vulcani rupe, licet ignem evomat, inter candentia Saxa florent, fructusque edunt; reviviſcit renaſciturque ut Phœnix. Fides Virtusque ut Claudianus;

Divitiis animoſa ſuis immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Fructus innumeri, in *Spathâ* bonæ conſcientiæ clauſi, dum erumpant ſuo tempore, Phil. 1. v. 11. *Rami tendunt in Cœlum, fructus propendent in terram palmæ: Sic Eccleſia fide cœlum attingens, charitate infirmis ſe ſubmittit & ubera præbet doctrinæ*, Theodoretus in Cant. l. cit. Dixi plura in Paradigm. Conc. Addique poſſunt non nulla *ex emblematibus* ſequentibus.

9. Plurima petuntur ex naturâ palmæ: vide Paradini Symb. Heroica, Alciati, & Hadr. Junii Buiſſardi, Lebbei, aliorumque Emblemata, & quæ colligit ex Camerario aliiſque Mylius in Horto philoſoph. dabo aliqua, ſed nova pleraque. 1. Palmæ caudex aſper, ſuprà num. 3. - *Ardua prima via eſt! Via Virtutis, Virtutem amare incipientibus, aſpera & moleſta apparet: iis vero qui melium ejus tranſire poſſunt, tota lenis & expedita oſtenditur*, Diadochus Photices Epiſcop. de Perfect. Spir. cap. 93.

Surge age & in duris non deſice! ſumma petenti
Non levis adſcenſus, deniquc plana via eſt.

2. Pa-

2. Palma Indica ſparteis per intervalla circùm ata vinculis, ut facilior ſit adſcenſus. *Grada-* *l!*

Qui petit alta, ruet: niſi certo ſe ordine tollens
Paullatim ſurgat, promoveatque gradum.

uicquid certum deſerit ordinem, Lætos non habet *itus!* Boëthius.

2. Doctrina - *Sauciat & Satiat!* num. 2. 4.

Sub mucrone latet cultrato palmula dulcis:
Qui docet exacuens dùm nocet, exſatiat.

3. - *Ab ipſo ducit opes animumque Caſu*, num. 5.

Margaris exoritur ceu palma reciſa bipenni;
Surgit ab occaſu mens generoſa ſuo.

uod ex Rutilio Numatiano l. 1. Itinerarii, alio eganti emblemate illuſtrari poteſt; Verbo uno utato:

Virtus, ut vires fax inclinata reſumit,
Clarior ex humili ſorte ſuperna petit.

5. *Chriſtum ſervare memento!* num. 4. & 8.

Palma viget ſalvo cerebro: exareſcit adempto;
Qui Chriſtum amittit, poſtea nullus erit.

6. *Deo & Hominibus* εὐσεβῶς καὶ δικαίως, Tit. 2. 12. num. 8.

Fert ramos ſursùm, ſed fructus palma deorſum:
Hinc Cœlum; terras reſpicit indè fides.

7. *Alexandri milites palmis viridibus ſtrangu-* *ti ſunt: in Gedroſis id factum eſt pomi genere; alibi* *pia evenit. Eſt enim tanta muſteis ſuavitas, ut finis* *andendi non niſi periculo fiat.* Monet ergò Spa-

 tha

tha palmarum, *ne quid nimis!* Plin. 13. cap. 4. extremo.

Strangulat immodico veſcentes palmula guſtu:
Virtus eſt placitis abſtinuiſſe bonis.

8. *Ne quis glorietur!* num. 4. & 8.

Spatha immaturos fructus tegit, atque tuetur,
Rectè facta animo tuta repoſta latent.

Honeſtatis fructus melius in conſcientiâ, quàm in famâ reponitur, Macrobius.

9. Τὰ ἀνώτερα καλλίω, *ſursùm corda!*

Cor palmæ in ſummo capitis ſtat vertice: Cœlum
Suſpice, mens; vani ſperne caduca Soli,

10. Notus eſt Auguſti nummus de Victoriâ contra Ægyptum. - *Nemo antè ligavit!* vide Oecon. Numiſm. Pier. Valerian. Cauſſin; Polyhiſt. &c. Fuit Crocodilus inſigne Pharaonum, ut Ezech. 29. v. 3.

Nilicolam palmæ religavit nemo Draconem:
Cæſaris hæc; major gloria, Chriſte, tua eſt.

11. *Conſtanter & alacriter:*

Palma maritatur viti pulcherrima: Sic mens
Conſtans atque alacris nobile conjugium eſt,

Sic lucum in Meſopotamiâ deſcribit Zoſimus l. 3. palmis conſitum, quas propter enatæ vites palmitibus ſuis amplexabantur, mixta palmularum inter racemos uvas oſtendentes.

12. *Tu contrà audentior ito!*

Indignata premi, ſub iniquo pondere palma
Surgit; ut adverſis mens generoſa ſuis.

13. *Cypſe-*

13. *Cypſelus* Periandri Corinthiorum Tyranni Pater, dictus quòd ad necem quæſitus infans, à matre in *Cypſela*, ciſtâ aut cumerâ, clàm abſconditus latuerit; *œcon* ſivè ædem Delphis dicavit, in beneficii memoriam; quoniam Deus tùm, ne vagaret, inhibuerit. In eâ *palma* erat viſenda *ærea*, inter alia donaria, *ad cujus radicem torno exſculptæ erant ranæ & hydri.* Indè jam olim diſceptatum; quid dedicans iſto ſibi emblemate voluerit? ut apud Plutarch. in Conviv. VII. Sap. extr. & de Pythiæ oraculis. *Invidiam virtutis eſſe comitem*, indicatum voluiſſe putat Hadr. Jun. Embl. 9. & Cauſſin. in Polyhiſt. - *Famæ mendacia ridet!*

1. Non hydros curat, non ranas palma loquaces:
Lunave vocales nocte ſilente canes.
2. Palma coaxantes ſubtus velut ardua ranas;
Sic bona mens ſpernit murmur & invidiam.

14. Nos quantò magis decebat inquirere, quid *Palmæ, ſparſique flores, inter Cherubinos, in pariete & oſtiis Templi Salomonis* ſignificârint; ut 1. Reg. 6. v. 29. 35. *Palma* inſigne fuiſſe videtur Populi Judaici; quod & Romanorum nummi indicant: hinc Sponſa in Cant. c. 7. palmæ comparatur, & Eccleſia à Doctoribus ſubindè noſtris: *Cherubini* Dei præſentiam, *flores* ſparſi felicitatem denotant, - *Cœli præſentia ſervat!*

Palma, Cherubinique & ſculpti in parjete flores,
Præſens in Templo Numen adeſſe notant.

De Palmâ Judaicæ Gentes inſigni, vide Pier. Valerian. Hieroglyph. lib. 50. Mos autem erat, ut urbium

bium donariis earum inſculperentur inſignia: Sic *Selinuntii aureum pium*, ſivè Selinum, *dedicârunt, & Tenedii ſecurim.* Plutarch. de Pythiæ orac. De Cherubinis vide tantùm Pſalm. 80. v. 2. De Florum ſparſione, in honorem Dei dictum ſuprà eſt, Matth. 21. 8. Aliter Beda tamen & Ribera de Templo lib. 1. cap. 22.

15. In eodem Templo erant *Decem Luteres*, ſivè labra ænea, abluendis victimis, 2. Paralip. 4. v. 6. *Baſes* quadratæ in Tabulis ſuis exhibebant *imagines ſtantium palmarum, quas hinc Cherubini cingebant, inde Leones*, 1. Reg. 7. v. 36. Labra hæc *Baptiſmum* ſignificabant, ut Lauretus in Luter, ex Heſychio in Levit. vel quotidianam *pœnitentiam* ut Ribera lib. 2. cit. cap. 19. Baſes, ait Lauretus, Apoſtoli ſunt, vel prædicatores, qui Verbo & exemplo ſuſtentant. Meliùs Verbum Dei ejuſque miniſterium, quod eſt *Columna firmamentum Veritatis*, Irenæus l. 3. Præfat. ex 1. Tim. 3 v. 15. Cherubini Sapientiam, Leones fortitudinem, Palmæ victoriam ſignificare poſſunt; qua Verbo Dei docentur: Vel potiùs; Palma Eccleſia eſt, quam tuentur, ut in Verbo Dei & Sacramentis radicata maneat, duæ Hierarchiæ, Eccleſiaſtica & Politica, duo Dei teſtes, ut Zachar 4. v. 11. 14. Apocal. 11. v. 3. 4. Moſes & Aaron Zorobabel & Joſua Sacerdos. *His cuſtodita perennat!*

Palma Cherubinos inter, ſtanteſque leones,
Tuta Chori perſtat præſidio, atque Flori.

16. Ne ſteriles permaneant palmæ *fœminæ maribus* remotioribus *fune alligantur*, ut fœcunditæ

itas tranſeat, Mylius, vide Portam l. cit. Philo-
ratus in Imaginib. lib. *de Palude*, refert; duas
almas in oppoſitis ripis ſtantes, mutuo amore
rdentes, ad ſe invicem inclinari, donec ſe con-
ngant & q. oſculari poſſint. Ita *pons ſternitur*, ῖς διαβαίνουσιν ἀσφαλὴς, *ſecurus tranſeuntibus*, *ropter Corticis aſperitatem.* Ita - *Fides fœcundat* *more!*

Ut palmæ fiant fœcundæ, fune ligantur:
Fœcundat, Chriſto corda ligata, fides.

t - *hac tutò tranſire licet!* Palma mas, ut verba
abent Philoſtrati, ἐρᾷ καὶ ἐπικλίνεται καὶ ὑπερ-
άλλεται τοῦ ποταμοῦ, *amat, & inclinatur, & flu-* *vium tranſilit: & cùm procul adhuc abſentem fœmi-* *am amplecti non poteſt*, κεῖται καὶ δουλεύει, *jacet,* *c ſervit.* Quod ad Filii DEI in carne exinani-
ionem pulcherrimè aptari poterit, de quâ Philipp.
2. v. 6. 8.

Nutat amans ad amatam, ut pontem Palma miniſtret:
Crux Chriſti ad Cœlos unica certa via eſt.

17. *Apud Mundam D. Julius*, Cæſar, *caſtris lo-* *cum capiens, cùm ſylvam cæderet, arborem palmæ* *repertam conſervari, ut omen victoriæ, juſſit: ex eâ* *continuo enata ſoboles, adeò in paucis diebus adole-* *vit, ut non æquipararet modò matricem, verùm* *etiam obtegeret, frequentareturque columbarum ni-* *dis: quamvis id avium genus duram & aſperam fron-* *dem maximè vetet.* Hoc oſtento poſt Julium Octa-
vio Auguſto, Sororis illius nepoti, imperium in-
dicabatur obventurum, Suetonius in Auguſto

cap.

cap. 94. Poſſis adſcribere ex Pſalmo 84. verſ. 8 - *nidum reperêre Columbæ.*

Aſpera ceu nidum timidis dat palma columbis;
In cruce ſic habitat mens pia, Chriſte tua.

18. *Victoriæ ſignum* fuit palma, geſtata manu, ut 1. Macc. 13. v. 51. 2. Macc. 10. v. 7. Johan. 12. v. 13. Apoc. 7. v. 9. 4. Eſdr. 2. v. 45. 46. Quo etiam palmæ in Templo Ezechielis ſculptæ ſpectant, c. 40. & 41. paſſim. Primus Theſeus palmam donâſſe victoribus fertur in Græciâ, Plutarcho referente in Theſeo, qui in Sympoſiac. l. 8. quæſt. 4. cauſas exponit; cur cùm alia certamina alias haberent coronas, palmam communiter omnia? an propter pulchritudinem? an intuitu longævitatis, & quod nullum ex ſe natum folium abjiciat? an quod ſacra ſit Apollini Pythio, certaminum præſidi? an quod, ut Babylonii cantant, CCCLX. utilitatum genera præbeat? aut quod ſe non ſinat deorſum premi impoſito pondere, ſed contra renitatur? Multa de his Cornel. à Lap. in Apoc. l. c. quæ videat, qui cupiet. *Palma datur palmæ!* laboranti, puta, certanti, vincenti. Indè Paſſeratius de imagine Victoriæ notiſſimâ, ex nummis & Scriptis Romanorum:

Florentem pennata gerit Victoria palmam:
Adde: *Non niſi vincenti palma decora datur.*

Mihi videtur in Populo Dei palma omnium bonorum cumulum, quibus beatitudo conſtat, ſignificâſſe, ut arbor Vitæ dici potuerit, de quâ Prov. 3. v. 14. 18. Habet enim omnia ferè quibus ad Vitam ſuſtentandam opus eſt, cùm & cibum, & potum, & amictum, & domum, & utenſilia, & alia

ia præbeat: arbor ipſa adſpectu formoſiſſima, mbrâ gratiſſima, vitâ longæva, cum *quæ Deli erat b Apollinis*, ſub eâ nati, *ætate*, Plinii tempore, ut erhibet, *adhuc conſpiceretur*, l. 16. cap. 24. ſemer denique virens, & nihil ex ſe natum non haens perpetuum. Sanè *lignum vitæ*, quod Apoal. 22. verſ. 2. deſcribitur, palma eſt, duodenos amos cum fructibus ſuis per annum pariens, ngulos ſingulis menſibus, ut ex Horapolline ixi cap. 3. lib. 1. Hieroglyph. Indè ergò palna crucis Chriſti jam olim Symbolum fuit, & deò quoque Victoriæ, Vincentiſque ac tandem riumphantis Eccleſiæ! quod Theſeus, aut quiunque fuit, à Judæis acceptum, inter genes divulgavit. Hoc ergò Virtutis *præmium* ſt.

Vincenti cùm palma datur, ſimul omnia voto
Dantur, & hoc omen nobile munus habet.

19. In Pompâ Iſidis *Sacrorum antiſtites præferebant, alius lucernam: alius altaria, id eſt Deæ auxiia*; (id eſt, ἱερέων λύτρα, Gloſſæ) *alius palmam auo foliatam, & Mercurialem caduceum* &c. Apuleus l. 11. p. 245. Idem pollicebatur Diabolus ſuis ultoribus, quod Deus præſtare ſolet; Lucem Johan. 8. v. 12. aſylum & altaria, Hebr. 13. v. 10. Prov. 18. v. 10. victoriam, & Pacis caduceum, 1. Joh. 5. v. 4. & Johan. 14. v. 27. *Hæc exſpectant præmia juſtos!*

Virgula Mercurii, foliataque palma metallo,
Quæ maneant juſtos præmia certa, monent.

Qui apud Ægyptios dicebatur *Horoſcopus*, in pompis ibat *geſtans alterâ manu Horologium, altera palmam*,

mam, *ἀστρολογίας σύμβολα*, Clemens Alex. 6. Stro mat. pag. 269. Græcæ edit. nam illud tempus no tabat; hæc Solem, cui Sacra palma habita, ut ſta tim dicam. Nobis hoc Prudentiæ Symbolur eſto, ut *tempus redimamus*, Epheſ. 5. v. 16. Coloſ 4. verſ. 5. Vetus Pittaci ſententia, *γίγνωσκε τὸ καιρόν*. Ad victoriam maximum habet momen tum occaſio. Quare *tempori* quaſi *inſidiandum eſt* ut dixit Vellejus Paterc. l. 2. *Temporibus ſervir decet!*

Qui palmam exſpectas vincendi tempora ſer va :

Nunc poſita in medio eſt, cras tibi nulla datur

20. Juſti *fulgebunt ſicut Sol!* Matth. 13. v. 43 Hoc quoque Dei ſimia Diabolus ad cerimonia ſuas tranſtulit. Qui Iſidi initiabantur *ſtolam* indue bantur, quam vocabant, *Olympicam : ea inſignit. erat animalibus*; *hinc Dracones Indici. illinc Gryphe Hyperborei*; Soli utrique ſacri : *dextra gereban flammis adultam facem ; Caput Corona cinxerat pal ma candidæ foliis, in modum radiorum proſiſtentibu Sic ad inſtar Solis exornabantur*, Apulejus l. c. p 257. Sic *Muſæ palmis* coronatæ, ut dixi ex Phor nuto. *Ludis plerisque palmæ corona datur, victo resque ubique locorum palmam dextra praferunt Initium fuit à Theſeo, qui è Cretâ redux Deli ludo Apollini fecit, victoresque palmâ coronavit*. Pauſan in Arcad. Lacedæmones *coronas Thyreaticas* dice bant *è palmâ* : in memoriam victoriæ, quam a Thyream contra Argivos obtinuerunt: eas ludi publicis geſtabant chororum Duces: quorum prio puerorum erat, alter virorum fortium, nudi ſal

tabant



LAURUS MAS.

abant, canentes Thaletis vel Alemanis cantica, aut Dionyſodori Lacedæmonii Pæanas, Athenæus l. 15. Arbor Solaris palma eſt, ramis radios imitatur, ructus in terram propendentes efficaciam indicant, &c. Corona palmea gloria eſt æterna, vincentibus parata.

Ut foliis, inſtar radiorum palma coronat;
Gloria ſic merito cingit honore caput.

Ejus generis, ex hiſtoriis & ritibus veterum, plura lia fingi poſſunt emblemata: ſed palma ipſa monet; ne quid nimis. *Eſt modus in rebus.* Nam matura ejus poma, & nimia, inebriant, & ſtrangulant, t *de Adipſo* docet Solinus cap. 35. Mel nimium t fel.

Pellit acerba ſitim pomo, maturaque mentem
Palma: Voluptati debet adeſſe modus.

Pergamus ergò ne q. guſtatâ loto hæreamus ad irenum ſcopulos.

CAPUT XLII.

De Lauru & Siliquis.

LAuri nomen aliquod an in S. Literis extet? incertum. *Tidhar* interpretatur Marinus, de quâ ex Eſa. 41. v. 19. & c. 60. v. 3. ſuprà actum eſt. *Vidi impium validum & robuſtum* Keezrah, Pſal. 37. v. 35. ubi Lxx. & Vulgaus habent *Sicut Cedros*; quaſi literis transpoſitis, He pro Het poſito, legerint pro אזרח *Ezrach*, ארז *Arzah.* Hebræi recentiores & ſecuti Pagni-

 nus,

nus, Vatablus. *Laurum* habent, ut D. Lutherus Lorbeerbaum: alii *arborem indigenam*, in nativo ſolo ortam, nunquàm transplantatam, ut Hieronymus olim quoque in Pſalm. juxta Hebraicam veritatem. *Ezrah* enim hominem *indigenam* ſignificat, à *Zeràch*, ortus fuit. Arabibus & Afris, ut apud Serapionem, *Gaur* vel *Gar* Laurus dicitur, quod cum Hebræo *Gur habitavit* convenit. Indè enim *Gar incola*, & Arabicè *Gir vicinus*, *Giria puella*, domi adhuc latens, &c. γέωρες & γειῶροι terræ cuſtodes, γεωφύλακες, μέτοικοι, πάροικοι, Heſychio. Fortè, Hebræa ex origine hinc quoque *Lar* familiaris, domeſticus, & Hetruſcum *Lars*, προςάτης, atque indè *Laurus*, arborum princeps, inter domeſticas: eaque *Soli ſacra*, principi ſiderum: nam *Zarach* propriè Soli tribuitur, quandò exoritur, & *Mizrach* Orientalem plagam ſignificat. Græcum quoque *Daphne* concordat. Nam *Saphan* Chaldaicè, Thalmudicè, Æthiopicè ſignificat *principatum tenere*, ut D. Hotting. in Harmon. Indè Metropolis olim Ægypti, & urbium princeps, *Daphnis*, cui *Daphnas* nomen fecere Græci, ut Herodotus l. 2. Nec enim audiendos puto Latinos, qui *lauream q. laudeam*, ut *aures q. audes* dictas volunt, ut Iſidorus Etymolog. 17. cap. 7. aut Græcos, qui Δάφνην dictam putant quod ſit δαοφώνη, aut ἐν τῷ δαίεσθαι φωνοῦσα, *igni flagrans crepet & ſonitum edat*, ut Etymolog. M. autor.

2. Ex his patet, laurum non ſine ratione interpretatos eſſe quoſdam, cum D. Luthero, eam arborem, quam *Ezrach* appellarit David. Eaque meritò proponitur ut *imago Divitum*, potentum.

Eſt enim I. *arbor honorata:* Triumphis dicata, ianitrix Cæſarum & Pontificum, domos ſola exornans, & ante limina excubans. Delphicâ victores Delphis coronati, & Romæ Triumphantes. Adeoque laurum & oleam in profanis uſibus pollui fas non eſt, ut ne propitiandis quidem Numinibus accendi ex his aræ debeant, *hæc & alia Plinius* 15. cap. 30. *Cur tantus honos habitus fuerit*, Idem explicat, & ex dicendis apparebit. Sola ſuperſtitio pretium fecit. Quod grata Apollini putaretur, & ideò in Parnaſſo monte ſpectatiſſima eſſet; quodque *manu ſatarum, receptarumque in domos fulmine ſola non iceretur.* Itaque in prodigiis omen felicitatis habita fuit, & conſpecta in ſomniis. Credebatur enim, ut Artemidorus habet l. 2. cap. 25. *Mulierem ſignificare opulentam, ob perpetuam viriditatem; & formoſam, ob ſpecioſitatem: qui tamen* ſtatim addit; nunciare quoque *irritum rerum ſperatarum ſucceſſum, ob amaritudinem, & quod fructus non ſit edulis.* Quod iis ſæpè evenit, qui in potentum aulis *animum alant ſpe, q. Paraſitum*, ut Gregoras eleganter dixit. - *Sic ſpes deludit hiantes!*

Pulchra comis, verùm baccas fert laurus amaras;
Neu ſpe fallaci decipiare, cave.

Vide Pſalm. 118. v. 8. 9. & 146. verſ. 3. AULA hinc nomen habet; quoniam, *Adulantur Venientes, Lamentantur Abeuntes. Ficus in Lauro nata eſt Cyzici ante obſidionem* Mithridatis, qui eam urbem Quadringentis navibus oppugnavit, Plinius 17. cap. 25. gloriam & voluptatem, quam Cyziceni

conſecuturi erant, videtur prænunciâſſe; quod op pugnantem fortiter ſuſtinuiſſent, dùm tandem tur pi fugâ obſidionem ſolveret; narrat pluribus Ap pianus in Mithridaticis. Ergò - *Perfer & ob dura!*

Naſcitur è lauru ficus: Viciſſe Voluptas
Summa, nec adverſis ſuccubuiſſe ſuis.

Sic *in puppi longa navis enata laurus*, apud Livium l. 42. In paternâ domo Alexandri Severi nat *Laurus prope Perſici arborem, cùm intra annum ean exſuperaſſet, Victoriam illi contra Perſas portendiſſ viſa fuit*, Lampridius. Addit: ſortes accepiſſe ad huc parvulum, cùm Vatem conſuleret de futuri in his verſibus:

Te manet imperium Cœli, terræque mariſque;
Te manet imperium, quod tenet Imperium.

Quod Prophetæ de Meſſiâ jam olim prædixe rant, - *Totus tibi ſerviet orbis!* Romæ, *cùm vaſt incen dio Regia quoque ureretur, è duabus altera lau rus è mediis ignibus inviolata eſt eruta*, Jul. Obſec in Prodig. cap. 78. Mitto alia ejus generis pluri ma. Malè tamen ceſſit præſumpta Victoriæ ſpe Pompejanis, cùm ante pugnam cum Cæſare *tento ria lauro coronarent*, & epulas ſplendidiſſima apparari curarent; *Securitas frequentiſſimum ca lamitatis initium eſt*, ut ait Vellejus.

Neu caput exornes lauro, niſi viceris antè:
Spes ſecura ſui ducit in exitium.

Vide Appian. Alex. 2. Bellor. Civil. Ergò ut lauru in honore, ſed ſuperſtitione; Sic Divites, ex ſtult opinione, Eccl. 9. v. 25. Jac. 2. v. 2. 6.

3. E

3. Eſt laurus 2. *Arbor impia.* Vidi impium, *aſchà*, irrequietum, omnibus q. ſcelerum ventis gitatum, ut ſit - *nulla quies animo, ſcelerumque Pa-enti ſupplicium Divûmque minas* - qualem nobis eliam Tyrannum, ferè deſcribit Valer. Flaccus 1. & arbori radicitùs exſcindendæ tales compa-it Salomon, Proverb. 2. v. 22. Sic h. l. David. Ac tè confert Lauro, quam profani Gentiles in ſum-o honore habuerunt, Sacratam Apollini, Æſcu-pio, Bono Genio, aliisque Diis ſuis: eâque in urificationibus & luſtrationibus utebantur, ut linius l. cit. 15. cap. 30. q. expiare culpas, & ma-ficia poſſet avertere. In Sacris expiationibus *uro* adſpergebantur *humidâ*, aut *ramo felicis oli-e*, ut pluribus docet La Cerda in 6. Æneid. v. 230. onfer Valer. Flacc. l. 3. v. 434. & Stukium de Sa-rif. p. 141. *Laurum ore mordebant*, ſuperſtitioſi, heophraſtus in Charact. ſuffire ſolebant. Magi andere Sibyllæ, & Vaticinaturi: Poëtæ indè δαφ-φάγοι *laurivori, laurumque momordit*, ut Juvena-s inquit, qui in verſu laboravit. Omen de futurâ rtilitate ex accensâ lauru capiebant ruſtici - *ſi urus bona ſigna dedit*, crepans in igne: malam ontra ſcævam apportabat *tacens extincto laurus duſta foco*, vide Alciat. Embl. 210. & ibi Minoëm; us generis innumera ſunt. Atque hæc puto cau- fuit, cur in Sacris divinitùs inſtitutis adeoque S. Literis Laurus indicta ſit? *Abominationem npietatis*, poſteà in religionem verterunt paga-i. Itaque *ne propitiandis quidem Numinibus* ſuis *urum in arâ accendi fas* habitum, ut ex Plinio

Mm 3 dixi.

dixi. Meminit harum ſuperſtitionum Paſſeratius in Lauru:

Expiat hæc noxas fontano tincta liquore,
Verbeniſque aras ſuperûm felicibus auget;
Vera monet laurus capiti ſubjecta jacentis,
Viſaque perſpicuo mittit venientia cornu, &c.

Itaque ut in hac arbore fiduciam ſuam ſuperſtitioſi; ſic in opibus ſuam collocant divites impii. Aurum his Deus eſt, & ζωὴ καὶ ψυχὴ, de quâ *Avarorum Idololatriâ* ſatis S. Analect. Volum. 1 DEUS, adeò averſatur, ut nec nomen audiri in ſuis oraculis voluerit, niſi cum deteſtatione ut h. l. Pſalm. 16. verſ. 4. aliam præſcripſit legalem expiationem per hyſſopi ramulum baculo Cedrino alligatum, de quâ ſuo loco, ſi viſum erit Deo. Pinge Lauri ramum in περιῤῥαντηρίῳ ſivè labro luſtrali, è quo ſe Templa intrantes, aut exeuntes, luſtrabant, & adſcribe: *Non iſto luſtranda modo!*

Lauris non tollit noxas adſpergine roris:
Sola crucis mundat ſordida corda fides.

Vide quæ in Paſſionali meo dixi *de Vaccâ Ruffâ* p. 302. & de *Agno Paſchali* Medit. 6.

4. Laurus eſt 3. *Arbor ſecura & obſtrepera.* Vidi impium, ait David, *Ariz* violentum, formidabilem, trotzig/ *& diffundentem ſe* atque latè explicantem *inſtar lauri virentis*, cui florida ſemper coma, nec folia defluunt. Hinc laurus Romanis *lætitiæ victoriarumque nuncia. Pacifera item, ut quam prætendi, etiam inter armatos hoſtes, quietis ſit indicium*, Plin. l. cit. Eadem credita, falſo tamen, tutos præſtare ab ictu fulminum. *Tiberium Principem*

ipem, tonante cœlo, coronari eâ ſolitum ferunt, contra fulminum metus, Idem. In Medicinis baccarum ſalutaris uſus eſt cumprimis. Earum *ſucco peruntos fugiunt venenata omnia*, Plin. l. 23. cap. 8. ubi plura & apud Dioſcoridem. *Lauri folio Palumbes, graculi, meralæ, aliæque avium annua faſtidia purgant. Corvus occiſo Chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro infeſtum virus extinguit*, Plin. 8. c. 27. Hæc mittamus. Illud planè Magicum, de quo Paſſeratius:

Laurus amica Bonis Geniis, longeque repellit
Nube cavâ tectos Lemures, &c.

Spectra enim conſpectâ lauro in fugam agi finxerunt; de his multa Porta lib. 2. Villæ cap.24. Empedocles per μετεμψύχωσιν poſt mortem optabat tranſire in Laurum: per eam jurabat Socrates. Ἀλεξίκακος dicebatur, & contra omnia mala geſtabatur Laurinus baculus, undè Proverbium: *geſtare baculum laurinum*. Neque aliâ de causâ ante Domos Cæſarum, aliasque excubabat, aut ſacra facientes coronabat, niſi ut faſcina averteret & maleficia. Hinc &, ut in Faſtis Ovidii - - *Lauro ſparguntur ab udâ*

Omnia quæ Dominos ſunt habitura novos,

Scil. quicquid coëmptum erat, ne poſſidenti malè eveniret. Sic ergò divitiæ ſecuros faciunt homines, ut nec Deum timeant, nec homines, quaſi nec morbis infeſtari nec morti ſuccumbere, nec ab hoſtibus lædi poſſint: tuti à cœleſti fulmine, & formidabiles ipſi Diabolo. Hinc gloriationes, minæ, & ſi quid accidat humani, clamores & diræ

blaſphemiæ. Quomodo laurus quoque μεγαλαλεῖ ἐμπυριζαζα, undè Proverbium: *Lauru clamoſior.*

Nec res ulla magis, quàm Phœbi Delphica laurus,
Terribili ſonitu flammâ crepitante crematur,

Ut apud Lucretium l. 6. Cùm peſtis atrox per Italiam graſſaretur, Romæque ſæviret maximè. Commodus Imp. *Laurentum* ſeceſſit ſuaſu Medicorum, quod à lauris nomen habebat, ut earum odore & umbrâ contagionem evitaret, Herodian. l. 1. Hiſtor. Sic putant iſti cum morte fœdus iniiſſe, Eſa. 28. v. 15.

5. Eſt tamen Laurus 4. *innumeris expoſita caſibus*, ut ſæpè repentinâ calamitate funditùs pereat ut indicat David. Ipſa per ſe *Vita brevis*, autore Theophraſto, *quod materiam habeat ſolutam, & putredini proximam.* Itaque, ut Plinius, *Seneſcit velociter*, etſi è radicibus repullulet. *Fulmine tactas* experientia docet, idque non ſine malo omine. *Lauretum Cæſarum* defecit noviſſimo. Neronis anno, cum eorum progenie. Et *collapſa Laurus* Alexandro Severo mortem nunciavit. *Rami attritu ignem concipiunt*, ventis etiam inter ſe colliſi, quo ſylva conflagret, vide quæ ex Lucretio dixi in Acerrâ l. 1. num. 79. & quæ ex Senecâ in Atrio Latin. c. 5. num. 47. & de hâc ipsâ *Lauru Davidica* aliter in Paradigmat. Concion. Exemplo, 42. Denique *Laurus hæc inſana* eſt. Sic dicebatur in Ponto, quæ Amyci Bebrycum Regis tumulum texit; quoniam ſi quid ex eâ decerptum navibus inferretur, jurgia fierent, donec abjiceretur, Plin.

'lin. 16. cap. 44. Nam *undè lites & bella?* Jac. 4. . 1. *In ſinu Heroo,* ubi olim Heroopolis, nunc forè Sues, in ipſo Arabici ſinus initio, *naſcebatur aurus, virenti ſimilis, & tamen lapidea, quâ parte ari eminebat,* Theophraſtus, apud Matthiol. Sic npiis - *lapideſcit cor curâ,* etſi virere ad tempus ideantur, 1. Sam. 25. v. 37. *Pridiè* Idus Martias, uibus Julius Cæſar XXIII. plagis confoſſus eſt, *vem Regaliolum,* omnium minimam, *cum laureo umulo Pompejanæ ſe curiæ inferentem, volucres vai generis ex proximo nemore, perſecutæ, ibidem dierpſerunt,* Sueton. cap. 81. Vitæ. - *Sine cæde & nguine pauci!*

Ut Regaliolum cum lauru odêre volucres;
Sic odio vulgi maxima quæque patent.

el - *Parvos parva decent!*

Diſcerpunt volucres minimam laurum ore ferentem:
Sic non magna humilis qui ſapit, ille ſapit.

aurus in Capitolium deferri, *gremioque Jovis Opt. ſax. deponi ſolebat, quoties lætitiam nova victoria tuliſſet,* Plin. 15. cap. 30. *Antonius* Conſul, *cùm evicto Catilinâ laureatos faſces in Provinciam tuſſet, à Dardanis oppreſſus, amiſſo exercitu profugit. pparuit eum hoſtibus portendiſſe victoriam, cum ad s laurum victricem tulerit, quam in Capitolio deerat deponere,* Jul. Obſequens. de Prodig. c. 122. *eni, Vidi, Deus vicit!*

Gloria danda DEO Soli eſt, ſi viceris hoſtes:
Sic victrix templis debita laurus erat.
Ovid.

Vel - *Theſaurus in Cœlo*, Matth. 6. v. 20.

Tuta Dei in gremio lauri victricia ſigna;
Tutiùs haud alibi gloria, opesque manent.

6. Alia Emblemata colligit Mylius in Horto ſuo, & plura paſſim ſuppeditant Emblematographi. Nonnulla lubet addere. 1. *Vitis averſatur laurum, ac propinqua lauro germina ejus retrorſùm flectuntur, q. odoris vehementiam fugiant*, Theophraſtus apud Portam. *Semper inimica virtutibus vitia ſunt, & optimi quique ab improbis quaſi exprobrantes adſpiciuntur*, ait Severus Sulpit. 2. S. Hiſtor. - *nunquàm unâ in ſede morantur.*

Laurum odêre gravem fœcundæ germina Vitis:
Sic mundi pompam dedita corda Deo.

2. *Lauro & hederæ* coronantur Poëtæ: vide Alciat. embl. 204. & Minoëm: illa ingenii Symbolum eſt, hæc induſtriæ. *Ingenio & labore!*

Laurus atque hederæ doctæ ſunt præmia frontis:
Absque labore vigor nil valet ingenii.

3. *Nemo artes vituperat, niſi qui ignorat.*

Cygnus amat laurum, contra odit garrulus anſer;
In pretio Muſas non niſi doctus habet.

4. *Honos alit artes!* vide de Muſis ſub lauro pictis, Acerram l. 5. num. 67.

Sub Clariâ Muſæ quærunt umbracula lauro;
Sit modò Mecœnas, forte Maro haud deerit,

5. - *Mentem confeſſio ſanat!* Pſalm. 32. v. 5. Μόνη ἴασις ἁμαρτίας, ὁμολογεῖν ἁμαρτάνοντα, Arrian. l. 7. Exped. Alex. M.

Fert lauri folium medicamen in ore palumbes:
Crimina confeſſis vita Salusque redit.

Hinc

Hinc avis illa cum lauri folio apud Ægyptios *hieroglyphicum* fuit *ejus, qui Oraculi monitu ſanitatem recuperavit*, Herapollo, l. 2. num. 43.

6. Nobilis illa *Gallina candida*, quam in Liviæ ſinum Aquila dejecit, *cum lauri ramo*, baccis ſuis onuſto; ut omen eſſet Cæſareæ proſapiæ ex ipſâ naſcituræ, & poſt Auguſtum imperaturæ, de quâ Plin. 15. c. 30. & Suetonius in Galbâ cap. 1. potiùs ad Chriſtum ſpectat, ſub Auguſto natum, Matth. 23. v. 37. qui populo ſuo ſpem attulit æterni imperii Dan. 7. v. 14. 27.

Miſſa polo, ore ferens laurum, Gallina, piorum
Perpetuum Populo nuntiat imperium.

Hoc enim Evangelium eſt: *Imperium ſine fine dabo!* Sic imperatores Romani *triumphantes, curru picturato vehebantur in Capitolium, aureâ gemmata coronâ redimiti, togâ purpureâ clavatâ amicti; manu geſtantes eburneum ſceptrum, & Virgam lauream*, Appianus in Punicis, deſcribens Scipionis Africani pompam Triumphalem. Iſidorus tamen geſtâſſe in manu *Sceptrum refert & Scipionem*, baculum puto laureum, *cui inſederit Aquila, quæ indicium eſſet, per victoriam acceſſiſſe ad Superûm magnitudinem: indè etiam ruffo colore*, minio, *perlitos, quaſi Divini ignis imitarentur effigiem: adſediſſe autem Carnificem, ut ad tantum faſtigium evecti mediocritatis humanæ admonerentur*, l. 18. Etymolog. cap. 2. *Hominem te eſſe memento!*

Ne tumidum efficiant laurus, ſceptrum atque corona;
Adſpice carnificem ponè, Deumque time.

Sed

Sed de Lauru quoque ſatis. Superſunt è Novo Teſtamento.


7. SILIQUÆ, de quibus pauca; De Filio Prodigo dicitur, quod fame eò redactus fuerit, *ut Ventrem optarit explere ſiliquis, quas porci comedebant*, Luc. 15. v. 16. *Siliquæ* in genere ſunt thecæ ſeminum, vel loculamenta oblonga, qualia leguminum: noſtri Hülſen vocant. Sed hîc de peculiari ſpecie ſermo eſt. *Arbor Ceratonia* appellatur, fructus Κεράτιον, quod corniculatâ ſit effigie. Varro *ſiliculam*? vocat Columella *Siliquam Græcam, quam quidam κεράτιον vocent:* Plinius *prædulces Siliquas, quarum cortex ipſe manditur. Digitorum hominis longitudo illis, & interim falcata, pollicari latitudine*, lib. 15. cap. 24. *vinum fit è ſiliquâ Syriacâ* l. 14. cap. 16. *Siliquæ recentes ſtomacho inutiles, alvum ſolvunt; eædem ſiccatæ ſiſtunt, ſtomachoque utiliores fiunt*, l. 23. cap. 8. Neque alia eſt, *ſiliqua, quam Jones Cerauniam vocant: Quidam Ægyptiam ficum, ſed errore manifeſto: non enim in Ægypto naſcitur, ſed in Syriâ, Joniaque & circa Gnidum, atque in Rhodo, ſemper comantibus foliis*, &c. Idem lib. 13. cap. 8. Multum ex iis *mellei ſucci* exprimunt Indi & Arabes, quo Zingiber & alia id genus condiunt, ut ex Strabonis 15. Geograph. refert Matthiolus. *In cratibus extenſæ diutiſſimè ſervantur*, Palladius. Apud Serapionem cap. 135. *Charnub*, & corrupto Græco nomine *Xylocaracta*, id eſt, ξυλοκεράτια dicuntur. *Verrucas eradicari ſucco viridium* teſtatur ibidem Rhaſis. Porta, Arabibus *Caraba*, & Hiſpanis *Carobole* appellari, notat.

An

P. 556.



CERATONIA. *Siliquæ*.



An de iisdem ſiliquis loquantur Poëtæ, cùm te-
uem victum deſcribunt; ut Perſius Sat. 3. *Inde-
onſa juventus*

Invigilat, ſiliquis & grandi paſta polentâ.

uvenalis Sat. 11. - *laudem ſiliquas occultus ganeo,
ultes*

Coràm aliis dictem puero, ſed in aure placentas.

Eſt ante utrumque Horatius l. 2. Epiſt. - *vivit ſili-
uis & pane ſecundo?* Affirmat in Horat. Lambi-
ius, & videtur accedere Salmaſius in h.l. Lucæ,
pud Walæum. Rectiùs negat Caſaubonus in Per-
ium. Nam de leguminibus loquuntur, ut Pruden-
ius clarè; Cathemer. hymno 3.

Nos oleris, coma ſiliqua,
Fœta legumine multimodo,
Paverit innocuis epulis.

Hoc autem loco de fructu arboris ſermonem fieri,
ut Theophylactus quoque ſentit, aſſentitur Caſau-
bonus: ξυλόγλυκα dici à Gloſſarii autore, & ab
Arabe interprete, *Charnub:* Italos & Gallos levi-
er detortam vocem eam retinere ademptâ literâ
N. quam contrà Syri & Arabes multis dictionibus
oleant adjicere ad legitimas radicales. Sanè חרב
Charabh Hebræis ſignificat *exaruit, exſiccatus fuit:*
ndè arbor hæc ejusq; fructus *Charub* Syriacè, & A-
rabicè inſerto *nun* pro *Dages*, *Charnub:* ita Schindle-
rus, qui ex Strabone addit: *eſitari à pueris & porcis.*
Aſotus tamen noſter etiam illas non videtur ſpre-
viſſe, quæ melle aut vino expreſſo, porcis objicie-
bantur. Quare rectè vertit D. Lutherus: deſide-
râſſe ventrem ſuum explere, mit den Trâbern. Sic
enim *Vinacea* nos appellamus, & quicquid pomis
pyris-

pyriſque poſt ſuccum prælo expreſſum, remanet. Per has ſiliquas Cyrillus in Catenâ intellexit, *fabulas Græcorum Poëtarum, in quibus aliquid dulcedinis, nutrimenti nihil, ſiccitatis multum eſt*: S. Aſterius apud Photium Cod. 271. *Peccatum, quod ad modicum dulce, nihil tamen alimenti aut commodi affert*; vel ut Theophylactus; *quod momentaneè delectat, æternum cruciat: neque mentem unquàm ſatiat. Quis enim ſatiat & quieſcere facit? Deus. Peccatores*, inquit Euſebius, qui vulgò ſed falsò Emiſſenus audit, *quantò ampliùs peccant, tantò ampliùs peccare deſiderant*, &c. Beda per ſiliquas, cum Cyrillo, intelligit *doctrinas ſeculares*. Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.

Ut ſiliquæ: mentes hominum ſic fœda voluptas
Momento oblectat, perpetuo excruciat.

Nam Strabo quoque ex Ariſtobulo refert, *non facilè evadere, qui ſiliquis veſcuntur*; puta, recentibus, nec dùm ſiccatis. *Non ventris ſed mentis*, operandus eſt cibus, Joh. 6. v. 27.

Linquamus porcis ſiliquas; æterna petamus!
Exſatiat mentem nemo, niſi ipſe Deus.

Atque hæc hactenus *de Arboribus frugiferis*, mitibus & urbanis. *De Vite* tàm multa dicenda ſunt, ut Vineam ſuo tempori colendam reſervare oporteat. Habent interim ſtudioſi, qui defectum hunc ſupplere poſſit, Cornarium de S. Re Vinitoriâ.

SECTIO

SECTIO V.

De Lignis quibusdam rarioribus & peregrinis.

TAlia ſunt in Nomenclaturâ ſuprà cap. 3. *Abalim, Algummim, aut Almugim, Hobenim,* quibus adde *ez Schemen, & Hadar.* Sit ergò

CAPUT XLIII.

De Abalim, Algummim, Hobenim.

1. DE *Abalim* jam non pauca dixi cap. 3. num. 2. alii aloën, alii agallochum, alii ſantælum, alii aſpalathum interpretantur. Legitur vocabulum hoc 1. Num. 24. v. 6. *Quàm pulchra ſunt habitacula tua, Iſraël: ſicut torrentes extenduntur,* diffunduntur, vel ſicut valles nemoroſæ Vulgat. D. Luther. *Sicut tabernacula*, tentoria, Hütten / *quæ fixit Dominus*: ait Chaldæus, Vatablus, Cajetanus, & alii, ſicut arbores aromaticæ, aloë, Caſſiæ officinis dictæ: *& ſicut Cedri ſuper aquas.* Comparatur Eccleſia torrentibus, propter diffuſionem, cui nulla vis obſiſtere poſſit: hortis riguis, propter incrementum: arboribus odoratis, propter fragrantiam boni nominis: Cedris, propter durationem. 2. *Perfudi*, inquit adultera, *cubile*

meum Myrrhâ, Ahalim *aloë*, *& Cinnamomo*, Proverb. 1. v. 17. Sic 3. Pſalm. 45. verſ. 9. *omnia veſtimento tua* ô ſponſe, *Myrrha & Ahaloth*, Kezioth *Caſiæ*, & 4. Denique Cant. 4. verſ. 13. *Myrrha*, *& aloë* Ahaloth, *cum omnibus præcipuis aromatibus*: Neque alibi. Ac Tribus his locis, poſteriùs citatis, manifeſtè inter aromata, recenſetur hoc quicquid eſt: Primo, pro *Ahalim*, *Ohalim*, id eſt, *tentoria*, legerunt Græci & Latini veteres: Hebraizantes interpretati ſunt de arbore aromatica. Quâ causâ, quamvis in Horto Aromatico ſuo tempore, Volente Deo, de eo agendum fuiſſet, hic ſpectare libuit. Videamus ergò, cuinam dictorum hæc Sacra deſcriptio optimè quadret?

2. *Aloën*, ex Dioſcoridis lib. 3. cap. 22. Plinius 27. cap. 4. deſcribit: *Scyllæ ſimilitudinem habet, ſed major & pinguioribus foliis, ex obliquo ſtriata. Caulem emittit tenerum, medium rubentem, floresque albos, aut purpuraſcentes*; haſtulæ Regiæ cognatos. *Caulis ante ſeminis maturitatem, inciditur ſucci gratiâ, ab aliquibus etiam folia: invenitur & per ſe lacryma adhærens. Ergò pavimentandum ubi nata ſit, ut larcyma non abſorbeatur*, ac in arenâ aut pulvere pereat. *Laudatiſſima in Indiâ reperitur, ſed & in Aſia ac Arabia naſcitur*, &c. *Uſus in multis, ſed principalis alvum ſolvere, cùm ferè Sola medicamentorum, quæ id præſtant, ſtomachum etiam confirmet, adeò non infeſtet ulla vi contraria. Efficacior, ſi pota ea ſumatur cibus.* Quanquàm Paulus, ex quo Ruellius, manè à jejunis ſumendam præcipiat: qui & in peſtilentiâ tutiſſimum eſſe alexipharmacum ex Ruſo refert, quo cotidiè ſumpto multi contagium evaſe-

evaſerint. Ad hæc illita fronti & temporibus capitis dolorem ſedat, ſanguinem fluentem ſiſtit, vulnera ad cicatricem perducit, & alia. Verùm cùm *odore ſit gravi*, ut *guſtu amara*; nihil ad *Ahalim* ſpectat, ſuaveolentiâ commendata.

Quæritur, *an adultera illa* Proverb. 7. verſ. 17. *Lectum ſuum unguento ex myrrha, aloë, & Cinnamomo confecto perfuderit?* an verò *foliis ac floribus reſperſerit?* Hoc potius videntur Corn. à Lap. ſed prius pluribus, & rationi conſentaneum magis: ſic enim *veſtes* quoque *unguentatæ*, ut Pſalm. 45. v. 9. Eò ſpectant *unguenta meretricia*, mortuorum honori quoque impenſa, 2. Paralip. 16. v. 14. Plin. 13. c. 1. vide Kirchm. de Funeribus l. 3. c. 5. Eaque non modo *rogo infuſa* cremabantur: ſed etiam *veſtibus illita* cùm cadaveribus condebantur, Spondanus in S. Cœmiter. p. 227. Quid ad hæc Aloë, quâ cadavera quidem cùm myrrhâ ungebantur; verùm non odoris gratiâ, ſed ut à putredine ſervarentur, Matthiolus ex Meſue, de quâ ſuo loco. Nam quod de *Aloës floribus* ait Corn. à Lap. *eſſe grati odoris*, teſte Dioſcoride: de eo nihil teſtis, verùm contrà *gravi tota eſt odore.* Quare aloë locis cit. non eſt illa purgativa, ἐκκοπρωτικὴ dicta; verùm lignum aliquod, de quo Caſſiodorus in Cant. *Aloës lignum eſt ſuaviſſimi odoris, adeò ut vice thymiamatis in altaribus adoleatur.* Hoc longè diſtat à noſtrâ aloë, de quâ Joh. 19. v. 39. & nos plura, cùm Deo, in Aromatibus. Sit interim Symbolum Dominicæ crucis, quæ eſt - *animæ panacæa dolentis.*

Quæ folia & flores fundit, lacrymamque ſalubrem
Semper viva aloë, Crux mihi, Chriſte, tua
eſt:

3. AGALLOCHUM Dioſcorides deſcribit *Lignum eſſe, quod ex Indiâ & Arabiâ adferatur, odoratum, Thyino ſimile,* lib. 1. cap. 21. Id eſſe quod Scriptura *Ahala,* & in plurali *Ahaloth,* vocat, ferè inducor ut credam, 1. *nominis convenientiâ.* Nam ut Garſias l. 1. Aromat. cap. 16. docet, Arabibus *Agalugen,* & *Haud,* à Guzarantenſibus & Decanenſibus Indis *Ild,* in Commorino Promontorio, & Zeilan, ſylveſtre quoddam genus, *Aquila brava* vocatur. Primus Aëtius, ut notat Ruellius, à coloris quâdam cum aloë ſimilitudine, *Xylaloën* dixit. Indè officinis *Lignum aloës.* Credo, ex nomine Arabico, aut Indico, *Ahala,* 2. *odoris Præſtantiâ:* eo enim maximè commendatur. Nam ut præter Dioſcoridem Paulus Ægyneta, Aëtius, Serapion teſtantur, odorem ſpirat gratiſſimum, *mandique ſolet, aut eo collui os, ut halitum commendet, quibus anima fœtet:* quin & pro thure ad ſuffimenta adhibetur, eoque Baneanum cadavera cremantur: Avicenna docet inter ea eſſe medicamenta, quæ cordi præſidio ſunt. Inde etiam in Indiâ hodiè pretium ingens; *ut cum Thuris ſelecti centum pondo uno emantur aureô, quanquàm ex Arabiâ eò advehatur; ligni hujus ibi nati ſingulæ libræ pendant tres aureos.* Rarum inventum & difficile eſſe ſcribet Garſias, quod ubi naſcitur frequentes graſſentur Tigrides: Ramum tamen ſibi teſtatur è Malacâ allatum cum foliis: *arborem eſſe oleæ inſtar, interdùm majorem: fru-*

fructum floremve ſe non vidiſſe: ferre tamen fructum dici, piperis modo minuti, purpureum: Quidam Lignum Paradiſi appellant, deferrique per Gangem & alia flumina, ex Serapione, *fingunt.* Veteres quoque ut Aëtius, *ſepeliri ſub terra diſſectum, ut odoratius evadat,* tradiderunt. Jam recens nullâ fragrantiâ gratum eſſe, quod & Garſias. Quidam etiam *lignum Aquilæ,* ex Arabico: alii *lignum Crucis* vocant, fiuntque ex eo Sphærulæ precatoriæ, odoris jucunditate, & pretii magnitudine commendabiles, Cluſius in Notis. Sit ergò *Ahalà* Agallochum Græcis dictum. Neque obſtat, quod Syriæ fuerit peregrinum, ut cap. 3. ſuprà. Ignotum non fuit: nam æquè ac *Tarum,* quod inter Agallochi ſpecies recenſetur, de quo Plin. l. 12. cap. 20. quodque *Garum* hodie Malacenſibus dicitur, per Nabatheos Troglodytasque advehi potuit. Neque dubium *à Sumatra.* aut *Zeilane,* quæ *Ophir* eſt, Salomonis navibus advectum. Denique fragrantia veſtium Sponſi noſtri, amaraque illa guſtu, ſed odore jucundiſſima aromata Pſalm. 45. v. 9. ad paſſionem ejus recte referuntur. Ut Agallochum *lignum crucis* non immeritò dicatur. Sic quoque, ut emblema addam -*fragrat poſt funera virtus!*

Lignum aloës melius fragrat tellure ſepultum.
Major ab exequiis fama per ora volat.

Aliud; -*Bonus odor Chriſti!* 2. Cor. 2. v. 15. vide Auguſtin. in Pſalm. cit.

Cor recreat doctor vitali Sanctus odore;
Qui ſemper lignum verſat in ore Crucis.

4. Poteram *de Sandalo & Aſpalatho* verba compendi-

pendiſacere. Dicam tamen; ut appareat, non eiſe *Ahalim*; ſed pauca. SANDALUM corruptè dicunt Arabes, quod Indi *Chandama*, *Rubrum* in Timor inſulâ non reperitur, è quo Indi alii Idola faciunt; intra Gangem naſci dicitur: in Timor & ultra Gangem. *album & pallidum*. Fragrantia omnis *in corde* ligni: eo mortariis contuſo & aquâ macerato, corpus inungunt, odoris conciliandi gratiâ. Arbor nucis Juglandis magnitudine, foliis virentibus Lentiſci æmulis: flos ex cœruleo nigricans, fructus ceraſi magnitudine: cùm maturuit niger, & inſipidus, hæc Garſias l. 1. cit. cap. 17. Ignotum Græcis Latiniſque veteribus lignum. Soli Arabes deſcripſerunt recentiores. Legitimum vix in officinis haberi, diſputat Cluſius.

ASPALATHUS notior priſcis, quibusdam *Eryſiſceptrum*, in Cretâ, Rhodo, Syriâ, *ſurculoſus frutex eſt, multis ſpinis horrens*. Lignum detracto cortice rubeſcit, guſtu amarum eſt, & odorum: eo Myrepſi *unguentarii* utuntur ad ſpiſſamenta. *Naſcitur pluribus locis, ſed non ubique odoratus aſpalathus*. Plin. 24. cap. 13. Cyprii rei plantariæ periti, referunt, ex centum plantis, vix reperiri duas aut tres odoratas, Matthiolus. Inde forſitan *fabula* quam narrat Plinius l. 12. cap. 24. ubi ait, *Aſpalathum eſſe ſpinam candidam - magnitudine arboris modicâ, flore roſæ: Radicem expeti unguentis: Tradunt, in quocunque frutice curvetur arcus cæleſtis, eandem, quæ ſit aſpalatho, ſuavitatem odoris exiſtere; ſed in aſpalatho inenarrabilem quandam*; vide ibid. Dalechamp. Hinc Camerarii Emblema, de arcu cœleſti in aſpalathum

lathum incumbente. Ego duo ſubſtituo: Primum; - *afflet modò gratiâ Cœli!*

Iridis innixu fragrans odor inditur herbis;
Sic noſtra absque Deo corda inodora manent.

Alterum: *in Chriſto plenitudo!*

Iris ut aſpalathum ſuper omnia replet odore;
Sic Chriſto datus eſt Spiritus absque modo.

5. Pergo ad ALGUMMIM & ALMUGIM. De his legitur 1. Reg. 10. verſ. 11. 12. *Et claſſis Hirami, quæ aurum advexerat ex Ophir, ex eadem regione quoque attulit magnam valdè copiam lignorum* ALMUGIM: *Ex his fecit Salomo fulcra,* Pfeiler / *& citharas & nabla* vel Lyras, &c. *nec vel anteà vel pòſt nunquàm hujusmodi ligna* ALMUGIM *viſa ſunt.* At 2. Paralipom. 2. v. 8. ſcribit ad Hiramum Salomo, ut ſibi mittat *ligna Cedrina & abiegna, &* ALGUMMIM *de Libano: eò quod ſciret, ſervos Hirami gnaros eſſe cædendorum lignorum in Libano.* Denique cap. 9. verſ. 10. 11. dicitur Servos Regum Hirami & Salomonis, *cum auro ex Ophir, attuliſſe quoque ligna* ALGUMMIM, *non antè viſa in Judæâ ejus quidem generis*, &c. Ex quibus apparet 1. nomina inter ſe permutari, eademque ligna modò *Almugim*, modò *Algûmmim* dici 2. Alia autem hujus nominis fuiſſe *indigena*, in Libano; alia *exotica* ex Ophir, quæ plurium conſenſu hodierna Sumatra eſt; cum adjacentibus fortè provinciis & inſulis. 3. Aliquo tamen modo ea inter ſe ſimilia fuiſſe atque ideo 4. Communi, Syrorum linguæ uſitato, vocabulo appellata, ut fit cùm peregrina nomina vel ignorantur, vel

notioribus exponuntur: 5. Hæc exotica tamen pretioſiora rarioribus operibus materiam præbuiſſe; & denique 6. neque ante Salomoniam navigationem, neque poſteà iterùm, in Judæâ viſa eſſe. Unde rara & ſolis Indiæ terris propria fuiſſe conſequens eſt. Hæc puto, ſatis certa ſunt. His igitur indiciis tendamus ad eorum notitiam.

6. Multa hic multi dixerunt, certi quid neſcio an quisquam? Collegit ſententias nuper Lipenius in Salom. Ophiriticâ navigat. p. 691. & ſeqq. expenſisque aliorum ac rejectis, tandem viſus ſibi eſt ad oculum demonſtráſſe, *Ebeni Ligna* fuiſſe. Sed de his mox ſeorſim. Interim ille non oſtendit arborum aliquam Libani, *Ez Algumim* dictam, quæ Ebeni ligno aliquomodo ſimilem haberet materiam; & Ebenum ante Salomonem in Judæâ non viſam, incertum eſt; poſteà nunquàm, falſum; ut ſuo loco. Qui *Ligna Braſiliana* fuiſſe putant, ſi ex Indiâ occidentali, quæ hodiè America, adveniſſe ſentiunt, toto errant Cœlo: ſi ex Orientali, Sumatrâ, aut fortè potiùs *Taprobanâ, quæ hodiè Zeilan*, quod 21. argumentis adſtruit Bochartus in Canaan l. 1. cap. 46. idem dicunt, quod qui *Sandalina Rubra* fuiſſe: nam in eo conveniunt, quod utraque inodora, & rubra ſunt: differunt in paucis; Soli cœlique diſtantiâ, quæ ingenia cognatarum ſtirpium mutat. Neque longè abeunt, *qui Corallina* dixerunt, non Curalia; ſed *his colore & duritie ſimilia, ac propter ſimilitudinem ita dicta.* In Inſulâ Madagaſcar Ebenum lignum reperiri, & aliud quoddam purpureum Braſiliano ſimile, refert in Itine-

Itinerario Mandelslo l. 2. cap. 19. Achi quidem *Almugim* rubra, duritie præſtabili, ligna fuiſſe conſentiunt. Qui *Juncos aut arundines* interpretati ſunt, quo ſe tuerentur, quoque habeant. Nam Chaldæis *Gumin* junci ſunt; cæterùm in India *arborea arundini amplitudo; quales vulgo in Templis videmus*, Plin. 16. cap. 36. *tanta proceritatis, ut ſingula internodia alveo navigabili, ternos interdum homines ferant*, Idem l. 7. cap. 2. Meminit quoque Herodotus l. 3. & indè Mela, Solinus, &c. atque è recentioribus multa de talibus Majolus colloq. 21. Sed de his in Herbario ſub *Gome*, ubi & de navigiis Ægyptiorum junceis, ex Eſai. 18. v. 2. Quare quod Pineda & cum eo Lipenius putant; junceas has, aut arundinas, materias ad fulcra & vaſa alia fuiſſe ineptas; ineptum eſt. Scaliger *in Zeilan tàm capaces* ait *eſſe arundines, ut ex eis parent monoxyla, ſicut apud nos è populo. Sed & lanceas ex eis conficiunt: Sicut in regno Pegu remos & malos myoparonum: minore miraculo; quandò etiam Septenûm pedum ambitum æquare ibi, certum eſt*, Exerc. 166. Si in Libano ſimiles fuiſſent repertæ, quas ab Hiramo potuiſſet petere Salomo, omnia quadrarent. Denique quod Græci πεύκινα, Vulgatus *Thyina*, verterint, cauſa hæc fuit; quod rei ignotæ, notum aliquod ex ſimili nomen voluerint imponere. Quare D. Lutherum quoque *Ebenum* vertit, quod tamen in S. Linguâ proprium habet nomen, ut dicemus. Et Vulgatus 2. Paral. 2. *Pinea*, non quod talia eſſent, ſed quod *quodammodò ſimilia; Candore tamen & fulgore præcellerent*, ut dixit Joſephus l. 8.

cap. 2. vide de his Pinedam quoque de reb. Salom. l. 4. cap. 18.

7. Inter tot divortia, veritatis invenire compitum, ſanè quàm difficile eſt: tamen cùm omnia expendo, in eam propendeo ſententiam, quæ ligna *Algummim Sandala rubra* eſſe ſtatuit. Atque utinam ea nobis quiſquam diligentiùs deſcripſiſſet, non deeſſent fortè argumenta plura. Nunc ea oportet ſufficiant, quæ ad manum ſunt. 1. Naſcitur *Sandalum Rubrum* in Indiâ intra Gangem, *in Tanaſarim & maritimis quibusdam Choromandel: illa:* inter Siam & Malaccam, inſulam *Sumatram;* hæc non procul à Commorino promontorio, *Zeilanem reſpicit.* Et ſanè ab hac Inſulâ nomen videtur accepiſſe; dicitur enim ab Indis *Chandama & Sercanda:* eſt autem hodiè etiamnum celeberrima Zeilanis urbs *Candes*, quæ fortè Ptolemæo olim *Sindocande;* & fluvius *Cande*, Ptolomæo corruptè *Ganges*. Hæc Sandali vera Patria eſt, ut docet Garſias l. cit. & hinc in Judæam advectum lignum *Algummim*, jam inter doctiores habetur. 2. Simile eſt *Sandalum* hoc, Rubrum lignum, *Braſiliano*; & hoc *Aceri* noſtrati, ut notat Bauhin. ad Matthiol. l. 1. cap. 19. Dixi autem *de Acere, ejusque materiâ criſpâ coloratâ, ſolidâ, operum elegantiâ & ſubtilitate Cedrinæ ſecundâ,* ſatis in *Oren*, cap. 6. n. 5. 6. Eaque arbor, 3. *Ex Algummim* dici potuit, *lignum junceum;* quia procera, cortice levi, enodique aſſurgit, materiâ interiore tenerâ ac tractabili: & viciſſim *almugim*, *non facilè diſſolubile;* quia ſolidæ & compactæ ſubſtantiæ eſt: ut in priore nomine

fortè

ſortè Arabico *Al* ſit articulus; in poſteriore Syriaco στερητικὸν & negativum. Credam, donec meliora didicero. Accedit 4. quod aceris quoddam genus Græci γλῖνον ſive γλεῖνον vocant, ex Theophraſto Dodonæus p. 6. lib. 4. cap. 19. ſi articulum præponas, & *Mem* pro Græco N. ponas, omnes vocis *Algum* radicales literas invenies. Ut taceam pleroſque interpretes convenire in eo, quod hoc lignum Cedrino proximum fuerit: coloris venuſtate forte præſtantius. Denique 5. *Sandala rubra*, uſque ad Arabes & recentiores, non Judæis tantùm, ſed & Græcis Latiniſque ignorata, nec in hodiernum diem, cujus nam ſint arboris, exploratè cognita ſunt. Idque 6. puto ex invidiâ contigiſſe, & ſuperſtitione: nam ut Garſias refert, *Idola Indi ex eo ligno, Deorumque ſuorum delubra fabricantur.* Neque quidem dubitârim antiquam fuiſſe hanc ſuperſtitionem, tùm propter elegantiam ligni, cum propter vim Medicam. Undè 7. colligi poſſit, cur Salomon Regum Sapientiſſimus hâc materiâ uti voluerit, *ad fulcra & baſes, aut contignationes, & gradus, variaque inſtrumenta Muſica*, quibus verus Deus celebraretur? Dixi; quæ viſum fuit: judicent, qui poſſunt. Addo Emblema. - *Proſtratis tibi ſerviet India Divis!*

Sandalina in Citharas mutare idola Deorum
Cæleſtis proprium eſt hoc Salomonis opus.

8. Nunc de Thyinis quoque dicendum aliquid ex Apocal. 18. v. 12. Inter alias pretioſas merces, quæ terrâ marique, ex toto orbe, Romam advehebantur eo tempore, recenſet S. Johannes

etiam πᾶν ξύλον θύϊνον, καὶ πᾶν σκεῦος ξύλου τιμιωτάτου. *Thyia* vel potius θύα, *Thuja*, eadem arbor eſt quam *Citrum* alias dicimus. Deſcribit ex Theophraſto & ſui ævi experientia Plinius l. 13. cap. 15. & 16. Patria Africa eſt: *præcipua naſcebatur circa Hammonis delubrum: & in interiore parte Cyrenaica:* olim quoque *in Anchorario citerioris Mauritaniæ monte, ſed jam* Plinii ævo luxu & avaritiâ *exhauſto*. *Staturâ* eſt amplâ & procerâ, *formâ* Cupreſſo ſimillimâ, ipſa quædam *Cupreſſus ſylveſtris*. Radice *nihil criſpius, nec aliunde pretioſiora opera:* maximè laudatur ejus *vitium*, tuber Plinio, *quod ſub terrâ totum fuerit*. Materies *ſiccata mari duritie incorruptâ ſpiſſatur*. Theophraſtus *memoratas ex ea refert Templorum Veterum contignationes, quandamque immortalitatem materiæ in tectis, contra vitia omnia incorruptæ*. Homerus *inter odores*, cum Cedro, *uri tradidit in deliciis Circes* vel Calypſus potius: nam memoria fefellit Plinium. Qui errare docet eos, qui θύον Homeri inter odoramenta recenſeant. Macrobius tamen de *Malo Citreo* accepit: quod ex Oppio de Sylveſtribus arboribus deſcribit; *eſſe odoratiſſimum, ex quo interjectum veſti tineas necet. Fertur autem*, inquit Oppius, *venenis contrarium, quod tritum cum vino, purgatione virium ſuarum, bibentes ſervat. Generantur autem in Perſide omni tempore mala Citrea: alia enim præcarpuntur; alia interim matureſcunt*, hæc ille apud Macrob. l. 3. c. 19. Sed alia eſt hæc Citrus *Perſica & Medica* malum ferens, quondam exſecratum aliquibus odore & amaritudine, nunc ex-

petitum

petitum Salubritate, de quo ſuprà in Malo; alia noſtra, de quâ hic, *Libyſſa & Africana*, cui materia ſingularis elegantiæ ingens pretium fecit, inprimis in menſis, quarum dotes deſcribit Plinius: *alia longo venarum diſcurſu Tigrina dicebantur; alia in torto variegata, Pantherina; erant & undatim criſpa, majore gratia, ſi pavonum cauda oculos imitarentur.* &c. Plin. l. cit.

9. Ex quibus apparet, injuriâ reprehendi Vulgatum Interpretem, quod *Almugim* verterit *Thyina ligna.* Niſi quis cœteros omnes damnare ſimul velit: cùm nemo hactenus inventus ſit, qui quæ ligna Almugim propriè ſint, certò exprimere potuerit. Ipſe Salomon nominis autor, cùm proprium vel non haberet, vel edicere nollet, vernaculo alieno, ex aliquo ſimili ligno, expreſſit, exemplumque Interpretibus reliquit. Vulgatus tamen omnibus palmam præripuit, quod conferenti facilè patebit. Quo nomine etiam alii doctiſſimi Interpp. & Lexicographi, ut Buxtorff & Hottingerus, Vulgati verſionem prætulerunt. Nam cùm perſuaſum haberent ligna hæc Indica abſque dubio fuiſſe materiæ elegantiâ, firmitate, & uſu, pretioque præſtantiſſima, ac cum Judææ optimis ac rarioribus, ut longè tamen antiſtarent, comparanda, raritate ſuâ nec ante nota, nec poſtea noſcenda, Sola Thyina inferunt: quibus hæc laus deberetur. *Pretium* ſane, ut dicta cætera non repetam, vel ex Plinio conſtat; quem interpretatus Tertulliano de Pallio cap. 5. refert; M. *Tullium quingentis millibus nummûm Orbem Citri emiſſe;*

emiſſe : Aſinium Gallum bis tantùm, pro menſa ejusdam Mauritianæ numerâſſe. Hem, exclamat, *quantis facultatibus æſtimavere ligneas maculas!* Notat ibi Salmaſius p. 434. Aſinium pro menſâ Citreâ dediſſe, aureorum noſtrorum, duo millia & quingentos. Hanc inſanam ambitionem tangit S. Johannes l. cit. & alii ejus ævi, etiam profani Scriptores; ut inprimis Satyricus Petronius: *- Ecce Afris eruta terris Citrea menſa, ponitur.* Martialis de eâ,

Accipe felices, Atlantica munera, ſylvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Illud præterire non debebam, quod Cornel. à Lap. *Almugim* compoſito nomine putet dici q. *Ela mogim*, arbores *ſtillantes* reſinam; & eodem modo, *Algummim*, q. arbores *gummiferas*. De quo judicabunt peritiores, vide ejus Comment. in Apoc. l. cit. Superſunt.

10. HOBENIM *Ebeni ligna:* vocabulum hoc extat Ezech. 27. v. 15. *Filii Dedan negotiatores tui inſulæ multæ negotiatio manus tuæ: Cornua dentis*, id eſt, ebur, *& Hobenim attulerunt tibi pro muneribus.* Dedan, hodiè *Dadena.* Arabiæ Felicis urbs & regio, ad Ormuzium regnum pertinens in litore ſinus Perſici jacet, non procul à freto Baſora, quâ in Indiam commodè navigatur, de quâ Bochartus in Phaleg. l. 4. cap. 6. & Tabulæ Geograph. Indè per ſinum dictum merces Indicæ, inprimis Elephantorum dentes, *cornua* dicti, de quibus alias, & Ebeni ligna advehi ſolebant. Sic enim

enim vertit Symmachus ἐβένυς, Vulgatus, cœteriq́ue ſimiliter: Solus Chaldæus habet *Pavones.* Apud Lxx. ὐδὲν ὑγιὲς, vide Bochartum l. cit. & Schindler. qui vocabulum hoc ab Hebræo *Eben* derivat, quod lapidem denotat. *Eſt enim lignum,* inquit, *inſtar lapidis purum, & nigrum: adeò ponderoſum, ut etiam in tenuiſſimas laminas diſſectum, in aquâ mergatur, nec fluitet: Ex Æthiopiâ & India affertur; nulla folia, nullum fert fructum, nec ſtirps eſt ſoli expoſita: radices tantùm in terra occultantur & eruuntur,* hæc ille. Secutus Pauſaniam in Atticis, qui ex Cyprii cujusdam Botanici relatione eadem omninò narrat. Sed qui rem accuratiùs expenderunt, diſtinguunt hoc *foſſile ebenum*, quod in Germaniâ reperiri docet Georgius Agricola lib. 8. Foſſil. p. 325. *à ligno Ebeni.* Nam etſi foſſile quoque *ſtirps* dicatur, *foliis & fructu carens, cornu politi modò ſplendida, ſolida, ſed levis, omninoque adſpectu ſimilis Gagatæ Lapidi: natura tamen admodùm diverſa, quod ebenum ignem non ſentiat, gagates contra ardeat, & igni pereat,* ut ſuum, quod Hildesheimii reperiri ait, deſcribit Agricola; tamen, ut ipſe docet, non eſt vera vivaque planta; ſed vel lignum in lapidem converſum, vel lapis in ligni ſimilitudinem à naturâ, ludente in foſſilibus, effictus. *Patria* Ligni Ebeni *Æthiopia & India*, ut diſſertè Dioſcorides l. 1. c. 11. nec contradicunt, qui ſolam Indiam dicunt mittere: ut Virgilius 2. Georg. - *Sola India nigrum Fert ebenum.* Nam hi, more veterum Indiæ nomen latiùs acceperunt. Sic Plinius clare, qui cum Virgi-

Virgilii autoritate *Ebenum è peculiaribus Indiæ arborem* dixiſſet, ex Herodoto addidit *in Æthiopiâ naſci*, l. 12. cap. 4. & l. 6. c. 30. circa *Meroën* Æthiopicam *totas ſylvas ebeno virere* ſcripſit: undè & Lucano *Meroitica ebenus*. *Præſtantiſſima habita fuit Æthiopica*, teſta Dioſcoride. *Æthiopes Regibus Perſarum, in tributi vicem, tertio quoque anno, phalangas*, id eſt oblongas & teretes perticas, Stangen/ Ebeninas, ut Plinius habet, *centenas*, ut Herodotus, ducentenas, *cum auro & ebore penſitabant*. Sic ergo Dedanitæ, ut ait Propheta noſter, Tyriis, quo tempore, poſitis in litore maris rubri coloniis, maris haberent imperium, *ebenum & ebur* ſubmisêre: *Dentes eburnos & ebeninos* habet Vulgatus: *Cornua* intelligens, ut Propheta vocavit, dentium Elephantinorum & phalanges ebeninas, lævore nitoreque ac duritiâ, illis ſimiles. Neque opus erat, ut hæc munera aut mercimonia Dedanitæ procul ex Indiâ peterent, per Oceanum Eoum: cùm ad lævam Arabiam, ſinumque Arabicum prætervecti, tam ebur quam ebenum, in Æpiâ haberent. *De odore ligni* per ſe, nihil legere memini, nec Matthiolus. *Accendi* etiam *Fabianus negavit*, apud Plin. quod de foſſili Agricola: *uſtum tamen odore eſſe jucundo* ait Plinius, & antè Dioſcorides, de ligno loquentes. Noſtrum, cujus in Italiâ trunci innumeri viſuntur, in eorum officinis, qui pectines faciunt, aut globulos ad mulierum preces numerandas, nullo odore commendatur, ut docet Matthiolus. Quod in pretio eſſet, ſuperſtitio fecit, & raritas olim. Ex ebeno ſimu-

ſimulacra Deorum faciebant etiam Europæi, ut ex Pauſaniâ conſtat: ſtultâ Æthiopum æmulatione. Ita Solinus narrat, *Indorum Reges ex ebeno ſceptra ſumere, & Deorum imagines non niſi ex ebeno habere: procula quoque ex hac materiâ facere, perſuaſi ejus tactu, quicquid maleficum averti*, cap. 55. Quod ad Æthiopas pertinere arbitror, quibus nigredo ſua præ omni colore placet, adeò ut & *Deum nigrum* ac Æthiopem pingant; *Diabolum candidum & Europæum* hodierni Abyſſini, ut in Acerrâ dixi, pag. 244. Hæc qui expendet, facilè intelliget, Ebeni ligna neque tam ignota olim Judææ, neque tam rara ac pretioſa fuiſſe, ut de Lignis *Almugim* S. Literæ teſtantur.

CAPUT XLIV.

Ez Hadar, & ez Schemen.

1. LOca Scripturæ de his hæc ſunt, 1. in Lev. cap. 23. v. 40. de Feſto Tabernaculorum, vide cap. 2. num. 24. *Capietis vobis in die primo* Peri ex hadar, *fructum ligni honoris*; Arboris pulcherrimæ habet Vulgat. καρπὸν ξύλȣ ὡραῖον, vel ἔνδοξον, Lxx. fructum arborum ſpecioſarum, Früchte von ſchönſten Bäumen: 2. Nehem. 8. v. 15. de eo feſto itidem: *adferte folia olivæ, & folia* ez Schemen *ligni pinguedinis*: Vulgatus, ligni pulcherrimi, ut modò in Levit. Lxx. ξύλων κυπαρισσίνων, ligni cupreſſini: ligni pinguis; arborum

borum oleoſarum, Hartzbaum-Zweige / cœteri, 3. Eſai. 41. v. 19. *Ponam in deſerto* Erez *Cedrum*, Sittah *Spinam* albam, Hadas *myrtum*, & ez Schamen, id eſt, *lignum olivæ*, Vulgat. alii Cupreſſum, Pinum, &c. de quibus ſatis cap. 3. num. 33. & cap. 4. num. 1. ac ſeqq. Quæritur quænam hæc ligna? *De Hadar* diſputat Bonfrerius prolixè in Levit. l. cit. *Citrum* eſſe. Probat 1. Quia Chaldæus interpres habeat nomen אתרוג *ethrug*, quod ſignificat arborem citri. 2. Quia Joſephus teſtetur in ramis illis geſtata quoque fuiſſe *mala Perſica*, 3. Antiq. cap. 10. & *Citria*, eodem Joſepho teſte, 13. Antiq. cap. 21. 3. Quia hæc Citrus Malus Medica ſcilicet aut Perſica, *arbor pulcherrima* ſic ac meritò dicatur: cum & folia amœna, & flores nullo non tempore purpuraſcentes, fructusque ſemper habeat aureo colore flaveſcentes; Lignum denique pretioſiſſimum, è quo *menſæ Citreæ*, auro contrà charæ, ut cap. præced. diximus de Thyinis. Dubitat tamen, an eadem Citrus ſit illa pomifera, & hæc materia laudata? quod & Plinius diſtinguat: hæc ille multis. Addam juvandi gratiâ; Citria malâ aurea Judæis olim nota ac S. Literis celebrata fuiſſe, ut dixi c. 33. num. 2. & 14.

2. Probabilior tamen apparet, quæ & communior, ſententia: eſſe hæc vocabula *Ez hadar* & *ez Schemen*, non propria, ſed appellativa; non certæ ſpeciei, ſed generis cujusdam. Probatur, 1. ad Perſonam: Vulgatus enim Interpres clare indicat, ſe de genere non de ſingulari ſpecie ſenſiſſe, nec arborem *Hadar* pulchritudinis, ab arbore

Schemen

Schemen pinguedinis diſtinxiſſe. 2. Ad rem; ut S. Scriptura ratione ſitus alias arbores vocat *ligna agri, ſylvæ, aquæ*; ſic pro differentiâ effectorum & adjunctorum, alias *ligna cibi* Levit. 19. v. 23. Deut. 20. v. 20. Ezech. 47. verſ. 12. alias *ligna fructus*, Eccleſ. 2. v. 5. alias *ligna frondis*, ut his ipſis locis, Levit. 23. v. 40. Nehem. 8. v. 15. eâdem ratione quaſdam *pulchras* dixit, & *pingues*, 3. itaque arbores *denſarium frondium*, his locis, non certam ſpeciem ſignificant; ſed genus quoddam multis ſpeciebus commune: ſic & ille, quæ decoræ ac pingues dicuntur. Idque 5. rationi congruit. Nam neque debuit Deus certas ſpecies frondium præſcribere neque potuit. Non *debuit*: ſuffecerat denotatio generis, & addita denominatio quarundam ſpecierum, ut *palmæ* ſolius Judææ propriæ, & *Salicum* torrentis; quas vel myſterii cauſâ, vel ſingularis uſus, vel quod neutro genere arborum, à pulchritudine & pinguedine dictarum, continerentur, oportuerat exprimi. Nec *potuit*: nam ſi ſpecies aliqua defeciſſet, nec omnibus æquè ad manum fuiſſet, impoſita fuiſſet neceſſitas Scenopegia celebraturis, vel omittendi geſtationem horum ramuſculorum, vel prævaricandi contra legis præſcriptum, vide, quæ ex Sanctio dixi cap. 2. num. 26. Cogita; ſi omnibus, *Citriæ* frondes fructibus ſuis onuſtæ, aut *oleaginæ*, vel *myrteæ* geſtandæ fuiſſent, quanta circa Hieroſolymam hortorum quotannis fuiſſet calamitas? quanta frondium talium raritas & caritas? 4. Neque ſequitur; Nehemiæ c. 8. certæ memorantur ſpecies, *in lege non expreſſæ, quæ de olea, ar-*

 bore

bore Schemen, myrto, nihil habet; nec de Perſeâ nec de Citro, quicquam: Ergò hæ ſpecies præſcriptæ fuere in lege, nec aliæ generali nomine permiſſæ. Nam quis non videt contrarium ſequi? In lege, 4. omninò vocabula ſunt arborum, ut c. 2. l. cit. dixi: *1. arbor Hadar, 2. palma, 3. arbor Aboth*, denſarum frondium, & *4. Arabim* ſalices, fortè ad ligamina neceſſariæ: apud Nehemiam ſunt 5. vocabula, *Olea lignum Schemen, myrtus, palma, & arbor Aboth:* His addit Joſephus *Perſeam*, Chaldæus fortè *Citrum*, Lxx. *Cupreſſum*, alii Interpp. ut & Hieronymus *Cedrum; pinum balſamumque* adhuc alii. Quare concludamus 5. & frondes geſtâſſe Iſraëlitas in eâ feſtivitate, & ſcenas ſtruxiſſe, ex quocunque genere arborum; quas in deſerto non habebant, Dei munere in terrâ promiſsâ invenerant; ut undecunque glorificandi Deum acciperent occaſionem: is enim hujus feſti finis fuit. Duas tamen ſpecies expreſſas à legislatore fuiſſe, ex quibus thyrſos facerent geſtandos, *palmam & ſalicem:* quâ in re miranda Dei bonitas, ne noceret arboribus fructiferis, aut ſterilitatem adferret: harum enim duarum hoc eſt ingenium, ut tonſurâ gaudeant, & copiâ luxurient. Latetque myſterium, quod in *palmâ* inſinuavi. Symbolum enim fuit Eccleſiæ Judaicæ. Quam Deus monere volebat, ornandam eſſe fructibus omnigenis, ac colligandam q. vitilibus fidei & mutuæ concordiæ, ut Eph. 4. v. 2.3. Quæ ex aliis interpretibus & commentatoribus adferri poſſent, pro hac noſtrâ ſententiâ, mitto.

3. *Ad objectiones* reſpondeo: 1. *Ethrug* eſſe pomum Citrium, concedo: corruptè legitur in verſione

ſione Averrois de Simpl. *Eltrog, Atrung.* Citrus eſt arbor & fructus: indè *toronga*, Meliſſophyllon, Meliſſen / *citrago*, dicta; quod odorem mali citrii redoleat. Sed hoc ipſum nomen recentius eſſe & ex ſemibarbaro *Citronium* confictum, apparet: nec uſus pomi hujus olim tàm fuit gratus vulgò notusve, ut poſterioribus ſeculis, ex quo in Italiam translatum eſt, & factum indigenum. Quod tempore latæ legis in Judæâ natum ſit; quis affirmaverit? Inter alias exoticas, in Hortis Salomoniis, cultam hanc arborem non negabo, nec ab eo tempore nota Judæis hæc fuiſſe poma, iisque thyrſos quoque palmarum in ſcenopegiis exornatos; ita teſtatur Joſephus l. 12. cap. 21. in Alexandrum Regem, ortâ ſeditione, *in feſto ſcenopegiorum, conjecta fuiſſe citria:* & ad ſui ſeculi morem reſpexit Chaldæus. Ponamus tamen Judææ jam olim inquilinam & domeſticam fuiſſe, quam *Palladii curâ ex ipsâ Mediâ in Italiam translatam* perhibent &c. Rogo, quomodò ſequitur: Chaldæus pro arbore *Hadar* poſuit *Citrum*; ergò ſola Citrus eſt Hadàr? At contrà: Vulgatus cujus major autoritas, eandem arborem credidit eſſe *Hadàr* & *ez Schemen* dictam, ut ex num. 1. collatis locis Levit. 23. & Nehem. 8. liquidò liquet: hanc autem putavit eſſe *oleam*, ut Eſai. 41. Ergò Lignum hadàr eſt olea. Confirmatur ex S. Scriptore Nehemiâ, qui pro ligno *hadàr* manifeſtè ponit *Oleam.* Pariter ſequitur: Lxx. pro *ligno Schemen* poſuerunt *Cupreſſum;* Ergò ſola Cupreſſus hoc nomine gaudet. 2. Τὸ μῆλον τῆς περσικῆς, cujus Joſephus mentionem fecit 3. Antiq. cit. Malum Per-

ſicum id eſt Citrium eſſe, negatur. *Perſea* hæc Joſephi, quod & Cauſſinus agnoſcit in Horum pag. Obſervat. 132. *arbor illa eſt, quam Ægyptii Iſidi conſecrarunt, hac ducti non abſurda ratione, quod fructus ejus cordi ſimilis ſit, folia linguæ: ut admonerentur Templum adituri;* ὅσια φρονεῖν, εὔσχημα λέγειν, *Sancte de Deo ſentire, & modeſte loqui, qui,* Plutarch. de Iſide & Oſir. Neque ſequitur: Joſephus dicit in thyrſis Iſraëliticis fuiſſe *mala Perſeæ*: Idem alibi, fuiſſe quoque *Citria:* Ergò mala Perſeæ ſunt Citria. Conjunguntur enim diviſa. Sic 3. cùm concluditur: *Hadar* eſt arbor pulchra; *Citrus* pulchra quoque eſt, Ergò Citrus eſt Hadàr nomine proprio; infertur à genere ad ſpeciem affirmativè. Multæ aliæ per orbem pulcherrimæ ſunt arbores, quæ tamen à Legislatore nomine Hadàr non fuerunt comprehenſæ; quoniam de Solis Palæſtinæ arboribus loquebatur. Et ſi citrum hujus quoque regionis jam tùm indigenam fuiſſe conſtaret; tamen incluſio unius cæterarum excluſionem non conficeret.

SECTIO

SECTIO VI.

Et ultima, de Arborum quibusdam Differentiis.

DIxi *de Arborum Biblicarum ſpeciebus*, nec puto, *præter aromaticas*, me ullam prætergreſſum: his autem Hortulum proprium modò annuat Deus, condere conſtitui. Nunc ſupereſt, ut aliquid dicam *de differentiis*, de quibus breviter c. 3. ſuprà. Agam autem tantum 1. De Arboribus *Paradiſiacis*; 2. de *Sodomiticis*; 3. de *Lucis* & Sacris Nemoribus; 4. *de Hortis*; tantùm Salomoniis; & tandem 5. de aliis quibusdam *generalibus diſcriminibus*: nec omnia perſequar, ſed potiora, ut aliquandò ſummam huic arboreto imponam manum, Lectoremque meum, ſi quis futurus eſt, cum bonâ pace dimittam.

CAPUT XLV.

Arbores Paradiſiacæ.

1. PRimum omnium hortum condidit Deus; *Paradiſum* vocamus. De eo præter interpp. Geneſeos Moſaicæ, plurimi ſcripſerunt Veteres & Recentiores. Nos hic, ne quid deſit, obiter primis q. lineis deſcribemus. Solet autem diſputari *1. de Nomine, 2. de Creatione, 3. de fine, 4. de Loco, 5. de Adjunctis.* Id autem inprimis præſup-

ponitur; verè extitiſſe locum aliquem corporalem, nec Moſaicam de eo hiſtoriam allegoricè interpretandam eſſe: contra quosdam Rabbinos, & Origenem, quos præter alios refutat Bellarm. de Grat. Primi Hom. cap. 10. & 11.

2. De NOMINE; 1. *unde dictus Paradiſus?* non Græcâ origine, à παρὰ & δεῦσαι, ut viſum Suidæ, q. hortus irriguus; Sed vel *Hebræum* nomen eſt; quod quidam docent componi ex *Para & Hadàs*, q. Myrtetum dicas, Corn. à Lap. in Gen. 2. & 2. Corinth. 12. vel, quia פרדס *Pardes* quatuor diverſarum literarum, & nullius radicis Hebrææ eſt, peregrinum & adeò *Perſicum*, ut Pollux in Onomaſt. Apollinius apud Philoſtrat. aliique vide Briſſon. de Regno Perſ. l. 1. p. 52. & ſeqq. & Hopkinſon. de Paradiſo. Sic *vivaria* dicebant arboribus conſita. Vocabuli hujus *homonymiam* evolvit *Ravanellus* in Biblioth. & plures alii. Quæritur autem 2. *Cur hortus Edenicus?* an ἀπὸ τῆς ἡδονῆς, *hortus voluptatis*, ut Vulgat. Reſp. primò quidem quia ſitus fuit ἐν Ἐδὲν in regione *Edenis*; hanc tamen à Voluptate & amœnitate, quæ Hebræis עדן *Eden*, ab oblectando; non negabimus. Hinc *Adonis* Veneris amaſius, & *Adonidis horti*, in proverbiis, de quibus nuper Volum. 2. S. Analect. Confer etiam quæ in Atrio dixi de Venatu, num. 486. ſeq.

3. *De Creatione*; à Deo plantatum clarè dicit Moſes. Sed *Quando?* Hieronymus, quod dixit Moſes מקדם *Mikkedem, à principio*, tranſtulit. Neſcio, an ſecutus Rabbinos, qui *ſeptem res ante mundum creatas nugati ſunt; hortum Edenis, legem, Juſtos, Iſraëlem, Solium Gloriæ, Jeruſalem, Meſſiam*.

Secuti

Secuti ſanè Symmachus, Theodotion, Aquila, qui verterunt, ἐν πρώτοις, ἀπ' ἀρχῆς, &c. Sed Hebræorum dicterium *de decreto Creationis* rectè accipies. Non negatur, *Mikkedem*, aliquando de tempore æquè dici, ac de loco. Sed de hoc jam agit Moſes, ut res docet, & plerique conſentiunt Interpp. Itaque Hieronymi illud, *à principio*, pariter interpretantur; non de temporis, ſed de loci initio, unde Sol motus diurni accipit initium, ut Nicol. Abramus in Pharo. ſive S. Quæſt. l. 2. de Paradiſi loco, ſect. 3. Certè contra mentem Hieronymi. Non ergò Paradiſus ante mundum, nec ſtatim inprincipio ejus; ſed neque poſt mundum aut poſt hominem; Verùm *die mundi tertio*, quo terra plantis ornata, ut communis opinio habet. Et quia à Deo, hinc *hortus Dei*, Gen. 3. v. 10. Διὸς κῆπος Platoni, quem in Convivio ex Moſe deſcripſit.

4. FINIS *proximus* fuit, ut eſſet hominis in illo ſtatu innocentiæ, pro dignitate, ἐνδιαίτημα, de quo Damaſcenus de Orth. Fide lib. 2. cap. XI. unde, ut ait, eſſe debuit εὐφροσύνης καὶ θυμηδίας ἁπάσης ταμεῖον. *Secundarius*, ut umbra & imago Paradiſi cœleſtis, 2. Cor. 12. Luc. 23. *An igitur receptaculum omnium fidelium animarum, poſt hanc Vitam?* Neg. contra Judæos, R. Menaſſe Problem. 17. quorum opinionem Patres quidam, Armeni, & nonnulli olim Scholaſtici ſequuti, Vide Paſſionale meum de 3. verbo Dom. in Cruce. *An in eo Henoch & Elias?* Neg. quia nuſpiam eſt: illi in cœlo, candidati immortalitatis, cujus ſtolas jam acceperunt.

5. *De Loco* nullus finis diſceptandi : Moſes *in Regione Edenis*, ad plagam Orientalem collocat; fluviumque deſcribit, in 4. alveos diviſum, quo irrigetur: Nomina ſunt duo indubia, *Phrat & chiddekel*, id eſt, *Euphrates & Tigris:* de *Phiſon & Gibon* lis eſt, hoc loco non decidenda. Conſtat non fuiſſe in India, *in Ceilan*, ultra Oceanum; non *in Taprobana*, *in America*; in monte altiſſimo, in tertiâ aëris regione; Goropius, qui Hesdinii in Arteſiâ ponere voluit, luſit: nec patitur Moſaica deſcriptio, ut in Palæſtinâ collocetur, ad Jordanem: Meſopotamiam digito indicat. Ibi Edenica regio, & confluentes Tigris ac Euphratis & alia. Vide tamen Nicol. Abram. l. cit. qui ad Jordanem poſuit. Res non eſt hujus loci.

6. *Adjuncta*, præter amœnitatem, & quæ eò ſpectant, ſunt ſpatii *magnitudo*, & Temporis *duratio*. Hinc quæritur; *Quantus fuerit?* non immenſus, nec nimis anguſtus. Falluntur qui orbem terrarum circumdediſſe putant; Toſtatus nullâ ratione affirmat, longitudinem fuiſſe 12. ambitum 36. aut 40. milliarium. Natura paucis contenta.

- *laudato ingentia rura Exiguum colito*

An adhuc hodie ſuperſit? Affirmat Bellarminus l. c. & nuper Laurentius de la Ponte, in cap. 1. Sapient. v. 15. Digreſſ. 5. confirmat. 1. *autoritate* Patrum. 2. *ratione:* quia neque ſtatim poſt lapſum cæpit corrumpi, neque diluvio interiit; eò quod non inundârit totum orbem terrarum, ſed habitabilem tantùm, & quatenus Deo viſum fuerit. 3. Quia Henoch ibi teſte Siracide; 4. quia Chriſtus fuit poſt mor-

mortem, cum latrone. Negant Salianus, Cornel. à l. ap. qui alios plures conſentientes citat &c. Nos quoque aſſentimur; affirmantium argumentis nihil ineſt ponderis.

7. Ad hunc locum pertinent *Arbores Paradiſi*, de quibus Moſes: *Et germinare fecit Dominus Deus è terra, omnem arborem concupiſcibilem adſpectu, & bonam in cibum.* Hæc in genere. Deſcribuntur 1. *à pulchritudine*, qua præcelluiſſe omnibus arboribus indicat Ezech. 31. verſ. 8. 9. de quo ſuprà in Cedro. 2. *à fœcunditate:* non tamen conjunctim, ſed diviſim. Nam Cedros quoque & alias, quæ poma eſui apta non ferunt, in horto Edenis fuiſſe, apud Ezech. l. c. dicitur. Quo argumento Torniellus Bedæ opinionem refellit; *nullam ante lapſum herbam venenatam, nullam arborem fuiſſe infrugiferam. In ſpecie* duæ celebrantur. *Arbor vitæ* in medio horti, & *Arbor ſcientiæ boni & mali.*

8. *De Arbore Vitæ*, quæri ſolent plurima, curioſiùs quàm fructuoſiùs. Breviter expediam. 1. *An vera arbor fuerit?* Vera, contra Originem, Eugubinum &c. Sic Thalmudiſtæ *per arborem vitæ intelligunt contemplationem æternorum; per arborem ſcientiæ deſiderium caducorum*, ut apud Galatinum de Arcan. Cathol. Fid. l. 7. cap. 10. p. 514. Hinc fabulæ illorum: *quod lignum vitæ in altitudine habeat iter quingentorum annorum: quod fons paradiſi ex eo ſcaturiens orbem inundaret univerſum, niſi nomine Magno & Sancto ſignatus eſſet*, ut in Thargum Cant. 4. v. 12. &c.

9. Jam 2. Quæritur? *an unica arbor fuerit?*

Reſp. commun. una. Quid verò ſi auctum fuiſſet genus humanum? otioſa quæſtio, dicunt tamen, ſpeciem propagari potuiſſe. Non puto, neceſſarium fuiſſe: nam & in multa ſecula perennem ſervare Deus, quousque voluiſſet? & ſufficere fructus ipſius omnibus Paradiſi incolis potuiſſent, usque dum ex animali vita in ſpiritualem transferrentur. Similis Domino noſtro JEſu, cui nemo ſecundus; ciboque Euchariſtico, de quo *ſumit unus*, *ſumunt mille*, *nec ſumptus abſumitur*.

10. Ad 3. *ubi fuit?* in medio horti. *Quonam modo?* non tantum *per interpoſitionem*; quomodo in medio dicitur eſſe, quicquid intra eſt, ut Tyrus in corde maris, Ezech. 28. v. 2. Matth. 12. v. 40. Sed quodammodo *per æqui diſtantiam*, & q. in centro, loco conſpicuo & ab aliis arbuſtis libero, ut videtur. *Quid ita?* dignitas arboris, digniorem locum requirebat - *cætera tantùm*

> *Sylva ſub hac omnis, quantum fuit herba ſub illa*,

Ovid. 8. Metam. Fab. 13. *Nulla ſylva talem profert, flore, fronde, germine*; ut umbra eſſet Chriſti, qui in medio ſuorum ſemper, Joël. 2. v. 27. *An ibidem & arbor ſcientiæ?* putabant aliqui, ut Alcimus Avitus l. 1. v. 311. ubi Deus;

> *Eſt tamen in medio nemoris, quam cernitis, arbor,*
> *Notitiam recti pravíq; in germine portans*, &c.

Sed hoc ut vero non abſimile; ſic incertum.

11. Sed 4. *Cujus Speciei?* Monadicæ? Sol quaſi.

aut

aut Phœnix, inter arbores. Quod probant commun. ex ſingulari efficacia fructuum. Quod tamen argumentum non cogit. Potuit enim vim illam vitalem Creator etiam uvis aut pomis conferre, ut ineſſet q. naturaliter. Ita uvæ medicinali arte educantur, vide quæ *de Arbore multifera* dixi in agro Neapolitano Acerræ Philolog. l. 1. n. 69. aut confer *fariniferam* in Terenate Inſula, ibid. num. 64. aut fructum, quem Tartari *Boramez*, ſive *Agnum* vocant. de quo Scaliger Exercit. 181. ſect. 29. ac Nierembergius l. 3. hiſtor. nat. cap. 6. Talem aliquem ego libenter cogito.

12. *Quid? an verè 5. ſingulis menſibus recentes fructus protulit?* Id videntur affirmare S. Ezechiel *ex utraque ripa fluminis arbores pomiferæ, quarum neque folia defluunt, neque deficiunt fructus: per ſingulos menſes afferet quoque primitiva*, Vulg. *fructus primitivos* Pagnin. id eſt, *præſtantiſſimos*, Tremell. neue Früchte / D. Luther. *& erunt fructus in cibum, folia ad medicinam*, cap. 47. v. 12. & S. Johannes: *in medio plateæ illius & ipſius fluminis, hinc & hinc, lignum vitæ, afferens fructus duodecim, non numero, ſed varietate ſpecierum*, Zwölfferley/ Luther. aut certè duodecim, quia *per menſes ſingulos reddit fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem Gentium*, Apoc. 22. v. 2. Uterque ad Paradiſum terreſtrem & arborem vitæ alluſit. Credo ex antiqua traditione; quod hæc natura hujus arboris fuerit, ut potuiſſet ſemper recentibus abundare fructibus. Ex eadem orta Homeri multiſcii fabula, de arboribus in horto Alcinoi.

Non

Non perit illarum fructus, ſemperque perennans
Æque hieme atque æſtate manet: namque aura Favoni,
Dulci anima adſpirans, gignitque coquitque viciſſim
Nunc hos, nunc illos: aliique ſubinde recentes
Succedunt, pyra nempe pyris, ac ficubus, uvis
Uvæque & ficus, poſt pomaque poma ſeneſcunt.

Hæc, ait S. Martyr Juſtinus, *annon apertam Moſaicæ de Paradiſo narrationis imitationem declarant?* in Paræn. Orat. ad Gentes. Nec incredibile eſt eam fuiſſe fœcunditatem; quæ *in palma* quoque quodammodo apparere dicitur, dum ſingulis menſibus μίαν βάϊν *ramum unum* protrudit: unde Ægyptiis anni Hieroglyphicum fuit, Horapoll. l. 1. cap. 3. Denique ligno hoc vitæ apud Ezechielem *Gratiæ vita* in militante Eccleſia; apud Johannem *Vita gloriæ* in triumphante, indicatur: Chriſtus utrobique ipſe; quia utraque ex ipſo, ejusque plenitudine. Alii vitæ utriusque ſubjectum Electos & fideles accipiunt. Non malè Maldonatus in Ezech. *Apud hæreticos & Philoſophos omnia mortua: quia aquis de Sanctuario egredientibus non irrigantur, id eſt, Scripturis ex Eccleſiæ ſenſu expoſitis* (ſcil. ſecundum fidei Catholicæ ἀναλογίαν) *non utuntur: ideò verba habent, Spiritum non habent.* Johan. 6. verſ. 63. 1. Cor. 4. v. 20. Quod hoc ſenſu accipimus, & retorquemus. Maneamus plantati in ipſo flumine: extra mors regnat. Sed in viam.

13. Præcipua diſputatio eſt 6. *de efficacia & virtu-*

virtute, à qua nomen; ut *Arbor vitæ*, hoc eſt, *vitalis aut vivifica* diceretur. Quæritur 1. *an tantùm Sacramentaliter aut ſignotenus ita dicta fuerit?* quod nempè eſſe debuerit typus, Symbolum, Sacramentumve immortalitatis, ſive vitæ gratiâ Dei continuandæ, & in æternam commutandæ? affirmat cum Calvino Ravanellus in *Arbore*. Nos ut typi rationem habuiſſe non negamus, de quo mox; ſic ſolam ſignificativam virtutem ex Geneſ. 3. v. 22. negamus. Ait enim diſertè Deus; ideò ſe expulſurum Paradiſo Adamum, *ne manum extendens, accipiat & comedat de fructu hujus arboris, & vivat in æternum.* Quæ verba non de hominis lapſi ſola præſumptione & vana perſuaſione; ſed de rei eventu, ex virtute hujus fructus, manifeſtè loquuntur: futurum, ut ſi Adam comedat, in æternum vivat. Quæritur itaque *an fructus iſte vitam æternam potuerit conferre?* id apertè videtur dicere Deus. Certum tamen eſt, homini Protoplaſto immortalitatem quandam, ſive potentiam non moriendi, fuiſſe concreatam, & ſuo modo naturalem. Certum ad plenam & beatam vitam æternam nullis naturæ viribus, ſed DEI gratiâ fuiſſe perducendum; hoc erat præmium promiſſum obedientiæ; quod colligitur è contrario ex comminatione illa: *morte morieris*. Gen. 2. v. 17. additâ prohibitioni eſus de arbore ſcientiæ.

Quod ſiquis vetitum præſumpſerit arbore pomum,
Audax commiſſum mortis diſcrimine pendet:

Non

Non immenſa loquor, facilis cuſtodia recti!
Servator vitam, mortem temerator habebit.

Sic benè Alcimus Avitus l. 1. v. 320. Certum igitur *arboris hujus virtutem ſpectâſſe continuationem vitæ illius animalis*, ad quam primus Adam fuerat primò creatus, 1. Corinth. 15. v. 45. Non igitur, ſi Adam lapſus comediſſet de illius fructu; ideò æternam illam ſpiritualem vitam conſequutus fuiſſet: *mortem* tamen *naturalem*, *quâ corpus & anima divelluntur, effugiſſet:* Sed idem in morte ſpirituali hæſiſſet ſemper, & ſuo tempore incidiſſet quoque in æternam. Vitam ergò duxiſſet ſempiternam, ſed omnimodis miſeram, & quæ mors potiùs quàm vita fuiſſet. Atque ita luiſſet à Deo intentatum inobedientiæ ſupplicium, nullumque percepiſſet ex temerario eſu commodum; quin omne impoſterum excluſiſſet remedium; *ſimilis jam factus Diabolo, qui felicitatem perdidit, æternitatem non amiſit, ut ſi ejus infelicitas æterna, & infelix æternitas*, ut benè dixit Rupertus Tuitienſis. Et hinc jam patet. 3. *Cur è Paradiſo excluſus fuerit ac cuſtodia adhibita?* ſcilicet, non invidiâ Dei, ſed miſericordiâ, ne peccator perſeveraret, malumque ejus eſſet interminabile & immortale, ut ait S. Irenæus l. 3. cap. 37.

Pœna mori crudelis erat; ſed vivere pejus,
Et vitæ mors meta datur, cùm fine malorum.
Magna Dei pietas, ſemper qui temperat iras!

Dracontius in Haxaëm. v. 370.

14. Et reſpondetur quoque ad illa Problemata, 1. *an vis & efficacia fructuum hujus arboris fuerit*

fuerit ſupernaturalis? 2. an verò naturalis? an Medicinalis? 3. an vitam conſervârit reparando humidum radicale, & calidum nativum? 4. An poſt lapſum hæc fructibus efficacia manſerit, aut adempta fuerit? Reſp. breviter: Virtus illa *origine* ſupernaturalis; *inhæſivè & effectivè* naturalis: *Medicinalis*, non ad curandum morbum; ſed ad præſervandum: ſanitatem, quæ Protoplaſtis inerat naturâ, non dabat; ſed conſervabat, ut electis illa cœleſtis Arbor vitæ, Apoc. 2. v. 7. & 22. v. 2. Itaque *calidi* quoque *& humidi non ſupplebat defectum; ſed augebat effectum.* Si quis morbus, aut defectus homini tùm accidere potuiſſet naturâ, citra peccati admiſſionem; fuiſſet ille in propinqua diſpoſitione & potentia ad moriendum, atque adeò jam tùm mortalis naturâ, quod Pelagianum eſt. *Manſit autem hæc virtus etiam poſt lapſum, quoad effectum vitæ per ſe;* quod affirmavit DEUS Geneſ. 3. verſ. 22. jam tamen perierat, *quoad effectum vitæ talis;* nempe ſanæ, lætæ, felicis, tranquillæ: quam Protoplaſti juſto Dei judicio amiſerant, Gen. 3. v. 16. 17. quæ privatio pars erat mortis intentatæ, Gen. 2. verſ. 17.

15. Quæritur etiam, 5. *An ſi ſemel comediſſent tantùm Protoplaſti de hoc fructu, morte naturali fuiſſent cărituri?* Negant Scholaſtici & Pontificii recentiores: Ratio tamen eorum è Pelagii errore fluxit. Quia calor nativus eorum, continuâ actione in digerendis cibis aliis, fuerit debilitandus: Quia fructus corruptibilis per ſe non potuerit conferre omnimodam incorruptibilitatem,

tem, ſic Cornel. à Lap. & alii. At affirmant Bellarminus & Patres plerique omnes, & ut apparet Deus ipſe, l. c. Geneſ. 3. v. 22. Rectiùs, ut puto. Nam neque fructus iſte omnimodam & æternam incorruptibilitatem conferre debuit, ſed conſervare tantùm concreatam, ad tempus quousque duraret vita animalis, & hoc non per ſe ſimpliciter, ſed ex divino propoſito, ejusque beneficio & influxu. 6. *An ergò aliquando guſtârint Protoplaſti?* Ante lapſum guſtaſſe, voluit probare Auguſtinus de peccat. merit. quod abſurdum videatur, noluiſſe frui permiſſo Dei munere. Sed ex dictis conſtat, non guſtâſſe. Ad argumentum ab abſurdo, neg. conſequentia. Incertum eſt, *an cibum ullum comederint in Paradiſo, præter vetitum?* Quod verò Menochius putat, ignorâſſe etiam, quæ eſſet arbor vitæ; Deus ipſe refutat, Gen. 3. l. ſæpius cit. Ignoti nulla cupido. Neque auferendi appetitus ejus eſſe poteſt quod ignoratur. Objecta movent ſenſus. Denique ut deſinam. 7. *An diluvio, aut poſt lapſum cum tempore, evanuerit hæc Arbor; ſivè an potiùs ſuperſit, ejusque fructibus vivant Henoch & Elias?* ex iis quæ de Paradiſo diximus claret.

16. Supereſt ut *de Fine* non nihil addamus: ac *de Phyſico* ex divina ordinatione, ſatis; *Typicus & Myſticus* fuit, ut eſſet memoriale vitæ naturalis à Deo homini congreſſæ; pignusque & figura etiam ſupernaturalis, gratioſæ & glorioſæ, obedientibus donandæ. Hinc Typi illi Ezech. c. 47. Apoc. 2. & 22. ll. cc. ut & dicta, Prov. 3. v. 18. & 11. v. 30. & 13. v. 12. & 15. v. 4. ubi Proverbialiter *Arbor vitæ* de re maximè

maximè ſalutari, Patres Chriſtum cum ſuis beneficiis comparant: cujus ſtipes eſt crux; folia ſanitatem afferentia Verbum; fructus ſacramenta &c. Vide Hieron. Laureti Sylvam.

17. *De Arbore ſcientiæ*, pauca reſtant, Duo enim præcipuè quæri ſolent, 1. *de Specie*, 2. *de Fine*, & *inde Nomine*. *Cujus ſpeciei fuerit?* ignoratur. *Ficum* fuiſſe Veteres quidam crediderunt, ratione non magni momenti, ex Gen. 3. v. 7. Alii *malum*, ex Cant. 8. v. 5. & quidem vel Medicam, vel Aurantiam, vel etiam Vitem, aut ceraſum. Auguſtinus tale pomum protuliſſe putat, qualia in aliis arboribus innoxia jam ſenſiſſet Adam. Sed hoc ipſum incertum eſt, ut dixi num. 15. Quæſt. 6. At Salianus contrà *arborem planè fuiſſe ſingularem*, quod de Arbore Vitæ poſuimus, num. 11. Ratio ejus; quia unicæ arboris fructu interdictum fuit: etſi aliæ fuiſſent ejusdem ſpeciei, facile eludi potuiſſet divina prohibitio, & tentatio ſatanæ vinci. Quæ tamen quoque non cogit aſſenſum. Potuit arbor illa, etſi notæ ſpeciei, fructu tamen & aliis accidentibus eſſe eximia. Neque rem magnam aut difficilem Deus imperare voluit, ſed cujus obſervatio eſſet facilis, ut docet Chryſoſtomus & Alcimus Avit. ſuprà n. 13. Moſes deſcribit Gen. 3. v. 6. quod viſa fuerit arbor 1. *bona ad cibum*, quod fructum elegantem & eſui aptum ferret, 2. *jucunda oculis*, vel, ut in fontibus eſt, *deſiderium oculorum*; pulcherrima fronde & fructu, ac planè præ cæteris inſignis; quod per epexegeſin illuſtrat, dum addit, 3. *adſpectu delectabilis*, ut Vulgat. Hebræi exponunt; *concupiſcibilis ad intelli-*

telligendum, id eſt, ad faciendum intelligere, ad comparandam prudentiam. Verùm vox Hebræa, *lebaskil*, hoc loco potiùs ſignificat *contemplari*, quod oculos contemplantium remoraretur, ita Vatablus. Placuit tamen D. Luthero Hebræorum expoſitio: Daß ein luſtiger Baum wäre/weil er klug machte: Sic quoque Tremell. quod *deſiderabilis ad habendum intelligentiam*, ad rem parùm intereſt. Nam etſi per ſe adverteret contemplantis oculos & animum Evæ adſpectu;

Dis tamen eſſe cupit ſimilis, ſerpitque venenum
Ambitione nocens, ut habet Alcimus Avit. l. 2.

Non igitur *appetitus Evæ* fames fuit naturalis; quanquam aſſentior Gennadio, Adamum & Evam nihil ante prælibâſſe guſtu, in Catena Græca, & apud Novarin. in Moſe enucleato Gen. cap. 3. ſect. 2. num. 207. ſed appetitus ſcientiæ vetitæ, & divinæ Majeſtatis, ex mendacio ſerpentis; cui credideris magis quàm Deo Creatori. Hinc de eximia *pulcbritudine* arboris hujus conſtat, *de ſpecie* nihil. Inter mala Aſſyriaca, Limonia dicta, genus quoddam eſt, fructu rotundo, Aurantiis duplo aut triplo majori, in cujus cortice fiſſuræ apparent, q. morſus veſtigia: hinc vulgò *poma Adami*; meminit Matthiolus in 1. Dioſcor. c. 131. & Dodonæus Pempt. 6. l. 3. c. 2. At Græci & Judæi *Poma Muſæ Arboris*, Adami & Paradiſi vocant, quam alii inter palmas, alii inter ficus cenſent, de quibus Matthiol. l. cit. cap. 126. ubi Bauhinus: Scaliger quoque Exercit. 171. Garſias quoque in Aromat. hiſt. l. 2. c. 10. ubi Cluſius in notis. *Id in fructibus hiſce mirandum, quod in orbiculos conciſis, venas in ſingulis repe-*

reperias, *Crucifixi imaginem utrinque referentes*, hæc ex Cotovico Nierembergius, de Mirac. Natur. Terræ promiſſæ c. 99.

18. *De Nomine & cur ſcientiæ dicta fuerit?* Quæritur, 1. *an ab Eventu*, per Prolepſin, ita dicta fuerit? quod comeſto ejus pomo experti ſint Protoplaſti, quantum boni amiſerint, quantumque mali attraxerint? *An potiùs, quod vim aliquam, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem habuerit, acuendi ingenii & judicii*, ut putabat Joſephus 1. Ἀρχαιολογίας, cap. 2. Confer Ophitarum hæreſin apud Epiphanium, 37. & Damaſcen. l. 2. cap. 11. Ergo 3. *an à fine & deſtinatione DEI Creatoris*; qui eam ideò Protoplaſtis propoſuit, ut objectum eſſet obedientiæ debitæ & memoriale, quantum boni obedientibus, quantumque mali inobedientibus eſſet expectandum? Nempè, ut vetus verbum habet, *obedientia Vita, inobedientia Mors*, apud Caſſiodorum in Variis Reſp. hoc certum eſſe: Deus enim ipſe ante lapſum nomen hoc indidit, verbumque Præcepti addidit, quod erat q. *matrix omnium poſteà Dei præceptorum*, ut ait Tertull. Hæc uti concio in ſtatu innocentiæ, pro Bibliis fuiſſet: nec opus habuiſſemus, papyro, atramento, calamis, & illâ infinitâ librorum multitudine, quâ hodie indigemus, nec tamen milleſimam partem ejus Sapientiæ conſequimur, quam Adam habuit in Paradiſo; ita arbor illa fuiſſet q. Eccleſiæ, aut cætus publici, locus, ubi ad contemplandum bonum malumque, in Dei præcepto propoſitum, ſtato tempore, die nempe Sabbathi, conveniſſemus, mentemque ad obedientiam & gloriam Dei excitaſſemus, *ſic D. Lutherus*, vide

Gen. 2. v. 17. Acceſſit poſt eventus triſtiſſimus, & notitiâ experimentali luctuoſiſſimus, quâ nunc quoque intelligimus amiſſi boni, malique inſecuti magnitudinem. Hanc notitiam contulit arboris illius pomum, *per accidens:* nec apertio illa oculorum effectus fuit pomi per ſe; ſed perpetrati ſceleris, & conſcientiæ jam evigilantis.

- Reſerantur lumina cordis,
Ac permixta bonis potuit doctrina malorum,

Dracontius v. 352. & Alcimus Avitus, v. 275. (ubi plura.)

Tùm patuiſſe gemunt oculos; nam culpa rebellis
Fulſit, & obſcœnos ſenſerunt corpora motus.

De quo Interpp. ad Geneſ. 3. v. 7.
Atque hæc *de Arboribus Paradiſiacis*, quàm fieri potuit, pauciſſimis, de quibus vel ſolis integrum juſtumque volumen ſcribi poſſet. De illis nuperrimè aliquot diſputationibus egit. Clariſſ. *Dn. D. Chemnitius*, Jenæ A. D. CIƆ. IƆ. CLVII. Quæ ſolæ, ſi quam brevitas mea excitavit ſitim, ſedare poterunt. Nunc pergamus.

CAPUT XLVI.

Arbores Sodomiticæ.

1. MAre *mortuum*, quod S. Scriptura vocat, & campos circa quondam fertiliſſimos, nunc deſertos exuſtosque, ubi Pentapolis fuit, Veterum ac Recentium multi deſcribunt. Inter alia miranda *- ſceleris monumenta vetuſti*, de arbo-

arboribus hæc referunt; naſci illic nullas; aut fructu in ſpeciem quidem optimis ſimili, ſed ſi carpas, in pulverem fædosque vapores evanido. Teſtis 1. *Joſephus* l. 5. de bello Jud. cap. 5. *Adhuc*, inquit, *divini ignis reliquias, oppidorumque quinque videre licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres: qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles; carpentium verò manibus in fumum diſſolvuntur & cinerem.*

2. Ab hoc puto acceperunt alii ut 2. *Tacitus* 5. hiſtor. nam præfatus de lacu Aſphaltite: *haud procul inde*, inquit, *campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum jactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramque ſpecie torridam vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſpontè edita, aut manu ſata, ſive herba tenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem abolevêre, atra & inania, velut in cinerem vaneſcunt*; lege cætera.

3. Sic 3. Solinus: *longè ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur, quem de cœlo tactam teſtatur humus nigra & in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida; Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum: apud quæ pomum gignitur, quod habeat ſpeciem licet maturitatis, mandi tamen non poteſt. Nam fuliginem intus favillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet: qua levi tactu preſsâ, fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem*, Polyhiſt. c. 38.

4. Ex noſtris, 4. ſolum audiamus Tertullianum carm. de Sodoma:

Tota rogus regio eſt: hinc atro horrore favillæ,
Hincque ſitu cano cineres incendia ſignant.
Nullus arat fruſtrà piceas fuligine glebas:
Semiperempta etiam ſi qua illic jugera, latas

Autumni conantur opes, facilè optima ſeſe
Promittunt oculis, pyra, perſica, & omnia mala.
Donec carpuntur: nam protinus indice tactum
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum.

5. Lubet inquirere 1. An vera ſit hæc hiſtoria? 2. An aliquid de ea in S. Codice? 3. Quonam modo naſcantur talia poma? *Dubitandi* rationem ſuppeditat Diodorus Siculus l. 19. cap. 108. qui refert, *circa lacum iſtum infamem, bituminis odorem, cum magno halitu, per multa ſtadia longè lateque diffundi, accolis etiam ipſis peſtiferum, quorum & corpora valetudinaria ſint, & vita non diuturna: eſſe tamen palmeta, quà irrigui fontes & vivi regionem interluant:* Brocardus; *terram per mediam dietam ferè ſterilem, ita ut ne germen quidem producat in ſua latitudine: quæ alibi quinque alibi ſex leucarum eſt: à dextris & ſiniſtris montes eſſe aridos & ſteriles, per multa terrarum ſtadia, quouſque vapor ille exitialis, impellente vento poſſit pertingere*, P. 1. cap. 7. n. 35. Equidem credo Scriptores poſt Joſephum nonnulla de ſuo addidiſſe, quodque ille de aliquo fructu dixit, ad omne genus arborum tranſtuliſſe. *Tertullianum* excuſat Poëtarum privilegium. *Pyra, Perſica & omnia mala*, in ſterili & exuſto illo ſolo creviſſe, neque veriſimile eſt, & nemo obſervavit. Irriguis locis quibusdam viridaria coli, naſcique ſimiles noſtratibus herbas *Brocardus*, αὐτόπτης teſtatur, & *Bellonius*, inprimis ad Callirhoen Fontem Heliſæi, cujus Plinius quoque meminit, vide Bellonii Obſ. l. 2. c. 86. ubi *palmas* ait, *ibi creſcentes, non perducere dactylos ſuos ad perfectam maturitatem.* Idem in Arabiæ deſertis refert à ſe

con-

conſpectas *frequentes lanigeras arbores*, quarum fructus lanâ pleni ſint, *à goſſipio*, diverſa, l. cod. cap. 60. Joſephum tamen falſa prodidiſſe non autumo.

6. Meminit fructuum Sodomiticorum *Sapientiæ Autor* c. 10. v. 7. ubi inter divina teſtimonia vindictæ, in Sodomitas exercitæ, ponit ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά. Vulgatus vertit: *arbores in certo tempore fructus habentes.* Janſenius: *imperfectâ maturitate fructificantes:* Corn. à Lap. *quæ producant fructus imperfectos, nec dum plenè formatos qui nunquam ad maturitatem perveniant:* Sic D. Luther. Bäume die unreiffe Früchte tragen: Quod cum Bellonii obſervatione convenit: at Tremellius: *plantas inutili pulchritudine ferentes fructum*; quod cum narratione Joſephi. Sic exponit Lorinus. Sic ὥρα non tantùm καιρὸς, verum etiam κάλλος, εὐμορφία, apud Heſychium. Et puto hæc voluiſſe Philonem Sapientiæ ſcriptorem. Meminit *vitium Sodomiticarum* etiam ipſe Moſes, quarum *botri amari fuerint & venenati*, Deut. 32. v. 32. 33. de quibus ſuo loco. Ex his certum, in damnato iſto ſolo, alicubi repertos aliquando fructus aliquos, guſtus damnati, & qui neque ſano ſucco eſſent, neque ad maturitatem percocto.

7. Potuiſſe eos fructus Solis ardore, ſoliq; pravo ingenio, & halitu vicini lacus venenoſo corrumpi, durari, lapideſcere, aut *fungorum inſtar* cinere repleri, nemo negaverit. Sic *Coralia inſito ſalis ſpiritu lapideſcunt*, ut nonnulla partim lignea partim lapidea viſantur: & *radices marinarum arborum*, quæ nonnunquam ventis agitato mari ad litora expel-

luntur, *coraliorum in modum dureſcunt, variis & admirandis figuris inſignes*, ut refert Joh. de Mey in S. Phyſiol. P. 2. p. 119. Confer quæ de *Uxore Lothi* dixi in Salariam ſtatuam mutata Vol. 1. S. Anal. *In litore maris rubri naſci quidem Virgulti, junco nigro ſimile, quod evulſum rigeſcens ferro durius evadat; Iſidis capillum dici ab accolis, refert Agatharchides* in Excerpt. Photii cap. 53. Credo eſſe *coralium nigrum*, de quo Plinius l. 32. c. 2. Vide quæ *de fructibus quibusdam Arabicis, quibus pro fomite uti mos ſit*, ex Inthaleri Hodæpor. attuli in Acerra Philolog. l. 1. n. 75. In tales fungos abire quosdam ad mare hoc mortuum fructus, reor; quales ſunt illi *orbiculares* apud Dodonæum Pempt. 3. l. 5. c. 22. & illi quos in ſabuletis Hollandiæ naſci deſcribit Hadr. Junius in Batav. c. 15. extr. Hollandi **Ungerseyern**; ipſe *Dæmonum ova, & Phallos*, quod ex iis Virilium quoddam rudimentum erumpat, nominant. Sodomæis pomis his mundana hæc caduca, & inprimis bona non renatorum, aut hypocritarum, in ſpeciem opera comparantur, ut in Acerra l. cit.

CAPUT XLVII.

De Lucis & Sacris Nemoribus.

1. QUemadmodum Deus ipſe in Paradiſo, ad publicum Religionis exercitium, *duas Arbores* dedicaverat, de quibus paulo antè; ita veriſimile eſt, inde ductâ conſuetudine, ſub opacis & patulis arboribus, primam hominum progeniem ſacra ſua celebrare ſolitam. Hinc poſteâ

ſteâ *aræ* in lucis, & *nemora ſacra* circa fana & delubra. *Primus* plantâſſe legitur *Abrahamus*, ſuprà c. 1. n. 2. Neque diſplicuit Deo, res per ſe indifferens. Abuſus fecit ut legibus exſcindi juberet, vetaretque ſibi fieri. Audiemus 1. varia teſtimonia, 2. nonnihil diſtinctiùs de lucis dicemus. Scripſit de iis ex profanis ſcriptoribus *Benedictus Curtius Symphorianus*, Hortorum l. 3. & 4. &c. laudatus Stukio de Sacrificiis p. 103. Mihi videre non contigit.

2. Exod. 34. v. 13. Deut. 7. v. 5. & 12. v. 3. Seriò mandat Deus Iſraëlitis, ut Cananæorum regione potiti, non tantum *lucos eorum exſcindant*; ſed etiam *aras & ſtatuas*, Ihre Seulen D. Luth. *& ſculptilia*, Deorum ſimulachra, *evertant*, deſtruant, conterant, igneque comburant. *Perdendo*, inquit *perdetis*, funditus ſubvertetis, *omnia loca, in quibus* Gentes, quas ſub ditionem Veſtram redigetis, *ſervierunt diis ſuis*; Ubi? *ſuper excelſos montes & colles, & ſub omni viridi arbore.* Quonam modo? *Sacrificando ſuper altaria, dedicando columnas* & monumenta memoriæ beneficiorum, *& Deorum ſimulachra*, quibus ſacri eſſent luci. Quibus cum Ceremoniis? quæ ſummam ſpirarent impietatem & impuritiam, ut Exod. 34. v. 15. Ubi *de conviviis ſacrificalibus* in lucis celebratis. Quæ omnia, quoniam ad hunc locum non pertinent, obiter tantùm obſervare ſufficit.

3. Odio iſtius tàm fœdæ ſuperſtitionis, *vetuit Deus*, quod prius licitum erat, *Lucum ſibi condi. Non plantabis tibi* אשרה *Aſchera, lucum* à loci amœnitate & beatitate dictum, *omnem arborem*, *ad altare Domini Dei tui*, Deut. 16. v. 21. *Cauſas* interdicti

recenſet Philo l. 2. de Monarchia: 1. Quia *verum templum non amœnitates poſtulat, ſed ſeveram caſtimoniam:* 2. quia *non eſt fas importare*, quæ ad virorem arborum faciunt, *lætamina* honeſtè dicta, 3. Quia *ſylveſtrium arborum nullus eſt uſus*, cùm ſint telluris inutile pondus; *mites & fructiferæ parùm catos & cordatos à religione facilè abſtraherent.* 4. Quia *condenſa illa arborum & latibula maleficis conveniunt: ex latebris ſecuritatem captantibus, & inſidiarum occaſionem.* Pietas gaudet conſpici, &c. Quæ poſtrema inprimis placet. Obſcurum & ſacro horrore plenum locum gentilium Δεισιδαιμονία poſcebat: *Quo poſſes viſo dicere, Numen ineſt!* Neque alium peccandi in lucis licentia, de qua mox. Ita ſperabant ſe impunè exuere pudorem poſſe, *fruſtrarique* ſi non *ſolis & juſtitiæ*, tamen hominum *oculos.* Eâdem causâ in N. T. indecorum, orare capite velato & obvoluto, de quo dixi vol. 1. S. Anal. p. 40. Tropologicum eſt, quod habet, Gregorius M. in præf. Moral. c. 5. *Per ſacra eloquia, ab eorum tractatoribus, infructuoſa loquacitatis levitas ſtudiosè compeſcitur, dum in Templo nemus plantari prohibetur.* Ita Phocion Leoſthenis orationes dixit *cupreſſis ſimiles eſſe:* quæ cum proceræ & pulchræ ſint, fructum tamen nullam adferant. 4. Inde poſteà ſæpè reprehenſi Iſraëlitæ, quod ad arbores umbroſas, & lucos, & חמנים *Chamanim*, reſpexerint, id eſt, *ad ſtatuas ſubdiales*, ut Buxt. in Lex. *vel ad loca ſubdialia*, aprica, ſoli expoſita, qualia in tectis, ubi militiam cœli adorabant, Eſa. 1. v. 29. & 17. v. 8. *quodque incaleſcerent* æſtu ſuperſtitionis, & œſtro Deorum ſuorum perciti, in der Brunſt zu den Gözen lauffen/

lauffen/ D. Luth. *ſub omni ligno frondoſo; liberos etiam ſuos immolantes ad torrentes, ſub eminentibus petris*, unter den Felſenklippen/ Eſa. 57. v. 5. 7. quod lucos ſibi facerent ad irritandum Dominum 1. Reg. 14. v. 15. 23. admiſſisque *effœminatis*, omnibus ſtuderent gentium abominationibus ib.

5. *Locus de his apud Oſeam* c. 4. v. 12. inſignis eſt: *Populus meus*, ad exaggerationem ſceleris, Jer. 2. v. 10. 13. cùm & Deum habeat tàm propinquum, Deut. 4. v. 7. & tot Prophetas, Oſe. 12. v. 11. & oraculum *Urim ac Thummim*, ipſamq; Dei legem; *conſulit lignum ſuum*, ad ἐξυθενισμὸν: lignum, è quo baculum geſtat, interrogat, *cæcorum more, quo baculus viam docet, quâ eundum ſit*, R. Kimhi: Quidam de ξυλομαντείᾳ interpretantur: ſed *de Teraphim* accipiunt plerique ſive de imaginibus oracula edentibus, de quibus Seldenus de Diis Syris, & ego nuper *in Exercitat. Famil. de Zoroaſtre & Triſmegiſto*. In *verticibus montium ſacrificant*, Nat. Com. 1. Mythol. c. 7. *& in collibus thymiamata ſua accendunt: ubicunque erant arbores denſæ*, gratæ umbrâ ſuâ, nempè ſub אלון *Allon*, quercu, alno Avenar. & לבנה *Libne*, populo albâ, quæ Græcis quoque λεύκη, Lutherus habet, Linden: & אלה *Elah*, ilice, terebintho, ulmo, Buchen/ D. Luther. de quibus ſuo loco. Hæc umbracula quærunt propter φιλοσαρκίας ἀφορμὴν, Cyrill. in Oſ. l. c. *ut ſine pudore ullo ſeparentur ad fœdas libidines cum meretricibus*, Beelphegoris, Priapi, Sacerdotibus, *quem fœminæ maximè colebant propter obſcœni magnitudinem*. Hier. 1. Reg. 14. v. 24. & 15. v. 12. 13. 2. Paral. 15. v. 16. & cum *effœminatis*; quales erant *Galli Cybeles*

belles & *Deæ Syriæ evirati, in omnem mollitiem adſuefacti, qui cum cymbalis fœmineis ululatibus circumcurſitabant faces geſtantes* Cyrill. h. l. *ſacrificent*, id eſt, *comedant & bibant de ſacrificiis*, Chald. *ac voluptuentur.* Ita Idololatria ſæpè mœchiæ occaſionem ſubminiſtrat. *Sciunt luci & montes & vivæ aquæ, ipſæque in urbibus templa, quantum ea evertendæ pudicitiæ procuret!* Tertull. de Pudic. c. 5.

6. Hinc infames *Achab & Manaſſes*, quod in opprobrium veri Dei, gentilium idolomaniæ æmuli Templa, Excelſa, arasque & lucos extruxerit Baali, 2. Reg. 21. v. 3. & 1. Reg. 16. v. 33. 2. Paralip. 33. v. 3. 19. Laudantur contrà, qui deſtruxerunt, *Gedeon*, Judic. 6. v. 25. *Aſa*, 2. Chron. 14. v. 3. 5. & 1. Reg. 15. v. 13. *Joſaphat* 2. Paralip. 17. v. 6. & 19. v. 3. *Ezechias*, 2. Reg. 18. v. 4. 2. Paralip. 31. v. 1. *Joſias*, 2. Reg. 23. v. 6. 14. & 2. Paralip. 34. v. 3. 7. Quibus locis, quæ lucis coñexa fuerint Idololatriæ Inſtrumenta, variusq; apparatus, difertè deſcribitur. Mitto plura. Ex his qualesve luci fuerint? apparet.

5. *Nomina* Hebræa jam dixi. Græcis τὰ ἄλση, quod, ut Euſthatius putat, *ſpontè ibi arbuſta q. exiliant*, & τεμένη *agri ſeparati*, dicuntur, Latinè *luci à collucendo*, non per Antiphraſin. Nam etſi lucem excluderent, cœlumque ſubmoverent denſitate ramorum, *ut ſecretum loci, & horror umbræ, fidem faceret præſentis Numinis* Seneca epiſt. 41. quomodo etiam *ſi quis ſpecus, non manu factus, ſaxis penitùs exeſis montem ſuſpenderit, animum quadam religionis ſuſpicione percutit*, ibid. ut Eſa. 57. v. 5. tamen ſacro igni & lucernis votivis ad arbores appenſis colluſtrabantur. Crebra enim - *fumificas arbor vittata lucer-*

lucernas ſervabat, ut Prudent. 2. adv. Symmach. v. 1050. Ita enim *vittis*, *picturatisque tæniis veternoſas arbores ornare*, *lanarum velleribus ſtipitem circumvolvere*, *violaceis coronis redimere ramuſculos ſolebant*, Arnob. l. 1. p. 22. & 5. p. 167. edit. nuperæ, &c.

8. *Origo*, ut dixi, à Deo, qui Paradiſum, ſacrum nemus, condidit, Adamum æditimum, *τοῦ τεμένους* προεστῶτα, conſtituit, Arboremq; ſcientiæ ne violaret, ut *Sanctivam*, vetuit. *Nam ſi quis vel folium decerperet è luco*, *ad profanum uſum*, *aut è ramuſculo conficeret ſcipionem*, *profanaverat eum*, ut Amicus meus, Celeberrimi *Dn. Sauberti* filius, docuit è Maimonide, de Sacrif. c. 14. p. 327. Hinc ſacra Patriarchis *Quercus*, de quibus ſuo loco, lucique religioni dicati, proter ſecretum, ſolitudinem, ſilentium, & umbram quæ meditantibus aptè conveniunt, vide quæ ex Plinii Epiſt. dixi Attii c. 69. n. 1075.

9. Hinc *ad omnes fere Gentes* veneratio arborum & nemorum proceſſit: Hæc fuere quondam *Numinum Templa*, Plinius lib. 12. cap. 1. De lucis Ægyptiorum vide *Kircherum*, *in Oedipi Templo Iſiaco* Syntagm. 4. p. 313. de Germanorum *Tacitum in German. & Schedium* de Diis German. Syntagm. 2. cap. 23. & 24. *de Romanorum* Curtium & Stuck. ll. cit.

10. Sed Diabolus, qui in primo Nemore jam ſeduxerat Protoplaſtos, ſolitis fraudibus effecit, ut religio ceſſerit in abominandam ſuperſtitionem. Nam 1. *Objectum cultus*, in lucis fuêre Dii, *Cacodæmones*, quales in S. Literis Baal, Aſtarte, Miphlezet &c. 1. Reg. 11. v. 6. & 15. v. 13. & 16. v. 32. Deinde etiam

etiam *Heroum animæ*, lares viales, piorum manes, ut Cic. 2. de Legib. & Virgil. 6. Æn. v.673. ubi Lacerda. Nam mortuorum ſepulchra erant ſub arboribus, lucisque circumſepta, Idem ib. ut Gen.35. v.8. quale nobis, *non procul Gambrone, in ſinu Perſico, ſub Indica ficu*, quæ ſola ſylvam facere ſolet, Acerræ Philolog. l. 1. n. 80. 81. deſcribit *Mandelslo* l. 1. Itin. Orient. c.7. Quæ ſuperſtitio eò ſpectabat, ut Manes lucis Deorum habitantes, ipſorum fruerentur commercio, de quo dixi, volum. 1. S. Analect. l. 1. c. 19. p. 22. Cùm *impiorum cadavera* averſari crederentur Dii, quibus illatis luci polluebantur, de quo mox. Deniqúe *ipſæ arbores* tanquam præſentia Numina adoratæ; *quod certis precibus cœleſtes Deos adduci poſſe perſuaſum eſſet, ut in* ſuo cujusqúe Numini, *cognatis, occultâ Sympathiâ, arboribus inhabitarent, ſuisque cultoribus oracula ederent, & divina immitterent ſomnia*, R. Moſes Maimon. in More Nebuch. p. 3. c. 29. Hinc *Hamadryades* in Quercubus, Ovid. 8. Metam Fab. 13. *Ulmus & Quercus* exili ac muliebri voce ſalutabant Apollonium Tyanæum, Euſeb. in Hierocl. confut. l. 8. *Quercus vocales Dodonæi oraculi* apud Alex. ab Alex. l. 6. c. & ibid. Tiraquell. *Arbores quoque locutæ*, Tarquinio pulſo, inter prodigia referuntur, Plin. l. 17. c.25. Sic puto optimè accipi poſſe, quod ex Oſeæ 4. adduximus modò n. 5. *De populo Dei conſulente lignum ſuum:* ſivè quod reſponſa petentibus dederint arbores: ſive quod in lucis dormientibus ſomnia immiſerint, de quo more *captandi ſomnia*, Ariſtophanes in Pluto, Plaut. in Curcul. act. 2. ſc. 1. iñumeri. Vides immenſum patere dicendi campum; Sed decurrere non libet hîc.

11. Id tamen omittere non poſſum, ex hac ſuperſtitione, aliis Diis, Planetarum Præſidibus, propter occultam naturæ cognationem & συμπάθειαν, alias conſecratas fuiſſe arbores. Nam ut Phædrus fab. 56. breviter

- *Quercus Jovi*, ut Ela Baali.
Et Myrtus Veneri placuit, Phœbo Laurea,
Pirus Cybellæ, Populus celſa Herculi.

Rei notiſſimæ non immoror. Neque fas fuit, de quocunque obvio ligno accendere ignem ſacrum aut comburere ſacrificia. Hinc certi *Lignatores* ad miniſterium templi; & *Xylophoria* feſtum, Joſuæ 9. v. 29. Nehem. 10. v. 34. 1. Reg. 18. v. 23. & ſeqq. Confer. *J. Saubertum de ſacrif.* c. 16. p. 360. Kircherum Oedip. Syntag. 3. cap. 10. Nat. Com. lib. 1. Mythol. cap. 10. &c.

12. Progredior 2. *ad Ceremonias* hujus cultus, quas infandas & ab omni honeſtate, rectaque ratione, alienas dixi, ex Oſe. 4. vide 2. Reg. 17. v. 10. 16. ubi præter nota Idololatrarum facinora *Magicæ*, *Divinatoriæ*, aliæque infames artes, memorantur. *Venus omnis*, etiam contra naturam, permiſſa, volutabantur, ex utroque ſexu, cum Prophetis lucorum, cum ſacerdotibus *Camarim* dictis, cum Gallis ſemiviris: eò pertinebant *domunculæ lucorum*, à fœminis textæ, 2. Reg. 23. v. 7. de quibus Volum. 2. S. Analect. l. 2. capp. 27. 28. 29. Quo cultu ipſas arbores proſequerentur jam dixi num. 7. Ita de Quercu in luco Cereali Ovid. 8.

- *Vittæ mediam, memoresque tabellæ,*
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.

Laci-

Laciniæ auro literatæ ramis arborum ſuffixæ, quæ cum gratia facti, nomen Deæ, cui fuerant dicata ea dona, teſtabantur, Apul. 6. poſt princip. De altarium, ſtatuarum, ſimulachrorum in lucis multitudine, n. 2. 2. Reg. 25. v. 4. & ſeqq. 2. Chron. 23. v. 17. & 24. v. 18. & 34. v. 4. cùm etiam *Barbaræ Gentes quædam lucos colerent ſine ullis ſimulachris; Celtæ, Perſæ, Romani diu inſtituto Numæ*, &c. Schedius l. c. p. 340. Sed ex Ægypto traduxerunt Iſraëlitæ hanc inſaniam, ut Exod. 32. & jam antè è Chaldæa & Syria, Gen. 35. v. 4. Unde etiam illa, quæ dicuntur, *excelſa* in montibus & collibus, quorum toties mentio in S. Literis, de quibus Sigonius 2. de Rep. Hebr. c. 4. fuerunt fana & aræ in verticibus montium; במות *Bamoth* dicebantur, unde βωμοὶ aræ. Pro his erant *Pyramides* Ægyptiis, de quibus Lucanus:

Votaque Pyramidum celſas ſolvuntur ad aras.

13. Denique, ut abſolvam, *ferro temerabantur*, ſi ſucciderentur, Ovid. l. 8. cit. Inde ſuperſtitio, ut neq; profana *ſylva conlucaretur*, id eſt, *abſciſſis ramis ſpoliaretur ad inducendum lumen niſi piaculo facto venia poſceretur Deorum*, ut ex Feſto docet Scaliger & preces conceptæ *apud Catonem* clarè indicant, *de re Ruſt.* Quare ſuccidi Deus juſſit, n. 2. *delatiq; in locum profanum*, ut Hieroſolymis erat *Tophet*, in valle Cedron, ubi ſepulchra pauperis popelli, comburebantur luci, & cinis ſpargebatur ſuper ea vulgi ſepulchra, quod erat profanationis extremũ, 2. Reg. 23. v. 6. ubi Sanctius: ibidem, leges, *oſſa mortuorum inhumata in lucis projecta*, ad abominationem, locique contaminationem; eademque in aris combuſta

eâdem

eâdem de cauſa. Sed jam tempus ex luco hoc digredi ad alia. Nam ſi, quæ huc pertinent, exſequi vellem oblitus viderer tituli hujus libelli.

CAPUT XLVIII.

De Arboribus Hortenſibus.

1. DE *hortis* tractatio ad S. Geoponica ſpectat. Dicam tamen pauca *de Salomoniis:* de quibus Regum ſapientiſſimus Eccl. 2. v. 5. & 6. *Feci hortos & pomaria, & conſevi ea cuncti generis arboribus: & exſtruxi mihi piſcinas aquarum, ut irrigarem ſylvam lignorum germinantium.* Conſideremus circumſtantias, quam fieri poteſt breviſſimè.

2. *Quis,* Salomo, Rex ſui ævi ſapientiâ & divitiis omnibus antiſtans, ſine pari. Regum enim hæc aliquando cura fuit. Celeberrimi olim *Heſperidum,* & Regum *Adonidis ac Alcinoi,* itemq; penſiles, ſivé illos *Semiramis,* ſive *Cyrus* fecit: Romani quoque Reges ipſi coluêre, Plin. l. 19. c. 4. qui & quercus *ab Hercule* ſatas refert, & Platanos manu *Agamemnonis,* l. 16. c. 44. plura ad h. l. Corn. à Lap. & Stengel. in Hortenſio c. 8. ſed & illud memorabile, & ad dignitatem rei pertinens, *ex Hortulanis evaſiſſe Reges,* ſic cùm in Aſſyriâ Semiramideæ ſtirpis ſucceſſio defeciſſet, *Belitaras hortorum Regiorum curator & inſitor, imperium ſibi vindicavit, ſuoq; generi inſevit,* Agathias l. 2. ex Bione & Alex. Polyhiſt. *De Abdolomino* Sidoniorum Rege notiſſima ex Diodoro, Plutarcho, Curtio, & Juſtino hiſtoria eſt. Sic *Tharſius Amphias* ex hortulano potens evaſit, Macrobius

7. Saturn c. 3. & *Primiſlaus* ex Ruſtico Dux Bohemorum, Æneas Sylvius c. 6. Hiſt. Bohe. &c. Mitto hortos à ſapientibus cultos. Urbanos primus inſtituit, *Epicurus* Athenis, teſte Plinio: ſed pergamus.

3. *Quid?* plantaviſſe dicit ſe omnis generis arbores. Quasnam? ex cautice conſtare poteſt, in primis c. 4. v. 12. & ſeqq. ac c. 5. v. 1. & eſt de hortenſibus locus Joël. 1. v. 12. *Veriſimile eſt Salomonem frutices & arbores, ex Arabia, Ægypto, India totoque orbe conquiſitas, in ſuos Hieroſolymitanos Paradiſos tranſtuliſſe,* ait Corn. à Lap. ut *Balſamum* è Sabæa Reginæ hoſpitis munus, Joſephus l. 8. c. 2. Sed, ut è vicina Arabia plantas translatas non negaverim, & Libani gloriam migrâſſe Hieroſolymam, ex 2. Paralip. 9. v. 27. & Cant. 4. v. 14. patet; ita quas ſtirpes ex reliquo univerſo orbe conquiſitas putet Cornelius, non intelligo. Pleraque aromata Arabiæ propria fuiſſe veteres ſtatuebant: thus, myrrham, Caſſiam, Cinnamomum, Coſtum, calamum, σχῖνον ſive Lentiſcum, undè maſtyche, & id genus, Herodotus l. 3. Diodorus Siculus l. 2. c. 49. & l. 3. c. 46. ut Melam, Strabonem, Theophraſtum, Plinium, Solinum taceam. Agatharchides de mari rubro c. 50. apud Photium refert, *ad ipſas litorum crepidines largè naſci balſamum & viridem Caſſiam: in mediterraneis froquentes & magnas eſſe ſylvas, refertas proceris arboribus myrrhæ ac thuris, nec non Cinnamomi & palmæ, & calami: odorum copiam minuere voluptatem & parere faſtidium morbosque; quibus mederi mos ſit incenſo bitumine & hirci barbâ: ita recreari ægrotos.* Talia Hieroſolymam allata a Regina Sabæorum conſtat, 1. Reg. 10. v. 10. creviſſeque

que in hortis Regiis, ex Cantici ll. cit. Quædam tamen inter Palæſtinæ dotes, & fructus optimos jam olim fuiſſe, patet ex Gen. 43. v. 11. de quibus ſuo loco, ſi Deus volet, ubi de Aromatibus. *Syrorum* hodiernorum *horti* præter olera, de quibus proverbium vetus eſt, *multa ſunt Syrorum olera*, variis conſiti ſunt arboribus, palmis, moris, malis inprimis Punicis, Citreis, ſive Medicis, Coroneis aut Cydoniis Sebeſtis, quas Myxas vocant, Perſicis, Amygdalis, Piſtaciis & aliis: frequentiſſimæ oleæ, & ficus, paſſim Sycomori, nec rara Muſa arbor, ut Rhauwolff teſtis eſt Itinerarii l. 1. c. 2. 4. 6. & alias, ut & Bellonius l. 2. obſ. paſſim: ubi frequentes quoque eſſe arbores, & ſponte natas, Balanos Myrepſicas, Myrobalanon, ferentes, c. 61. & Oenoplias ſive Napecas, c. 79. Item terebinthos, lentiſcos, ſacchariferas arundines, quas nonnemo *favos cum melle dici* Cant. 5. v. 1. autumat, ut h. l. Eccl. 2. Corn. à Lap. quas Syri hodierni, inprimis Turcæ libenter mandunt & in deliciis habent, ut Rhauwolff teſtatur.

4. *Ubi?* in Hortis & pomariis, in quibus *piſcinæ* extructæ erant ad irrigandum. Horti dicuntur גנות *Gannoth*, à protegendo, unde *Magen* ſcutum; ſolent enim defendi ſepibus, vivis & ſtructilibus! & ex utroque genere ſepti vineæ, tutandi causâ, ut Eſai. 5. v. 2. *Vide Atrium de hortis* num. 435. Vivæ ſepes hodie adhuc crebræ in Syria, quæ Rhamno, Halymo, Paliuro, Oxyacanthâ, Phyllireâ, Lycio, & quodam humili ac agreſti genere mali punicæ, palmæque quod Chamærriphes vocant, conſtare ſolent, ut Bellonius & Rhauwolff referunt, Vide illius obſerv. l. 2. c. 78. & 88. ubi *de corona Domini ſpinea.* Pomaria hebraicè

 ſunt

ſunt *Paradiſi:* Vulgatus interpres à potiori denominavit: nam non ſolas fructiferas arbores à Salomone plantatas, verùm etiam alias, umbrâ, aut venuſtate gratas, docet Corn. à Lap. Piſcinæ vocantur ברכות *Brechoth à benedictione* & affluentia, Teyche: quibus in arido & ex ſucco ſolo opus erat. Ita Semiramis in columnâ: *Terram ſterilem*, ἄκαρπον, *reddidi fœcundam; fluviis enim meis eam temperavi, apud Polyenum* l. 8. ſtrategem. ubi autem fuerint iſti horti Salomonis? vide h. l. Corn. à Lap. Adrichom. in deſcr. Hieroſolymæ n. 159. 160. & 189. & conſidera loca ſcripturæ, Cant. 4. v. 12. & 6. v. 1. 10. 2. Reg. 25. v. 4. Jerem. 39. v. 4. & 52. v. 7. ex quibus colligitur, partim in urbe partim in ſuburbanis fuiſſe.

5. *Quibus auxiliis?* regiâ manu conſitas iſtas plantas, meritò creditur. Quanquam, quod quis per alium fecit, ipſe quoque rectè feciſſe dicatur. In Targum h. l. impia ſententia eſt: *plantavi hortos irriguos & amœnitatis, pleniſſima viridaria,* &c. *addidi herbas odoratas, & arbores aromata ferentes, quas ad me Dæmones & Angeli nocentes ex India attulerent.* Hæc meritò ex Bibliis Regiis reſecta ait Corn. à Lap. quod fabuloſa & indigna continent, quaſi Salomo, arte Magicâ uſus, per Dæmones plantas acceperit, ex peregrinis regionibus. Sed cur non ſimilia ex *legendis Aureis* reſecantur, ut de *Theodoro Epiſcopo Sedunenſi; qui Dæmonum operâ, unam magnam Campanam Româ in Alpes Helvetias tranſtulit;* De Wolffgango Epiſcopo Ratisbonenſi, qui eâdem Monaſterium in Bavaria condiderit, &c. & quæ *de Salomonicis Magicis adjurationibus* in hiſtoria Scho-

laſtica

laſtica leguntur? Vide Felicem Malleolum de Exorciſmis, Tom. 2. Mallei Maleficant. p. 392. & 407. Talia populo publicitùs venduntur, & in ſuggeſtu narrantur, non ſine colore; *eô usque proficere poſſe viros Catholicos, ut ipſis Cacodæmones obedire cogantur.* Sed in viam:

6. *Cur?* Voluptatis & utilitatis gratiâ:

Oblectat hortus, advocat, paſcit, tenet,
Animoque mœſto demit angores graves.

Hinc Salomonis Sapientia 1. Reg. 4. v. 33. Sap. 7. v. 20. & notitia vanitatis, Eccl. 2. v. 11. Quo pertinent ſepulchra in hortis, Joh. 19. v. 51. Quæque alia aliis dicenda nunc relinquo, confer, quæ de hortis dixi olim in c. 1. Joëlis, & in Atrio l. c. Addo breviter quod ſuper eſt *quomodò?* Conſeviſſe dicit ſe & plantâſſe. Modi *inſitionis* varii ſunt, de quibus ex Jacobi 1. v. 21. dixi in Tab. Oeconom. de Chriſt. officiis, & in Paradigmat. Concion. Exemplo 56. collectanea edidit *Mizaldus* in ſuo *de inſitione* libello. *Quando?* ante lapſum condidit Salomo: poſt intuitu neglectorum hortorum, reſipuit, Prov. 24. v. 30. - *Quæ te dementia cepit? ſemiputata tibi frondoſa vitis in ulmo pendet,* &c. Sed de hortis, ut dixi, alius ſcribendi locus eſt.

CAPUT XLIX. ET ULTIMUM.

Multiplex Arborum differentia,

1. DIfferunt, in S. Literis, 1. *ratione Quantitatis;* ſunt enim aliæ *parvæ*, pumilæ; arbuſculæ, item Virgulta, & frutices: aliæ

magnæ, proceræ, patulæ, quales dici ſolent *arbores Dei*, Pſalm. 104. v. 16. uſitato Hebraiſmo, quo omnia excellentia ferè κατ' ἐξοχὴν Dei dicuntur: ſivè quod ſingulariter à Deo plantatæ, Num. 24. v. 6. ſive quod Deo conſecrandæ viderentur, ut *Sanctivæ*. Apud Ezechielem locus eſt c. 17. v. 24. *Scient omnia ligna regionis*, omnes inquam gentes nationesq́; *quia Ego Dominus humiliavi arborem ſublimem*, excelſam, qualis ſibi videbatur ſuperba domus Regni Judæ; *& exaltavi humilem*, domum Meſſiæ, cujus regnum à parvis initiis ortum orbem terrarum obtinuit: Sic Parabolam *de grano Sinapi* interpretantur PP. ut hic Hieronymus Matth. 13. v. 31. Eſ. 52. v. 13. & 53. v. 2. *Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus*. Sequitur ſuperbiam *ruina*, Prov. 16. v. 18. כשלון *Kiſſchalon lapſus*, in fontibus eſt: q. d. ſequitur Nemeſis בכשיל *Pecaſſchil cum bipenni*, quâ altas & infrugiferas arbores ſuccidit; ut Dan. 4. v. 11. Matth. 3. v. 10. Quidam locum iſtum Ezechielis referunt, *ad Judæorum in ſecundo Domini adventu reſtitutionem*, de quâ interpretantur, quod habet Apoſtolus Rom. 11. v. 25. Sed *Judaicè*, ut rectè cenſuit Hieronym. in Comment. Ezech. l. cit.

2. In magnis denſisque arboribus *nidificare* dicuntur *aves*, ut Dan. 4. l. cit. de quibus ſingulare Dei Præceptum, hic non prætereundum: *Nidum ſi quis in arbore repererit, matrem cum pullis ne tollat*, Deuter. 22. v. 6. φιλανθρωπίαν commendat Deus, *ut ibid. notat Theodoretus* & moderatum amicorum uſum, *ut D. Lutherus*. Noſtri dicunt proverbio; *non eſſe auferendum vitulum cum vaccâ: Equum voluntarium non nimis eſſe fatigandum*. Sic Phocylides:

Ne vo-

Ne volucres capto ſimul omnes accipe nido;
Sed matrem linquas, pullos habitare deinceps.

Ubi ab iſtâ immanitate & ingratitudine avocet, addit promiſſionem vitæ præſentis & futuræ, *vide in Deuter. l. c. D. Pelargi Comm. & Zehner. Cent. 4. Adag. 7. ac Cent. 5. Adag. 30.*

3. Differunt 2. *ratione Qualitatis;* ſunt enim aliæ *Specioſæ,* præſtantes, vivaces, annoſæ, virentes, non putreſcentes: aliæ *viles,* brevis ævi, &c. Sic apud Ezechielem loco modò citato num. 1. cap. 17. v. 24. *Deus eſt qui arefecit lignum viride & frondere facit aridum,* ut Virgam Aaronis amygdalinam, Num. 17. v. 8. Vaticinium, ut explicavimus, & typus de Chriſti æterno & Regno & Sacerdotio. Areſcunt ſubitò arbores virentes, *maligno,* ut ajunt, *afflata ſidere:* undè *ſiderari* dicuntur, ut ſub ortum Canis, exſiccatum vapore, novellæ inprimis arbores, *Plin. 17. c. 24.* Remedium affert Autor Geoponic. l. 10. Ἀστρόπληκτα δένδρα μύρῳ ποτιζόμενα ἀναζῶσι, *Siderata arbores unguento inebriatæ reviviſcunt.* Ita DEI *ira* repentè impios, quanquàm potentiâ florentes, exurit; *gratia* pios, quamlibet dejectos & exſuccos, recreat. Ita *ſideratio* per metaphoram etiam ad homines, & animalia, quin & ad alia transfertur. Undè Martialis:

Sidere percuſſa eſt ſubitò tibi, Zoile, lingua.

Imilco exercitum repentè peſtilentis ſideris vi amiſit, Juſtinus. *Animos juvenum, ad magna ſurgentes, peſtilenti quodam ſidere afflavit,* Petron. *Hoc ſunt lapſis, quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armẽtis peſtilens vaſtitas,* ait Cypr. de Lapſis &c.

 4. Apud

4. Apud Eſaiam conſolatur Deus *Eunuchos*, ne poſt hac dicant: *Ecce ego lignum aridum!* c. 56. v. 3. Andradius hinc demonſtrare vult *Cœlibatum Clericorum* qui ſe caſtrârunt propter regnum cœlorum. Reſpondit *Chamier. Panſtrat. Tom. 3. l. 17. c. 5.* Nomen סרים *Saris* ſivè *Eunuchi* primò *officii* eſt, eoque appellantur Regum Cubicularii & Cuſtodes Gynecæi, perque Synecdochen Aulici, deindè *vitii*; atque itâ convenit iis, quibus teſticuli vel exſecti vel compreſſi ſunt, ut ad generandum ſint inutiles: hinc per Metalepſin omnes ſteriles & illiberes Eunuchi. Ac de his ad literam loqui Eſaiam manifeſtum eſt probatque ex textu Procopius, Lyranus; quin & Hieronymus, hunc ſenſum placuiſſe multis, indicat, eumque literalem eſſe docet Corn. à Lap. *Eunuchi*, inquit, *æquè ac ſteriles, erant quaſi infames & probrum apud Judæos*, Deut. 23. v. 1. *Chriſtus quoslibet admittit*, &c. Symbolicè, ut addit Corn. à Lap. vel per accommodationem, *ad Eunuchos Spontaneos & Spirituales*, qui pio propoſito aut voto ſe caſtrârunt, propter regnum Dei, referri poſſe; eâtenùs non negamus, quatenus propoſitum hoc aut votum S. literis conveniens, vereque pium eſt. Sed in hoc ordine etiam conjugati ſunt, *qui mortificaverunt membra ſua ſuper terram, fornicationem, immunditiam, paſſionem, deſiderium malum, donec perveniant omnes in Virum perfectum*, &c. ut habet Hieronym. ex Coloſſ. 3. & Eph. 4. Quod eſt omnium fidelium proprium; non ſolorum Clericorum. An verò Pontificiorum ſit, quamque illi ſe dicere poſſint, *Ligna arida*, id eſt, ad generandum inepta? id ipſi viderint. *Dixi de Eunu-*

Eunuchis Volum. 2. S. Analect. hæc obiter. Tantum hoc addo: Eunuchos per ſe cum inſtrumentis non amittere libidinem ipſam: itaque negat Apollonius, *inter Temperantes & continentes recenſendos; eſſe mulierum ſummos amatores, & ſæpè pudicitiæ earum corruptores*, apud Philoſtrat l. 1. & 2. *Zelotypos*, Heliodor. 9. Æthiopic. *Viros minimè viros, ſexu dubios, impietate apertos*, S. Greg. Nazianz. in Laud. Athan.

5. *De vivacitate arborum* locus eſt Eſa. 65. v. 22. de quo nonnihil ſuprà l. 1. c. 10. n. 5. *Dies populi mei erunt, ut dies arboris*, i. e. vivent quamdiu arbor vivaciſſima, *ita Vatablus*. S. Hieronymus, Cyrillus, Lyranus, Sasbout, à Lapide & Alvarez exponunt de Ligno Vitæ; quia ſic verterunt Lxx. (κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς ἔσονται αἱ ἡμέραι τοῦ λαοῦ μου) & in Hebræo eſt: *illius Ligni*, nempè famoſi & præcellentis, *ſic Tirinus*. Sed Hieronymus diſertè ait: *Lxx. magis ſenſum ex Hebræo vertêre quàm Verba.* Et ipſe putat *ad palmam* alluſum ex Pſalm. 92. v. 13. Deinde *He* illud *emphaticum*, in העץ *Haëz*, demonſtrativum eſt alicujus ligni præſtantis, non tamen ideò illius ſingularis Paradiſiaci. Ita *annoſa* dicitur Quercus. *Pindarus Nymphas tantùm ævi vivere, quantum durare quercus poteſt, & indè* Hamadryadas *dici ait*. At Heſiodus, *juxta Plutarchi calculum* illis tribuit annos Vitæ, 9720. *de Oracul. Defectu.* Novi ego Vites pergulanas, adhuc fertiliſſimas, quas à trecentis annis ſtetiſſe, origine incognita certum eſt. Crura habent craſſitudine humanis æqualia; botris baccæ ſunt prunis ſilveſtribus vix minores; vinum rubrum *ab Anſerino pede* nobile

nomen habet: racemi ulnam nonnunquàm minorem longi ſunt.

6. Pergo; differunt quoquè arbores 3. *ratione Actionis & Paſſionis:* ita aliæ frugiferæ, aliæ ſteriles; quædam bonæ, quædam malæ, etiam emortuæ, putrefactæ, dicuntur, & ideò excisæ aut ſuccidendæ. De his pauca quædam.

Deut 20. v. 17. Lex eſt de non vaſtandis arboribus frugiferis: *Si obſederis urbem aliquam diuturno tempore, non ſuccides ſecuri arbores ejus*, frugiferas ſcil. ad ædificandas machinas, aut extruendum vallum, &c. Ratio additur: quia interim veſci poteris de fructibus: *Quia*, inquit Moſes, *homo lignum agri, ad veniendum ante te in coarctationem.* Quæ verba diverſimodè capiuntur, & obſcura apparent. Quidam *interrogativè* exponunt: *Homone lignum agri eſt, ut veniat contra te, aut à facie tua, ad obſidionem?* nunquam tibi in bello noxam afferet, ut homo bellator, ut arma contrà ſtringas. Hinc *Vulgatus negativè*: Quoniam lignum eſt, non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum. Nec multò aliter *D. Lutherus*. Ita & Chaldæus: *Non enim eſt ſicut homo arbor agri, ut veniat contra te in obſidionem*, ſivè quandò tu obſides urbem, *Fagius*. Sed ſi hæc ratio quippiam valeret, Parcendum eſſet æquè omnibus arboribus, niſi oppugnantibus eſſent impedimento: Sunt enim omnes lignum & non homo, qui nocere cupiat & poſſit. Itaque *Aben Eſra* exponit: *Quia homo lignum agri*, id eſt, *de eo vivit & ſuſtentatur*; ut *pignus* dicitur *anima*, quo ea vivit, Deut. 24. v. 6. Faciliùs in hunc ſenſum ver-

vertere liceat: *Quia* Haadam *hominis eſt lignum agri*, conceſſum à Deo ut de eo veſcatur; ut revocet in memoriam primum hominis alimentum, Gen. 1. v. 29. *itaque* inquit, *non ſuccides, ut tibi ſerviat ad oppugnationem;* ad cædem hominum, quibus datum fuerat ad vitam ſuſtinendam. Hæc ratio urget: ex quâ etiam paganâ ſuperſtitione, *Quercus* & ſimiles arbores, Diis conſecratæ & *inviolabiles* habitæ, *vide nunc tantùm Ovidii 8. Fabulam de Eriſichthone.* Ignavi militis & puerilis iræ eſt, ſævire in arbores, non modò in noxias verùm etiam Salutares: quomodò *Tyrones exercebantur ad palum*, & contra truncum arboris digladiabantur, *Veget. in Atrio meo Latin. cap. 67. num. 1006.* In arboricidas ſemper ſeverè animadverſum, *P. Gregor. Tholoſan. lib. 37. Syntagm. cap. 6. p. 432.* Permiſit tamen ſemper lex; *cædere*, ad machinas & alios uſus oppugnantium, *arbores non cibi*, dictas, id eſt, inutiles & ſteriles: at in extremo excidio etiam frugiferæ exſcindebantur, 2. Reg. 3. v. 19. & c. 19. v. 22. Zach. 11. v. 2. Judith. 2. v. 16. Sic de Vandalis *Victor Utic.* 1. Vand. Perſ. à princ. *Nec arbuſtis fructiferis omnimodè parcebant: ne fortè quos antra montium, aut prærupta terrarum, vel ſecluſa quæque occultaverant, poſt eorum tranſitum, illis pabulis nutrirentur.* Tu cogita; ſi curat Deus arbores frugiferas ne excidantur; quantò magis *pretioſa DEO mors Sanctorum?* Pſal. 116. v. 15.

7. *Ex fructu cognoſcitur arbor*, Luc. 6. v. 44. Sir. 27. v. 10. de quo Proverbio *Zehnerus* Adag. 85. Cent. 2. *Arbor bona bonos fert fructus, mala malos*, Matth.

Matth. 7. v. 17. & 12. v. 33. Pro mala, σαπρὸν habet Græcus textus. Sed rectè obſervat Euthymius: *non tantùm quod putre, verùm etiam quod inutile & vitioſum eſt*, σαπρὸν *dici:* Syriaſmo ut notant *Beza & de Dieu.* Nam & boni generis arbor, quanquàm putreſcat, tamen adhuc bonos parit fructus, pyra, poma, uvas, ficus: ſed mali; etiamſi non ſit putris, ſed ſpecie pulcherrima, non poteſt tamen alios edere niſi malos, quales in Spinis, oleaſtris, Caprificis, labruſcis: adſpectus fallit, ſed ſapor diſcernit. Sic de Hæreticis, Pſeudoprophetis, *Juvencus* bene l. 1. v. 704.

Fructibus è propriis noſcuntur talia monſtra:
Quemque petat finem fallax DOCTRINA, videndum eſt.

8. Eos *S. Judas* vocat *Arbores autumnales, infructuoſas, bis emortuas, eradicatas*, Epiſt. verſ. 12. Græcè δένδρα φθινοπωρινὰ, quod eſt ex uſu vocabuli, *autumnalia;* ligna quæ florent & fructus conantur parere, autumno jam præcipiti, quod tempus τὸ φθινόπωρον. At quia ſuperveniens hiems non ſinit ad maturitatem pervenire, acerbi cadunt illi, & humi putreſcunt. Itaque accidit his arboribus quod Salici, quæ & ideò ὠλεσίκαρπος, *frugiperda*, Homero autore, interprete Plinio. Sic quanquàm floribus & foliis ſuperbiant ſeductores; fructus tamen, quos ſpecie promittunt, non præſtant. Ligna planè tandem ἄκαρπα, imò *Bis emortua*, ut ſpes reviviſcendi nulla ſuperſit. Ubi *Bis*, eſt ἐπιτατικὸν q. d. omninò, funditus: Denique *eradicata* jam, ut nec vitalem ſuccum haurire poſſint. Didymus Alexandr. in Scholiis h. l. *arbores autumnales, ſine fructu*

fructu ſunt : licet promittant , mentientes fructum habere ſe bonum ; arguuntur tamen cùm non poſſint uvam & ficum ferre, hi qui ſpinæ ſunt & tribuli. Et *quia peccantes conſequenter habent mortem , & iſti ſecundo peccant, hoc eſt actu & ſenſu ; ſecundò etiam mori dicuntur, &c.* Actu & ſenſu dicit, id eſt, *Vitâ & doctrinâ.* Qui caret alterutro bono, mortuus eſt ; qui utroque, bis mortuus.

Nam niſi doctrinæ jungatur Vita fideli,
Majores pariet conjuncta ſcientia pœnas.

Canit Alcimus Avitus ad Fuſcin. Sor. ex Luc. 12. verſ. 47.

9. Ad Paſſiones arborum pertinet *lapſus :* de quo Proverbium : *Sivè ad auſtrum ceciderit arbor , ſivè ad aquilonem, quocunque loco ceciderit, ibi manebit,* Eccl. 11. v. 3. de quo Zehner. in Adag. 43. Cent. 2. & in Poſtill. Salomoneâ meâ Dom. 1. Trinit. Homo arbori ſimilis, ſed inverſæ, Marc. 8. v. 24. de quo Scaliger Exercit. 140. Sect. 2. & olim Columella. l. 3. c. 10. Eſt φυτὸν οὐράνιον. An *quoquam genitos niſi Cælo, credere fas eſt eſſe homines?* Manilius. Cadit tamen morte : alius dextrorſum , alius ſiniſtrorſum. *Nullus ulli locus medius eſt.* Et quôcunque ceciderit, ibi jacebit *immutabiliter, irrevocabiliter !* Videat quisque, caſura velut arbor, quam in partem propendeat, Bernhardus citatus in dictâ Poſtillâ &c. *Qualem te invenio ,* Salvatoris noſtri apophthegma eſt , *talem te judico,* in quo Salutari monito , nunc quidem deſino. Faxit Deus, ut ſimus, *Arbores juſtitiæ, plantatio ad gloriam ejus! AMEN!*

INDI-

INDICULUS.

Nominum Hebræorum & Latinorum; prior numerus Capita, poſterior Paragraphum notat.

Abies, cap. 18. Paragr. 3
Abjona, 28. 1
Acer, 6. 5
Acacia, 22. 9
Agaricum, 15. 8
Agallochum, 43. 3
Agnus Caſtus, 12. 4
Aguz, 29. 1
Ahalim, 43. 1
Allah, Allon, 13. 1
Algummim, 43. 7
Almugim, 43. 9
Alimos, 27. 5
Alnus, 13. 3
Aloë, 43. 2
Amygdalus, 31. 1
Aquifolium, 25. 3
Arabim, 12. 1
Armon, 11. 3
Arbor quid? 1. 1
  partes, 2
  ſpecies, 3
  differentia, 49.
  Sylveſtres, 4
  Mites, 28. Hortenſ. 48
  Felices & contra, 9. 2
  Paradiſiacæ, 45
  Sodomiticæ, 46
Bacha, 36. 1
Barkanim, 24. 2
Beroth, Bruta, 5. 2
Beroſch, 18. 1
Botnim, 30
Botrus Cypri, 28. 9
Buxus. 9. 3
Camphora, 28. 7
Capparis, 28. 1
Carpinus, 6
Caſtanea, 11. 7
Caudex. 2. 9
Cedrus minor, 19
  major, 19. & 20. & 21
Ceratia, 42
Citrus, 44
Chedek. Choach, 25
Coniferæ, 18. & 19. 1
Conyza, 26
Copher, 28. 6
Cortex, 2. 11

Cu-

Cupreſſus, 7. 5. & 22. 1
Cynosbatos, 23. 4
Cyprus, 28. 8
Ebenus, 43. 10
Elah, 13. 1
Elæagnus, 28. 4
El hanne, 26. *&* 28 8
Eryngium, 26
Eſchel, 28. 5
Erez, 19. & 20. & 21
Eſculus, 8. 2
Ez hadar, 44. 1
Ez Schemen, 44. 2
Ezrach, 42. 1
Fagus, 8. 1
Ficus, 34
Folia, 2. 29
Fraxinus, 6. 4
Frondes, 2. 23
Geniſta, 27. 7
Glandiferæ, 13. 6
Glycyrrhiza, 27. 5
Gopher, 22. 1
Hortus, 48
Hobenim, 43. 10
Hadas, 37. 2
Hadar, 44. 1
Jasminum, 28. 3
Ilex, coccifera, 13. 6
Juniperus minor, 27. 6
major, 18
Koz, 24 5
Larix, 22. 8
Laurus, 42
Libne, 10. 5
Ligiſtrum, 26. & 28
Lotus, 32. 7
Luci & S. Nemora, 47
Luzim, 30. 5
Lycium, 23. 5
Malus, 33. 4
Mala omnigena, ib.
Malus Punica, 32. 5
Morus, 36. 5
Myrica, 28. 5
Myrtus, 37
Myxaria, 28. 2
Naazuz, 26
Necoth, 28. 2
Nux, 29
avellana, 30. 6
Terebintha, 30
Olea, 38. & 39. & 40
Ononis, 26
Oren, 6
Ornus, 6. 2
Oxya, 8. 5
Oxyacantha, 24. 4
Paliurus, 25. 2
Palma, 41
Picea, 18. 4
Pinus, 7. 2
Piſtacia, 30. 4
Platanus, 11. 2

Popu-

Populus alba, 10.4
nigra, ibid.
tremula, 8.7
Prūna Sebeſtena, 28.2
Propagines, 2.27
Pyrus, 36.3
Pyxacantha, 23.5
Quercus, 14. & ſeqq. 17
Radix, 2.1
Ramus, 2.14
Rhamnus, 23.3
Rimmon, 32
Rothem, 27.4
Rubus, 26.5
Sabina, 5.2
Salix, 12. & 28.4
Saliunca, 26
Sandalum, 43.5.7
Sabek, 28.3
Schamir, Schait, 27.2
Schekedim, 31
Schikmim, 35
Seneh, 26.4
Siliquæ, 42.7
Sillon, 26.3
Sirim, 26.6
Sirphad, 26
Sittim, 22.5
Sorbus, 6.3
Spinæ, 23.24.25
Spina Alba, 22. & 23
Stipes, 2.9
Stolones, 2.27
Stœbe, 26.2
Styrax, 10.2
Suber, 13.6
Surculus, 2.5
Sycomori, 35
Thamar, 41
Tamarix, 28.5
Thaphuach, 33
Taxus, 7.5
Theaſſur, 4. & 9
Theena, 34
Thidhar, 4. & 8
Tilia, 10.9
Thirza, 7
Terebinthus, 13.4
Tribulus, 24.3
Thyina, 43.8
Ulmus, 8.6
Vaccinia, 26
Zaphzaph, 28
Zealim, 27
Zaith, 38
Zizyphus, 25.3

FINIS.

1 < B

Herbal
Virginiana